Dopo, ma la ritrovai
per oggi e in una copia
ciò che è cancellato nell'al-
tra

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
2 68 A
51

Tragœdiæ ſelectæ AESCHYLI, SOPHOCLIS, EVRIPIDIS.

Cum duplici interpretatione Latina, vna ad verbũ, altera carmine.

ENNIANAE interpretationes locorũ aliquot Euripidis.

BIBLIOTECA NAZ. EMANUELE

ANNO M. D. LXVII.

Excudebat Henr. Stephanus, illuſtris viri Huldrichi Fuggeri typographus.

AVTORES SEquentium interpretationum.

BIBLIOTECA NAZ ROMA EMANDE

EVRIP. TRAG.

HECVBAE & IPHIG. IN AVL. interpretatio carmine, [illegible] est: interpr. ad verbum, partim ex [illegible] prælectionib⁹, par[illegible]rotheo Camillo collecta est, sed multis in locis recognita.

MEDEAE & ALCEST. interpretatio carmine Georgiũ Buchananum habet autorem: altera eosdẽ qui modò nominati fuerũt.

SOPH. TRAG.

AIACEM, ELECT. ANT. carmine reddidit Georgius Rotal-

lerus: ad verbum reddidit Aiacem [redacted]: Electræ & Antigones vulgatã interpretationem F. P. raptim recognouit.

AESCH. TRAG.

PROMETHEVM vertit ad verbũ Matthias Garbitius.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI GVILIELMO Archiepiscopo Cantuariensi, totius Angliæ primati, & summo eius regni cancellario, [illegible] S. P. D.

QVVM in animo statuissem Præsul amplissime, vertendis Græcis authoribus rem theologicam (Deũ immortalem quàm indignè sophisticis nugis depraua tam) pro virili meâ vel restituere, vel adiuuare, ne statim, iuxta Græcorum adagionẽ, ἐν τῷ πήθῳ τὴν χειραμίαν periclitari viderer, & ad tantum munus illotis (vt aiunt) pedibus irrumpere, visum est mihi prius periculum facere quàm non lusissem operam in vtriusque linguæ studium insumptam, idque in re difficillima quidem illa, sed tamen profana: quo pariter & negocii difficultas ad meditationem conduceret, & siquid esset peccatum, citra sacrarum Scripturarum iniuriam solius ingenii periculo peccaretur. Itaque duas Euripidis tragœdias, Hecubam & Iphigeniam in Aulide, Latinas facere sum aggressus, siquis fortè deus cœptis tam audacibus dexter aspiraret. Deinde quum viderem operis instituti specimen non displicere viris vtriusque linguæ callentissimis (quos profectò iam aliquot habet Anglia, liceat modò verum citra inuidiam fateri, quouis in genere doctrinæ, vel Italiæ totius admiratione dignos) intra pauculos mẽses, Musis bene iuuantibus, ad vmbilicum perduxi. Quanto cum sudore, id ii demum experiuntur quicunque in eandem palæstram descenderint. Etenim quum illud ipsum, ex bene Græcis bene Latina facere, sit eiusmodi vt singularẽ aliquem requirat artificem, neque solùm sermonis vtriusque copiosa paratáque supellectile ditissimum, verumetiam oculatissimum vigilantissimúmque, adeo vt seculis iam aliquot nullus extiterit, qui in hoc munere

omnibus eruditorũ calculis probaretur: facilis nimirum est coniectura, quantũ fuerit negocii, carmẽ carmine reddere, præsertim tam varium & inusitatum: idque ex authore nõ modò tã antiquo, eóque tragico, verũetiam mirum in modũ presso, subtili, excusso: in quo nihil ociosum, nihil quod vel adimere, vel mutare citra flagitiũ queas: præterea qui in tractandis locis rhetoricis tam creber sit, tam acutus, vt passim declamare videatur. Adde nunc choros, nescio quanã affectatione adeo obscuros, vt OEdipo quopiam aut Delio sit opus magis quàm interprete. Accedit ad hæc codicum deprauatio, exẽplarium inopia, nulli interpretes ad quos cõfugiamus. Quo minus admiror, si ne hoc quidẽ felicissimo seculo quisquam Italorum ausus fuit hoc muneris aggredi, vt tragœdiam aliquam aut comœdiam verteret: quũ plures Homero manus sint admoliti, inter quos etiã Politianus ipse sibi nõ satisfecit: quidam Hesiodum tentarit, neque id satis feliciter: alius Theocritũ sit aggressus, sed multo etiam infelicius. Denique quum Franciscus Philelphus (id quod post institutam interpretationem cognouimus) primam Hecubæ scenam in oratione quadam funebri traduxerit, sed ita vt nobis alioqui putidulis, vir tantus animi non parum adderet. Ego porrò neque tantis exemplis neque tam multis operis difficultatibus deterritus, magis quàm poetę huius suauiloquẽtia plus quàm mellita (quã illi tribuũt etiã inimici) allectus, rẽ hactenus intentatã nõ sum veritus aggredi: futurum sperãs vt etiãsi parũ præstitissem, tamen cãdidi lectores vel hunc meũ conatũ laude aliqua dignũ ducerẽt: porrò maligniores saltẽ ueniã darent operis tam ardui nouo interpreti. maximè quòd ad cæteras difficultates ipse prudẽs non mediocre pondus adiecerim, mea in uertẽdo religione, dum conor, quoad licet, Græcanici poematis figuras, quasique filum repræsentare, dum versum uersui, dum uerbũ penè uerbo reddere nitor, dum ubique sententiæ nim ac põdus summa cum fide Latinis auribus appendere studeo. Sine quòd mihi non perinde probatur

illa in uertendis autoribus libertas, quã Marcus Tullius ut aliis permittit, ita ipse (penè dixerim immodicè) usurpauit: siue quòd nouus interpres in hanc malui peccare partẽ, ut superstitiosior uiderer alicui potius quàm licentiosior: id est, ut littoralibus in arenis nonnunquã hærere uiderer potius quàm fracta naue mediis natare fluctibus: maluíque cõmittere ut eruditi candorẽ & concinnitatẽ carminis in me forsitan desiderarent quàm fidẽ. Denique nolui, paraphrasten professus, eam mihi latebram parare, qua multi suam prætexunt insciti am, ac loliginis in morem, ne deprehendantur, suis se tenebris inuoluunt. Iam uerò quod Latinæ tragœdiæ grandiloquẽtiam, ampullas, sesquipedalia (ut Flaccus ait) uerba hic nusquam audient, mihi non debent imputare, si interpretis officio fungens, eius quem uerti, pressam sanitatem elegantiámque referre malui, quàm alienũ tumorẽ, qui me nec alias magnopere delectat. Porrò certissimam in spem uocor, fore ut hic labor meus, cum aduersus iniquorum calumnias sit egregiè tutus, tũ candidis & æquis gratissimus exeat, excellentissime pater, si tuo quoque calculo fuerit cõprobratus. Quẽ equidẽ in tãto ornatissimorũ principũ numero facilè mihi delegi, cui meas has uigilias consecrarem: ut quem unum perspexerim præter summum fortunæ splendorem, literis, eloquentia, prudẽtia, pietate, modestia, integritate, postremo singulari quadam erga bonarum literarum cultores benignitate sic præditum, ornatum, cumulatum, ut istud primatis uocabulum in neminem magis competat quàm in te, qui non solum officii dignitate, uerũ multo magis omniũ uirtutũ genere primas teneas, idem & regiæ aulæ præcipuum ornamentum, & Ecclesiasticæ dignitatis unicum fastigium. Quòd si mihi contigerit ut hoc meum studium probetur à uiro tam probato, profectò nec hactenus exhausti laboris me pœnitebit, neque grauabor in posterum maiore conatu rem theologicam adiuuare. Vale, & Erasmum in eorum numerum adscribito, qui tuæ paternitati toto pectore sunt addicti. Londini, IX. Calendas Februarii.

AD R. P. GVILIELMVM ARCHIEPISCOPVM CANTuarienſem, Eraſmi carmen iambicum trimetrum.

Scitè poetas doctus appellat Maro
Cygnos, Guilielme præſulum eximium decus,
Res mira dictu, vt cuncta conſenſu nouo
Vati atque olori congruant diuinitus.
Niueus vtrique candor: alter lacteis
Plumis, amico candet alter pectore.
Muſis vterque gratus, ac Phœbo ſacer.
Et limpidis vterque gaudet amnibus,
Ripis adæquè vterque gaudet herbidis.
Pariter canorus vterque, tum potiſſimum
Vicina ſeram mors ſenectam quum premit.
Sed, qui tenent arcana naturæ, negant
Audiri olorem ni ſonent Fauonii.
Nil ergo mirum, barbaro hoc ſi ſeculo
Canorus olim obmutuit vatum chorus,
Quum tot procaces vndique obſtrepant Noti,
Boreæque triſtes, inuidorum & pinguium,
Nulli fauentum prouocent Fauonii.
Quòd ſi bonis clementer ingeniis tuæ
Benignitatis blandus aſpiret fauor,
Ita vt facit, tota ſtatim Britannia
Vates videbis exoriri candidos,
Adeo canoros atque vocaleis uti
In alba fundant aſtra cygneum melos,
Quod ipſa & ætas poſterorum exaudiat.

ARGVMENTVM HECVBAE

PER EVNDEM ERASMVM.

Post euersam Troiam Græci soluentes in Cherronesum, quæ est eregione Thraciæ, appulerunt vbi monumentum extabat Achillis, in Troia sepulti. Illic quum rerum ordinandarum gratia dies aliquot egissent, iámque iterare nauigationem appararent, Achillis vmbra super tumulum visa, Græcos ne soluerent prohibuit: postulans vt antè sibi Polyxena Priami filia mactaretur, quam pater aliquando viuo despondisset, cuiúsque gratia à Paride ac Deiphobo iaculo confossus interisset, id temporis quum Priamus puellam despõsam traditurus videretur. Itaque Græci memores quàm ille rem bellicam adiuuisset, statuentésque viri virtutem decorare, suffragiis decreuerunt vti Polyxena in eius tumulo mactaretur. Datum est autem negocium Vlyssi vt virginem deduceret, simúlque vafricie facundiæ suæ, qua præditus erat, Hecubæ matri persuaderet ne id factum ferret impotẽtius. uò quũ peruenisset Vlysses, reperit puellã ad necem paratam spontaneámque, atque vltro matri suadentem, sibi optabilius esse decorè emori liberam, quàm fœdè viuere in seruitute. Deinde dum occiditur filia, Hecuba famulam quampiam ad littus mittit, vt lauãdo Polyxenæ cadaueri aquam adportaret. Ea dum haurire parat, Polydori corpus offendit in littore iacens. Nam Polymestor Thracũ tyrãnus, simulatque Troiæ cognouit excidium, trucidatum puerum in mare abiecerat, quò nimirum auro potiretur, quod vnà cum filio Priamus ad illum miserat clanculum, quum iam periculum imminere videret ne caperetur Ilium. Erat autem ingens auri vis, satísque idonea qua Priami genus restitueretur. Hunc igitur Polydorum nacta famula vestibus inuolutum, defert ad Hecubam. Hæc Polyxenã esse suspicata, donec corpus retectum inspiceret, vbi Polydorũ esse cognouit, miserè discruciatur, secúmque viam quærit qua possit Polymesto-

rem vlciſci. Ac re prius cum Agamemnone communicata, ancillam ſuam mittit ad Polymeſtorem, quæ eum vnà cum liberis ſuis ad ſe iubeat accedere. eſſe enim quiddam maximi momenti de quo velit cum illo colloqui. At ille ignarus Polydori cadaver in littore fuiſſe repertum, vnà cũ liberis ſuis ad Hecubã accedit. Ea ſimulat ſeſe ob eam cauſam accerſiuiſſe hominem, vt illi theſauros quoſdam antiquos in Ilio defoſſos indicaret: deinde iuſſo ſecedere ſatellitio, ſolum cum filiis in tentorium deducit, tanquam illi tradituram quicquid pecuniarum è Troia ſecum extuliſſet. Erat autem illic abdita maxima mulierum turba, quibus adiuta, Polymeſtorem introgreſſum exoculat, ac liberos occidit. Agamemnõ audita vtriuſque cauſa, contra Polymeſtorem pronuntiat, qui videretur non iniuandi Græcos ſtudio, ſed auri cupiditate puerum interemiſſe.

ACTIO FABVLAE CONSTITVITVR IN CHERRONESO,

quæ Phrygiam in qua eſt Ilium, habet ad Orientem, Thraciam reliquam ad Septentrionem. Chorus conſtat ex mulieribus Troianis captiuis, Hecubæ auxiliaturis.

PERSONÆ FABVLÆ.

POLYDORI occiſi vmbra.
HECVBA regina Troianorum.
CHORVS mulierum Troianarum.
POLYXENA filia Hecubæ.
VLYSSES.
TALTHYBIVS præco.
FAMVLA Hecubæ.
AGAMEMNON rex.
POLYMESTOR Thracius tyrannus.

EVRIPIDIS TRAGICI Poetæ Hecuba, Eraſmo Roterodamo interprete.

POLYDORI VMBRA.

ADſum profectus è profundis manibus,
Noctiſque portis, cæca quæ ſilentium
Ab arce porro cæſitum ſita eſt domus,
Polydorus Hecuba natus è Ciſſeide,
Priamóque patre. quem ſimul cepit timor
Ne Phrygia Graio marte caderent mœnia,
Me furtim alendum Troico emiſit ſolo
Ad hoſpitam Polymeſtoris Thracis domum,
Qui Cherroneſi fertilem glebam colens,
Armis ferocem Martiis gentem regit.
Multúmque mecum clanculum miſit pater
Aurum: vrbis vt ſi concidiſſent mœnia,
Ne victu egerent liberi ſuperſtites.
Erámque natu Priamidûm nouiſſimus:
Atque hac foras potiſſimum me gratia
Submiſit, vt cui nec ferundæ lanceæ,
Et ad arma nondum tenera ſufficeret manus.
Ita vſque donec recta ſtabant Pergama, &
Nondum iacebant Ilii túrres ſoli,
Hectórque frater marte florebat meus,
Bene apud tyrannũ Thraca, patrium hoſpitẽ
Creſcens alebar, plantulæ in modum miſer:
At vbi interiuit Troia, ſimul & Hectoris
Vita, ac penates concidere patrii,
Deûmque ad aras ipſe procubuit ſacras,
Mactante Achillis prole ſanguinaria,
Mox me paternus amicus auri gratia
Miſerum trucidat, actrucidatum ſalo
Exponit, aurum vt ipſe poſſideat ſibi.
Nunc ſuper arena littoris iaceo, hactenus

Nunc ſuper arena littoris iaceo, hactenus
Æſtu per æquor huc & huc vectus vago,
Inflctus, inſepultus. at iam promico
Charam ob parentem, corpore relicto meo.
Mihi ſupernis deuaganti ſedibus,
Superáque in aura, ſol agitur hic tertius.
Itidémque miſera tertium mater diem,
Extorris amplis Ilii pomeriis,
In hac adeſt tellure Cherroneſia,
Cunctíque Danai littore hoc in Thracio
Claſſem tenentes ocioſi deſident.
Nanque è ſepulchro viſus Æacides ſuo
Argiuûm Achilles tenuit omnem exercitum,
Remum ad penates dirigentem ponticum:
Meam is ſororem poſtulat Polyxenam,
Tumulo cupitum honorem & inferias ſuo
Dari. ac feret. neque enim hoc ſinent fruſtrarier
Honore amici. deinde decretum iubet
Fatale, cædi hac luce germanam meam.
Geminæque prolis gemina mater funera
Cernet, meúmque & lacrymandæ virginis.
Nam quò ſepulchri munus aſſequar mihi,
Ancillæ in vndis memet offeram ad pedes:
Venia impetrata diis ab inferis, vti
Tumulo potiar, in matris incidens manus.
Itaque (quod ad me) quicquid optaui aſſequar.
At anu à parente paululum abſcedam. hæc quidem
Iam regis è tentorio profert pedem
Agamemnonis, pauefacta de ſpectro mei.
O mater, huc proh viua perueniſti, vti
Prognata quum ſis regiis è ſtemmatis,
Indigna ferres ſeruitutis pondera?
Tam afflicta nunc & miſera, quàm florens eras
Quondam ac beata. T E aliquis extinxit Deus,
Fœlicitatis priſtinæ inuertens vices,
Bonáque anteacta paribus exæquans malis.

Hec. Ducite anum hancce foras ô famulæ,
Ducite sustentantes, vobis
Nunc conseruam Iliades, verùm
Dudum dominam: prendite, ferte,
Portate mei corporis artus,
Tollite, anilem corripite manum.
Ipsa ego torto nixa bacillo,
Annis tardum celerabo pedem, &
Alternos promouero pressus.
O fulgur Iouis, ô nox picea,
Vt quid ita sub nocte silenti
Terriculis visisque agitor!
O sacra tellus,
Gignens atris somnia pennis,
Sit precor irrita noctis imago,
Quam de gnato
Qui seruatur Thracibus oris,
Téque, Polyxena filia dulcis,
Alto vidi mersa sopore.
Nam terrificum vidi visum,
Didici, sensi.
O terrestria numina, gnatum
Seruate meum, qui iam solus
Generis supereſt anchora nostri,
Thraces habitans arua niualis,
Patrio commendatus amico.
Aderit iamiam quodcunque malum,
Luctúmque nouum luctibus addet.
Haud sic vnquam mens mea certo
Timuit, tremuit, tacta pauore.
Vbinam diuina Helenum mente,
Vbi Cassandram Iliades videam,
Vt mihi cæca insomnia pandat?
Vidi siquidem ceruam variam
(Visu miserum)
Nostro è gremio vi direptam,

Seruitii haud tolerabile pondus?
Heu me me: quis opem mihi vindex
Tulerit? quænam natio? quænam vrbs?
Periit senior. gnati extincti.
Hucine an illuc flectam gressum?
Quò me vertam?
Vbi, quis deus aut dæmon præsens
Ferat auxilium?
Proh Iliades sæua ferentes,
Eheu sæua ferentes fata,
Extinxistis me, extinxistis:
Nec mihi posthac
Grata est supero in lumine vita.
Defer anum hanc ô pes infelix:
Hanc me infelix ducito ad aulam.
Eheu gnata, heu supra cunctas
Miseræ matris filia, prodi,
Prodi tectis, percipe matris
Filia vocem.
Vti cognoscas qualis qualis
Fama tua de vita fertur.

Pol. Ehem mater, mater,
Quid clamas? quid subitum apportans,
Sic me veluti volucrem tectis
Cogis trepidam prouolitare?

He. Heu me gnata.

Pol. Cur sermonum exordia mecum
Diro sumis ab omine mater?

He. Ah gnata, tuæ metuo vitæ.

Pol. Eloquitor, neque celato diu.
Paueo, miserè paueo mater.
Quæso quid ingemis?

He. Gnata, ah miseræ gnata parentis.

Pol. Cur istud ais?

He. Hoc gnatus contendit Achillis,
Communi decreto Argiuûm,

Vti Pelidæ gnata sepulchro
Mactata cadas.
Pol. Heu genitrix, vt mala nobis
Immensa refers!
Aperi sodes, aperi mater.
Hec, Rumorem ad fero filia dirum:
De cæde tui
Scitum populus sanxit Achiuus.
Pol. O te afflictam! proh ter miseram!
O malè faustæ genitrix sortis!
Quam tibi tristem rursus luctum
Infandúmque & acerbum mouit
Dæmon aliquis!
Nõn iam gnata hæc, non tibi posthac!
Infelice senecta infelix
Cõseruiero. nanque perinde ac
Hinnuleum, seu montibus hirtis
Alitam vitulam, miseram misera
Mox de manibus velli aspicies,
Ac sub humum, ceruice recisa,
Obscuro demittier orco:
Illic inter lumine cassos
Degam infelix.
Sed te miseram luctu omnigeno
Defleo mater. nam mea fata,
Sortémque grauem non lamentor,
Quum mihi casus sit & optandus
Cedere vita.
Ch. Sed ecce, Vlysses huc citus mouet gradum,
Hecuba, tibi aliquem nuntium ferens nouum.
Vlyss. Te scire mulier credo placita exercitus,
Et quæ inter omneis vicerit sententia,
Haud te latere puto: sed exponam tamen.
Visum est Pelasgis, tua vti gnata Polyxena
Cadat ad sepulchri Achillis excelsum aggerem.
At virginis nos esse solennes duces

Statuêre, Pyrrhus Æacidæ proles, huic
Præfectus author ac sacrificus hostiæ.
Scin' ergo quid ages? néve vi retraxeris,
Mecúmve manibus ne velis contendere.
Agnosce vires Danaidûm qui hæc imperant,
Simúlque quantis obruare nunc malis. (malis
SCITVM est profectò quiddam, & in mediis
Ea quenque secum sapere quæ sapere est opus.
Vl. Væh væh, adest discrimen (vt video) graue,
Gemitúque plenum, & non inane lacrymis.
Neque enim ipsa dudũ vitam acerbã & asperã
Illic reliqui quo mori decuit loco:
Neque me interemit Iuppiter, sed in hoc alit
Tristissimis vti tristiora conspicer.
Proh misera! sed iam si licet captis, neque
Molesta, nec quæ mordeant animum, loqui
Heris, rogeris oportet & paucis mihi,
Atque vt vicissim nos rogantes audias.
Vlyss. Licet. roga. neq; enim hoc tibi inuideo moræ.
He. Scin' Ilium explorator vt subiueris
Pannosus atque squalidus? genas tuas
Stillæ obsidebant mortis, oculis excitæ.
Vl. Memini. haud enim hæc res sũma strinxit pecto-
He. Ten' agnitũ vni prodidit Helene mihi? (ris.
Vl. Meminimus, in discrimen adducti graue.
He. Suppléxque factus genua tangebas mea?
Vl. Sic: manus vt istis instupescerent peplis.
He. Dedin' ergo vitam, & Ilio emisi solo?
Vl. Ita: vt hoc profectò solis aspiciam iubar.
He. Quid tum loquutus, quum mihi in manu fores?
Vl. Quò me necis subducerem periculo,
Omneis vafer tum comminiscebar dolos,
Cunctásque pariter persuadendi vias.
He. Lege igitur istac gratiam refers malam,
Quum tuleris à me quæ tulisse non negas,
At nihil iuues nos, sed magis pro viribus

Incommodes, benefacta compensans malis.
VESTRVM genus mortalium ingratissimũ
Quicunque plebis concionibus leues
Captatis auras. cognitum heu mihi plus satis
Quà damnum amicis ferre non facitis pili,
Modò differatis grata multitudini.
At iure quonam, aut quid sequuti, virginem
In hanc, cedo, decreta sanxerunt necis?
Ipsúmne decus hoc suasit, homines cædere
Tumulis, vbi bos victima addecet magis?
An porro Achilles mortis auctores suæ
Punire quærens, iure in hanc refert necem?
Atqui hæc in illum sceleris admisit nihil:
Helenam sepulchris hostiam par est peti:
Illa hunc peremit, illa traxit ad Ilium.
Quòd siqua vultu legitur ex captis neci
Formáque præstans cæteris, non nostrũ id est.
Quippe ore multo Tyndaris decentior,
Eadémque quàm nos non minus dedit mali.
Atque hæc pro æquo dixerim quidé ac bono.
At nunc mihi quæ te reposcenti inuicem
Reponere æquum est, accipe æquis auribus.
Meam (quòd ipse nõ negas) humilis manũ, ac
Supplex anilem hanc contigisti tum genam:
Nunc hæc vicissim prona contingo tui,
Beneficiúmque tunc datúm reflagito,
Itémque supplex obsecro ne filiam
Mihi puellam manibus abripias meis,
Néve perimatis. quippe funerum satis.
Oblecto in hac me, sortis oblita grauis.
Solamen hæc est vna pro multis mihi,
Vrbs, atque nutrix, scipio, rectrix gradus
IN IQVA victis imperare non decet,
Queis sors dedit rerum potiri ac vincere
Neque queis secundæ res, oportet fidere
Itidem futuras semper ex sententia.
Etenim ipsa, quondã quæ fui, nõ sum amplius,

Opes sed omnes vnicus rapuit dies.
Age amica barba paululum me respice,
Misereſce,& adiens rursum Achiuûm exercitū
Doceto quàm sit sæuum atróxque fœminas
Mactare,quas non interemistis prius
Raptas ab aris(sed peperciſtis) sacris.
Lex æqua porro vos apud,de sanguine,
Seruíſque liberíſque capitibus stata eſt.
Si vel malè hæc authoritas dicat tua,
Flectet. QVOD à leuibus profecta oratio,
Et à probatis,non idem valet eadem.
Ch. Tam rigida nuſquam eſt vlla mens mortalium
Audita quam non iſta comploratio
Ingénſque luctus cogat edere lacrymas.
Vlyſ. Audi Hecuba,néve mente percita,virum
Qui recta dicat,maleuolum fingas tibi.
Ego quidem vitam tuerier tuam,
Per quam ipſe viuo,cupio:nec dicam dolo:
At quæ palàm ſuaſi,ea haud negauerim,
Nempe vrbe capta,exercitus primario
Gnatam immolandam (quãdo poſtulat) tuam.
HINC nanque plures defluunt reſpublicæ,
Dum ſtrenuum qui præbet ac fortem virum,
Non plus honoris quàm vir ignauus capit.
Nos contrà Achillem dignũ honore ducimus,
Vtqui pro Achiuis ceciderit promptiſſimé.
QVAM turpe, ſiquem viuum amicũ ſenſimus
Huic deſinamus eſſe amici mortuo?
Age,quid futurum,ſiqua rursum appareat
Acies coacta,& hoſtium certamina?
Vtrum manus iam conſeremus,an magis
Vitæ ac ſaluti conſulemus?quippe qui
Fraudari honore cernimus quiſquis cadit.
Ac mihi profectò,luce donec hac fruar,
Quantumlibet puſilla,ſufficiant tamen:
Porro ſepulchrum conſpici exoptem meum

Insigne: quando durat in longum hic honos.
At misera patior, inquis. audi contrà ad hæc.
Sunt & Pelasgis neutiquam miseræ minus
Anúsque, & annis te priores fœminæ,
Sponsæque sponsis orphanæ præstantibus,
Hîc ossa quorum puluis Idæus tegit.
Fer ista. Nos si perperam decernimus
Decorare fortem præmio merito virum,
Inscitiæ ipsi obnoxii tenebimur.
At barbari, neque hos amicos ducitis
Qui sunt amici: neque decorè qui oppetunt
Suspicitis. hinc & nostra floret Græcia:
Vos contrà habetis instituto congrua.
Ch. HEV seruitus vt semper est miserrima,
Subacta vi fert præter æquum plurima.
He. Ah gnata, in auras irrita hæc oratio
Fustra mihi iactata de tui nece.
Tu, si amplius quid, quàm valet mater, vales,
Annitere, omneis ad modum luscinix
Experta voces, vita ne pereat tibi.
Miseranda Vlyssis accide huius ad genu,
Et commoue: argumentum habes (ipsi quoque
Sunt liberi) quò fata miseretur tua.
Pol. Video te Vlysse dexteram sub pallio
Manum occulentem, & ora vertentem retro,
Tetigisse malam ne mihi sit fas tuam.
Animo bono sis iubeo, méque nuntia
Scito, quod ad me pertinebit, te fore
In tuto, & effugisse (si quis supplices
Curat fauens, æquúsque respicit) Iouem.
Nam te sequar, vel quia trahat necessitas,
Vel quòd mori experiam ipsa: sin velim minus,
Vitæ auida mulier videar ac timida omnibus.
Quæ nanque vitæ causa iam superest mihi?
Vt cui pater rex omnium fuerit Phrygum,
(Etenim rudis mihi lucis hoc initium)

Dein spes ad amplas educabar, regibus
Nuptura, multis æmulantibus procis,
Quis me ad penates duceret victor suos.
Regina ego proh misera fœminis eram
Troadibus, inter virgines insignis, ac
Diis æqua, solum hoc si quis excipiat, mori.
At serua nunc sum protinus vocabulum hoc
Minimè assuetum, facit vt expetam mori.
Dein forsitan continget immitis mihi
Herus, ære me quicunque commercabitur,
Et Hectoris quondam sororem, & plurium:
Adigénsque vi me, pinsere in tectis, solum
Verrisse coger, staminísque insistere,
Vitam exigentem duram & illætabilem.
Thalamóque nostros seruus emptus vndeuis
Fœdabit, antè destinatos regibus.
Absit. relinquam lucem ego istam libera,
Orco inferísque hoc corpus exponens meum.
Iam ducito me Vlysses, ac ductam immola.
Neque enim penes nos vel spei fiduciam
Vel opinionis video, cur mi debeam
Posthac benigna fata pollicerier.
At tu genitrix, nequid obsistas mihi
Verbóve facto ve: incita magis mori
Quò libeat antè quàm quid indignũ accidat.
NAM qui malis haud assuerit, fert quidem,
Dolet tamen quum colla supponit iugo.
At mortuus quàm viuus hic felicior
Foret. haud decorè viuere est ingens labor.

Ch. INEST in homine mira & euidens nota,
Probis satum esse. generis illustrat decus
Quisquis celebribus dignus est natalibus.

He. Dixisti honeste gnata: verùm isti dolor
Adest honestè. cæterùm si Pelei
Et facere gratum filio, simul & probrum
Effugere vultis, hanc Vlysses omittite,

Me ductam Achillis immoletis ad pyram.
Ne parcite, inquam. nam Parin produxi ego,
Qui Tethide natum petit arcu, ac perdidit.
Vl. Non te vmbra Achillis poscit Argiuos, anus,
Vt immolere, sed hanc poposcit virginem.
He. Vos attamen cum filia me occidite,
Duplúmque tellus sparsa sanguinis bibet,
Eiúsque manes, ista qui poscit sibi.
Vl. Sat filiæ mors, cæde cędem non decet
Cumulare: & ô si ne hæc quidem pendenda sit.
He. Gnatæ at necesse vtcunque commori meæ.
Vl. Quî? quando dominos esse non noui mihi.
He. Vt hedera quercu, sic ego huic inhæsero.
Vl. Haud feceris, si obtemperabis iis quibus
Et mentis & prudentiæ plusquam tibi est.
He. Non hanc ego volens omittam virginem.
Vl. At ego hinc relicta non abibo virgine.
Pol. Mihi mater audi, túque Laertæ genus
Parentibus concede meritò concitis.
Tu misera cum victore ne pugnaueris.
Sterni solo vis, ac trahi corpus tuum
Anile, per vim pulsa? vin' iuuenis manu
Fœdis modis reuulsa dedecorarier?
Isthæc vt accidant tibi, absit. haud enim decet.
Quin age manum da iam mihi dulcissimam
Dilecta genitrix, ac genam applicem genæ.
Posthac enim haud vnquã, sed extremũ iubar
Orbémque Phœbi hodie quidem conspexero.
Finem ergo nostri fac age alloquĩi cape,
Ac dicta mecum conferito nouissima.
O mater, ô parens, abeo iam ad inferos.
He. Heu gnata, nos in lumine hac seruibimus.
Pol. Frustrata sponso, ac debitis mihi nuptiis.
He. Miseranda gnata es, mulier infelix ego.
Pol. Illic iacebo in tartaro tete procul.
He. Hei misera, quid agã? vitã hanc quoad traham?

rem vlciſci. Ac re prius cum Agamemnone communicata, ancillam ſuam mittit ad Polymeſtorem, quæ eum vnà cum liberis ſuis ad ſe iubeat accedere. eſſe enim quiddam maximi momenti de quo velit cum illo colloqui. At ille ignarus Polydori cadaver in littore fuiſſe repertum, vnà cũ liberis ſuis ad Hecubã accedit. Ea ſimulat ſeſe ob eam cauſam accerſiuiſſe hominem, vt illi theſauros quoſdam antiquos in Ilio defoſſos indicaret: deinde iuſſo ſecedere ſatellitio, ſolum cum filiis in tentorium deducit, tanquam illi traditura quicquid pecuniarum è Troia ſecum extuliſſet. Erat autem illic abdita maxima mulierum turba, quibus adiuta, Polymeſtorem introgreſſum excæcat, ac liberos occidit. Agamemnõ audita vtriuſque cauſa, contra Polymeſtorem pronuntiat, qui videretur non inuandi Græcos ſtudio, ſed auri cupiditate puerum interemiſſe.

ACTIO FABVLAE CONSTITVITVR IN CHERRONESO,

quæ Phrygiam in qua eſt Ilium, habet ad Orientem, Thraciam reliquam ad Septentrionem. Chorus conſtat ex mulieribus Troianis captiuis, Hecubæ auxiliaturis.

PERSONÆ FABVLÆ.

POLYDORI occiſi vmbra.
HECVBA regina Troianorum.
CHORVS mulierum Troianarum.
POLYXENA filia Hecubæ.
VLYSSES.
TALTHYBIVS præco.
FAMVLA Hecubæ.
AGAMEMNON rex.
POLYMESTOR Thracum tyrannus.

EVRIPIDIS TRAGICI Poetæ Hecuba, Erasmo Roterodamo interprete.

POLYDORI VMBRA.

ADsum profectus è profundis manibus,
Noctísque portis, cæca quã silentium
Ab arce porro cæsitum sita est domus,
Polydorus Hecuba natus è Cisseide,
Priamóque patre. quem simul cepit timor
Ne Phrygia Graio marte caderent mœnia,
Me furtim alendum Troico emisit solo
Ad hospitam Polymestoris Thracis domum,
Qui Cherroneſi fertilem glebam colens,
Armis ferocem Martiis gentem regit.
Multúmque mecum clanculum misit pater
Aurum: vrbis vt si concidissent mœnia,
Ne victu egerent liberi superstites.
Erámque natu Priamidûm nouissimus:
Atque hac foras potissimum me gratia
Submisit, vt cui nec ferundæ lanceæ,
Et ad arma nondum tenera sufficeret manus.
Ita vsque donec recta stabant Pergama, &
Nondum iacebant Ilii turres soli,
Hectórque frater marte florebat meus,
Bene apud tyrannũ Thraca, patrium hospitẽ
Crescens alebar, plantulæ in modum miser:
At vbi interiuit Troia, simul & Hectoris
Vita, ac penates concidere patrii,
Deûmque ad aras ipse procubuit sacras,
Mactante Achillis prole sanguinaria,
Mox me paternus amicus auri gratia
Miserum trucidat, actrucidatum salo
Exponit, aurum vt ipse possideat sibi.
Nunc super arena littoris iaceo, hactenus

Nunc ſuper arena littoris iaceo, hactenus
Æſtu per æquor huc & huc vectus vago,
Inflctus, inſepultus. at iam promico
Charam ob parentem, corpore relicto meo.
Mihi ſupernis deuaganti ſedibus,
Superáque in aura, ſol agitur hic tertius.
Itidémque miſera tertium mater diem,
Extorris amplis Ilii pomeriis,
In hac adeſt tellure Cherroneſia,
Cunctíque Danai littore hoc in Thracio
Claſſem tenentes ocioſi deſident.
Nanque è ſepulchro viſus Æacides ſuo
Argiuûm Achilles tenuit omnem exercitum,
Remum ad penates dirigentem ponticum:
Meam is ſororem poſtulat Polyxenam,
Tumulo cupitum honorem & inferias ſuo
Dari. ac feret. neque enim hoc ſinent fruſtrarier
Honore amici. deinde decretum iubet
Fatale, cædi hac luce germanam meam.
Geminæque prolis gemina mater funera
Cernet, meúmque & lacrymandæ virginis.
Nam quò ſepulchri munus aſſequar mihi,
Ancillæ in vndis memet offeram ad pedes:
Venia impetrata diis ab inferis, vti
Tumulo potiar, in matris incidens manus.
Itaque (quod ad me) quicquid optaui aſſequar.
At anu à parente paululum abſcedam. hæc quidem
Iam regis è tentorio profert pedem
Agamemnonis, pauefacta de ſpectro mei.
O mater, huc proh viua perueniſti, vti
Prognata quum ſis regiis è ſtemmatis,
Indigna ferres ſeruitutis pondera?
Tam afflicta nunc & miſera, quàm florens eras
Quondam ac beata. τε aliquis extinxit Deus,
Fœlicitatis priſtinæ inuertens vices,
Bonáque anteacta paribus exæquans malis.

Hec. Ducite anum hancce foras ô famulæ,
Ducite sustentantes, vobis
Nunc conseruam Iliades, verùm
Dudum dominam: prendite, ferte,
Portate mei corporis artus,
Tollite, anilem corripite manum.
Ipsa ego torto nixa bacillo,
Annis tardum celerabo pedem, &
Alternos promouero pressus.
O fulgur Iouis, ô nox picea,
Vt quid ita sub nocte silenti
Terriculis visisque agitor?
O sacra tellus,
Gignens atris somnia pennis,
Sit precor irrita noctis imago,
Quam de gnato
Qui seruatur Thracibus oris,
Téque, Polyxena filia dulcis,
Alto vidi mersa sopore.
Nam terrificum vidi visum,
Didici, sensi.
O terrestria numina, gnatum
Seruate meum, qui iam solus
Generis superest anchora nostri,
Thraces habitans arua niualis,
Patrio commendatus amico.
Aderit iamiam quodcunque malum,
Luctúmque nouum luctibus addet.
Haud sic vnquam mens mea certo
Timuit, tremuit, tacta pauore.
Vbinam diuina Helenum mente,
Vbi Cassandram Iliades videam,
Vt mihi cæca insomnia pandat?
Vidi siquidem ceruam variam
(Visu miserum)
Nostro è gremio vi direptam,

Quam laniat lupus ore cruento.
Terrebar & hinc summum in tumulum
Vmbra ferocis venit Achillis,
Aliquam è miseris sibi Troadibus
Præmia poscens.
Procul à nostra, procul hæc (quæso)
Dii depellite somnia, gnatæ.
Ch. Ad te celeri præcurri Hecuba,
Pede, tentoria herilia linquens,
In quæ serua ego tradita sorte,
Vbi Troianæ è mœnibus vibis
Graiis abigor bellica præda.
Haud equidem vllum porto leuamen
Ærumnæ præsentis, at ingens
Insuper & graue defero pondus
Tibi priuatim ô mulier, sæui ac
Diri veniens nuntia luctus.
Nanque ferunt decernere Graios
Celebri cœtu, tuæ vti gnata
Manibus occidatur Achillis.
Qui sublimem scandens tumulum,
Scis fuluis quum apparuit armis,
Naues detinuit pontigradas,
Nixáque torto vela rudente,
Hæc vociferans, Quò iam Danai
Fugitis, nostros
Cineres deserturi inhonoros?
At lis multo est orta tumultu,
Ac variat sententia duplex
Bellaces Graiugenûm turmas,
Dum pars dandam tumulo inferias,
Pars mactari censet iniquum.
Atque inde tuæ studuit parti
Rex Agamemnon, id fatidicæ
Thalamis elargitus honoris.
Atque vicissim dixere duo

Theſidæ: (hos genuiſtis Athenæ)
Vna erat hæc ſententia vtrique,
Vti Pelidæ decorent tenero
Buſta cruore.
Nec placet vti Caſſandræ thalamos
Armis habeant pluris Achilli.
Et ſtudiis ferme hactenus æquis
Decertatum eſt: donec varius
Et ſuauiloquens ſuaſor, Achiuûm
Populo non ingratus Vlyſſes,
Omnem dictis flexit cœtum,
Ne pro captæ cæde puellæ,
Neglectum pateretur Achillem,
Vnum è Danais longè primùm:
Neu qui apud Perſephonen, ex iis
Qui bello cecidere, referret
Quàm malè gratus miles Achiuus
Danais Danaûm cauſa cæſis,
Ex Iliacis ceſſerit aruis.
Sed iam nunc hîc aderit Vlyſſes,
Iſto vti vellat ab vbere gnatam,
Eque manu vi tollat anili.
Proin templa adeas, adeas aras.
Accide Atridæ genibus ſupplex,
Prece ſollicita quicquid olympus,
Quicquid claudit terra deorum.
Siquidem aut places numina votis,
Ne miſerāda orbere puella,
Aut ſpectent tua lumina oportet
Ad tumulum procumbere ſparſam
Sanguine gnatam, déque aurifera
Ceruice atrum vndare cruorem.
Me. Heu me miſeram, quid vociferer?
Quónam vlulatu, quónam fletu
Plorem miſeræ miſera ſenectæ
Haud portandum

Seruitii haud tolerabile pondus?
Heu me me: quis opem mihi vindex
Tulerit? quænam natio? quænam vrbs?
Periit senior. gnati extincti.
Hucine an illuc flectam gressum?
Quò me vertam?
Vbi, quis deus aut dæmon præsens
Ferat auxilium?
Proh Iliades sæua ferentes,
Eheu sæua ferentes fata,
Extinxistis me, extinxistis:
Nec mihi posthac
Grata est supero in lumine vita.
Defer anum hanc ô pes infelix:
Hanc me infelix ducito ad aulam.
Eheu gnata, heu supra cunctas
Miseræ matris filia, prodi,
Prodi tectis, percipe matris
Filia vocem.
Vti cognoscas qualis qualis
Fama tua de vita fertur.

Pol. Ehem mater, mater,
Quid clamas? quid subitum apportans,
Sic me veluti volucrem tectis
Cogis trepidam prouolitare?

He. Heu me gnata.

Pol. Cur sermonum exordia mecum
Diro sumis ab omine mater?

He. Ah gnata, tuæ metuo vitæ.

Pol. Eloquitor, neque celato diu.
Paueo, miserè paueo mater.
Quæso quid ingemis?

He. Gnata, ah miseræ gnata parentis.

Pol. Cur istud ais?

He. Hoc gnatus contendit Achillis,
Communi decreto Argiuûm,

Vti Pelidæ gnata sepulchro
Mactata cadas.
Pol. Eheu genitrix, vt mala nobis
Immensa refers!
Aperi sodes, aperi mater.
Hec, Rumorem ad fero filia dirum:
De cæde tui
Scitum populus sanxit Achiuus.
Pol. O te afflictam! proh ter miseram!
O malè faustæ genitrix sortis!
Quam tibi tristem rursus luctum
Infandúmque & acerbum mouit
Dæmon aliquis!
Nõn iam gnata hæc, non tibi posthac!
Infelice senecta infelix
Cõseruiero. nanque perinde ac
Hinnuleum, seu montibus hirtis
Alitam vitulam, miseram misera
Mox de manibus velli aspicies,
Ac sub humum, ceruice recisa,
Obscuro demittier orco:
Illic inter lumine casios
Degam infelix.
Sed te miseram luctu omnigeno
Defleo mater. nam mea fata,
Sortémque grauem non lamentor,
Quum mihi casus sit & optandus
Cedere vita.
Ch. Sed ecce, Vlysses huc citus mouet gradum,
Hecuba, tibi aliquem nuntium ferens nouum.
Vlys. Te scire mulier credo placita exercitus,
Et quæ inter omneis vicerit sententia,
Haud te latere puto: sed exponam tamen.
Visum est Pelasgis, tua vti gnata Polyxena
Cadat ad sepulchri Achillis excelsum aggerem.
At virginis nos esse solennes duces

Statuêre, Pyrrhus Æacidæ proles, huic
Præfectus author ac sacrificus hostiæ.
Scin' ergo quid ages? néve vi retraxeris,
Mecúmve manibus ne velis contendere.
Agnosce vires Danaidûm qui hæc imperant,
Simúlque quantis obruare nunc malis. (malis
SCITVM est profectò quiddam, & in mediis
Ea quenque secum sapere quæ sapere est opus.
Hec. Væh væh, adest discrimen (vt video) graue,
Gemitúque plenum, & non inane lacrymis.
Neque enim ipsa dudũ vitam acerbã & asperã
Illic reliqui quo mori decuit loco:
Neque me interemit Iuppiter, sed in hoc alit
Tristissimis vti tristiora conspicer.
Proh misera! sed iam si licet captis, neque
Molesta, nec quæ mordeant animum, loqui
Heris, rogeris oportet & paucis mihi,
Atque vt vicissim nos rogantes audias.
Vlyss. Licet. roga. neq; enim hoc tibi inuideo moræ.
He. Scin' Ilium explorator vt subieueris
Pannosus atque squalidus? genas tuas
Stillæ obsidebant mortis, oculis excitæ.
Vl. Memini. haud enim hæc res sũma strinxit pecto-
He. Ten' agnitũ vni prodidit Helene mihi? (ris.
Vl. Meminimus, in discrimen adducti graue.
He. Suppléxque factus genua tangebas mea?
Vl. Sic: manus vt istis instupescerent peplis.
He. Dedin' ergo vitam, & Ilio emisi solo?
Vl. Ita: vt hoc profectò solis aspiciam iubar.
He. Quid tum loquutus, quum mihi in manu fores?
Vl. Quò me necis subducerem periculo,
Omneis vaferrum comminiscebar dolos,
Cunctásque pariter persuadendi vias.
He. Lege igitur istac gratiam refers malam,
Quum tuleris à me quæ tulisse non negas,
At nihil iuues nos, sed magis pro viribus

Incommodes, benefacta compensans malis.
VESTRVM genus mortalium ingratissimũ
Quicunque plebis concionibus leues
Captatis auras, cognitum heu mihi plus satis
Quà damnum amicis ferre non facitis pili,
Modò differatis grata multitudini.
At iure quonam, aut quid sequuti, virginem
In hanc, credo, decreta sanxerunt necis?
Ipsúmne decus hoc suasit, homines cædere
Tumulis, vbi bos victima addecet magis?
An porro Achilles mortis auctores suæ
Punire quærens, iure in hanc refert necem?
Atqui hæc in illum sceleris admisit nihil:
Helenam sepulchris hostiam par est peti:
Illa hunc peremit, illa traxit ad Ilium.
Quòd siqua vultu legitur ex captis neci
Formáque præstans cæteris, non nostrũ id est.
Quippe ore multo Tyndaris decentior,
Eadémque quàm nos non minus dedit mali.
Atque hæc pro æquo dixerim quidẽ ac bono.
At nunc mihi quæ te reposcenti inuicem
Reponere æquum est, accipe æquis auribus.
Meam (quòd ipse nõ negas) humilis manũ, ac
Supplex anilem hanc contigisti tum genam:
Nunc hæc vicissim prona contingo tui,
Beneficiúmque tunc datum reflagito,
Itémque supplex obsecro ne filiam
Mihi puellam manibus abripias meis,
Néve perimatis, quippe funerum satis.
Oblecto in hac me, sortis oblita grauis.
Solamen hæc est vna pro multis mihi,
Vrbs, atque nutrix, scipio, rectrix gradus
IN IQVA victis imperare non decet,
Queis sors dedit rerum potiri ac vincere
Neque queis secundæ res, oportet fidere
Itidem futuras semper ex sententia.
Etenim ipsa, quondã quæ fui, nõ sum amplius,

Opes sed omnes vnicus rapuit dies.
Age amica barba paululum me respice,
Misereſce,& adiens rursum Achiuûm exercitũ
Doceto quàm sit sæuum atróxque fœminas
Mactare,quas non interemistis prius
Raptas ab aris(sed peperciſtis) sacris.
Lex æqua porro vos apud,de sanguine,
Seruíſque liberíſque capitibus stata est.
Si vel malè hæc authoritas dicat tua,
Flectet. QVOD à leuibus profecta oratio,
Et à probatis,non idem valet eadem.
Ch. Tam rigida nusquam est vlla mens mortalium
Audita quam non ista comploratio
Ingénsque luctus cogat edere lacrymas.
Vlyſ. Audi Hecuba,néve mente percita,virum
Qui recta dicat,maleuolum fingas tibi.
Ego quidem vitam tuerier tuam,
Per quam ipse viuo,cupio:nec dicam dolo:
At quæ palàm suasi,ea haud negauerim,
Nempe vrbe capta,exercitus primario
Gnatam immolandam (quãdo postulat) tuam.
HINC nanque plures defluunt respublicæ,
Dum strenuum qui præbet ac fortem virum,
Non plus honoris quàm vir ignauus capit.
Nos contrà Achillem dignũ honore ducimus,
Vt qui pro Achiuis ceciderit promptiſsimé.
QVAM turpe, siquem viuum amicũ sensimus
Huic desinamus esse amici mortuo?
Age,quid futurum,siqua rursum appareat
Acies coacta,& hostium certamina?
Vtrum manus iam conseremus,an magis
Vitæ ac saluti consulemus?quippe qui
Fraudari honore cernimus quiſquis cadit.
Ac mihi profectò,luce donec hac fruar,
Quantumlibet pusilla,sufficiant tamen:
Porro sepulchrum conspici exoptem meum

Insigne: quando durat in longum hic honos.
At misera patior, inquis. audi contrà ad hæc.
Sunt & Pelasgis neutiquam miseræ minus
Anúsque, & annis te priores fœminæ,
Sponsæque sponsis orphanæ præstantibus,
Hîc ossa quorum puluis Idæus tegit.
Fer ista. Nos si perperam decernimus
Decorare fortem præmio merito virum,
Insciliæ ipsi obnoxii tenebimur.
At barbari, neque hos amicos ducitis
Qui sunt amici: neque decorè qui oppetunt
Suspicitis. hinc & nostra floret Græcia:
Vos contrà habetis instituto congrua.
Ch. HEV seruitus vt semper est miserrima,
Subacta vi fert præter æquum plurima.
He. Ah gnata, in auras irrita hæc oratio
Fustra mihi iactata de tui nece.
Tu, si amplius quid, quàm valet mater, vales,
Annitere, omneis ad modum luscinix
Experta voces, vita ne pereat tibi.
Miseranda Vlyssis accide huius ad genu,
Et commoue: argumentum habes (ipsi quoque
Sunt liberi) quò fata miseretur tua.
Pol. Video te Vlysse dexteram sub pallio
Manum occulentem, & ora vertentem retro,
Tetigisse malam ne mihi sit fas tuam.
Animo bono sis iubeo, méque nuntia
Scito, quod ad me pertinebit, te fore
In tuto, & effugisse (si quis supplices
Curat fauens, æquúsque respicit) Iouem.
Nam te sequar, vel quia trahat necessitas,
Vel quòd mori experiam ipsa: sin velim minus,
Vitæ auida mulier videar ac timida omnibus.
Quæ nanque vitæ causa iam supereſt mihi?
Vt cui pater rex omnium fuerit Phrygum,
(Etenim rudis mihi lucis hoc initium)

Dein spes ad amplas educabar, regibus
Nuptura, multis æmulantibus procis,
Quis me ad penates duceret victor suos.
Regina ego proh misera fœminis eram
Troadibus, inter virgines insignis, ac
Diis æqua, solum hoc si quis excipiat, mori.
At serua nunc sum protinus vocabulum hoc
Minimè assuetum, facit vt expetam mori.
Dein forsitan continget immitis mihi
Herus, æreme quicunque commercabitur,
Et Hectoris quondam sororem, & plurium:
Adigénsque vi me, pinsere in rectis, solum
Verrisse coger, staminíque insistere,
Vitam exigentem duram & illætabilem.
Thalamósque nostros seruus emptus vndeuis
Fœdabit, antè destinatos regibus.
Absit. relinquam lucem ego istam libera,
Orco inferíque hoc corpus exponens meum.
Iam ducito me Vlysses, ac ductam immola.
Neque enim penes nos vel spei fiduciam
Vel opinionis video, cur mi debeam
Posthac benigna fata pollicerier.
At tu genitrix, nequid obsistas mihi
Verbóve facto ve: incita magis mori
Quò libeat antè quàm quid indignũ accidat.
NAM qui malis haud assuerit, fert quidem,
Dolet tamen quum colla supponit iugo.
At mortuus quàm viuus hic felicior
Foret. haud decorè viuere est ingens labor.

Ch. INEST in homine mira & euidens nota,
Probis satum esse. generis illustrat decus
Quisquis celebribus dignus est natalibus.

He. Dixisti honeste gnata: verùm isti dolor
Adest honestè. cæterùm si Pelei
Et facere gratum filio, simul & probrum
Effugere vultis, hanc Vlysses omittite,

Me ductam Achillis immoletis ad pyram.
Ne parcite, inquam. nam Parin produxi ego,
Qui Tethide natum petit arcu, ac perdidit.
Vl. Non te vmbra Achillis poscit Argiuos, anus,
Vt immolere, sed hanc poposcit virginem.
He. Vos attamen cum filia me occidite,
Duplúmque tellus sparsa sanguinis bibet,
Eiúsque manes, ista qui poscit sibi.
Vl. Sat filiæ mors, cæde cędem non decet
Cumulare: & ô si ne hæc quidem pendenda sit.
He. Gnatæ at necesse vtcunque commori meæ.
Vl. Quî? quando dominos esse non noui mihi.
He. Vt hedera quercu, sic ego huic inhærsero.
Vl. Haud feceris, si obtemperabis iis quibus
Et mentis & prudentiæ plusquam tibi est.
He. Non hanc ego volens omittam virginem.
Vl. At ego hinc relicta non abibo virgine.
Pol. Mihi mater audi, túque Laertæ genus
Parentibus concede meritò concitis.
Tu misera cum victore ne pugnaueris.
Sterni solo vis, ac trahi corpus tuum
Anile, per vim pulsa? vin' iuuenis manu
Fœdis modis reuulsa dedecorarier?
Isthæc vt accidant tibi, absit. haud enim decet.
Quin age manum da iam mihi dulcissimam
Dilecta genitrix, ac genam applicem genæ.
Posthac enim haud vnquã, sed extremũ iubar
Orbémque Phœbi hodie quidem conspexero.
Finem ergo nostri fac age alloquĩi cape,
Ac dicta mecum conferito nouissima.
O mater, ô parens, abeo iam ad inferos.
He. Heu gnata, nos in lumine hac seruibimus.
Pol. Frustrata sponso, ac debitis mihi nuptiis.
He. Miseranda gnata es, mulier infelix ego.
Pol. Illic iacebo in tartaro tete procul.
He. Hei misera, quid agã? vitã hanc quoad traham?

Pol. Ancilla moriar, patre nata libero.
He. At ego orba quinquies decem iam liberis.
Pol. Quid Hectori ex te nuntio, aut seni viro?
He. Dic fœminarum me omnium miserrimam.
Pol. O pectus, & queis alita blandè sum vbera.
He. Proh ante tempus fati acerbi filia!
Pol. Vale ô parens: Cassandra iam mihi vale.
He. Alii valebunt, istud haud matri est datum.
Pol. Quíque in fera es Polydore frater Thracia.
He. Ita, si quidem ille viuit. atqui non puto:
Adeo vndiquaque prorsus infelix ego.
Pol. Viuit, premétque mortuæ tibi lúmina.
He. Ego & ante mortem præ malis sum mortua.
Pol. Me duc Vlysses, flammeo obuoluens caput.
Etenim priusquam macter, exanimor meæ
Luctu parentis, & hanc neco ploratibus.
O lux: licet nam homen affari tuum.
Neque vlla posthac copia dabitur tui
Nobis fruendi, nisi quod interest moræ
Ad ensem eúnti hinc, atque Achillis ad pyrã.
He. Soluuntur artus hei mihi, ac mens deficit.
O gnata matrem prende. porge dexteram.
Da: ne relinquas orbam. Amicæ, concidi.
Vtinam Lacænam sic sororem Castoris
Helenam viderem, quæ decentibus oculis
Florens peremit indecenter Ilium.
Ch. Aura, pontica aura,
Quæque pontigradas per vndam
Rateis celeres agis marinam,
Quò loci miseram vehes me?
Addicta cui sub ædes
Ancilla deferar?
Ad littora Dorica, ánne
Ad Phthiada, quo loco aiunt patrem eximii laticis
Currere Apidanum, satáque rigare: an

Falsò misera remo
Illam appellar in insulam, pro-
ductura domi dies acerbos,
Primitiua vbi palma frondet,
Laurúsque sacros in altum
Latona tibi edit
Gratissima ramos,
Partus monumenta dii?
Ac cum Deliacis puel-
lis, Artemidísque deæ
Spicula arcúsque canam, aureámque vittam?
An Palladis vrbe, quam
Currus nitidi vehunt,
Peplis in croceis equos
Sub iuga splendida mittam?
Pingens varia crocóque
Sindone florulenta?
An Titanum ad sobolem,
Quam Saturnius igniuomo re-
Væh liberis meis,
Væh patribus, ac solo
Quod fumo concidit,
Martéque captum, & exustum
Ab Argiuis. at ipsa in
Tellure vocabor externa,
Serua, Asiam fugiens
Europæ famulantem:
Mutans morte faces thalami.

Tal. Vbi, Phrygum regina quæ dudum fuit,
Hecubam, puellæ Troades, conuenero?

Ch. Eccam haud procul te: tergo humi strato cubat,
Talthybie præco, circumoperta linteis.

Tal. O Iuppiter, quid dicam? vtrum mortalia
Respicere te? an nos opinione fallier,
Falsò putantes esse diuorum genus?

Casu sed omneis res agi mortalium?
Non hæc modò regina ditium Phrygum?
Priami vxor ista nónne locupletissimi?
Nunc vrbs quidem eius funditus bello iacet,
At ipsa, anúsque, & serua, & orba liberis
Iacet, inquinata puluere infaustum caput.
Eheu, senex sum, sed tamen mori prius
Quàm fœdus vllus accidat casus, velim.
Exurge misera, tolle subductum latus,
Quódque omne canis albicat pilis caput.
Hec. Ehem, quis hic qui corpus haud sinit meum
Iacere? quid me, quisquis afflictam moues?
Tal. Talthybius adsum, Achiui, mulier, agminis
Minister, accersente te hinc Agamemnone.
Hec. O vir mihi charissime, an quòd me quoque
Visum est Pelasgis ad sepulchrum occidier,
Ob id venis, vt grata perferres mihi?
Properemus, acceleremus. age duc me senex.
Ducturus adriuulum [illegible] vt cadauer sepelias, te mulier hinc,
Geminíque Atridæ exercitúsque Achaicus.
Hec. Miseræ hei mihi, quid ais? ergo non adisti, vti
Moriamur & nos, verùm acerba nuntians?
Gnata interisti matris auulsa è sinu.
Ego orba posthac liberis. miseræ hei mihi.
Sed illam vt occidistis? an reuerentius?
An sic vt hostis diriter letho est data?
Dic hæc senex, haud læta dicturus licet.
Tal. Duplices mihi vis me parare lacrymas,
Miseratione filiæ mulier tuæ.
Et hîc enim tam sæua cõmemorans, genã hanc
Fletu rigaro: maduit & lacrymis mihi
Modò ad sepulchrum, cæsa dum ferro occidit.
Turba aderat vniuersa Achiui exercitus
Frequens sepulchro, filiæ ad cædem tuæ.
Polyxenam autem Pyrrhus apprensa manu,

Summo ſepulchro ſtatuit. atqui ponè ego
Lectíque iuuenes ex Achiuis inclyti,
Saltum iuuencæ vt prohibeant manibus tuæ,
Sequuntur, ac plenam tenés pateram, vndique
Auro nitentem natus Æacide manu,
Fudit parenti mortuo libamina,
Mihi innuit, præconio ſilentium
Indicerem omni Achiuûm multitudini.
Egóq; inter omnes medius adſtãs, hæc loquor,
Silete Achiui, pax ſit omni cœtui,
Pax & quies. ſtatui quietum exercitum.
Hîc inquit, O mi nate Peleo pater,
Libationes propitius cape has meas,
Placida abditorum manium euocamina.
Atque huc ades, quò purpurantem combibas
Puræ puellæ ſanguinem, quem tibi damus
Ego atque populus: iámque nobis ſis fauens,
Soluens rudentem & nauium retinacula.
Concede nobis ſoſpites ab Ilio
Omneis reuérſos patriam reuiſere.
Hæc ille: at omnis populus apprecatus eſt.
Loculis ſub hæc mox aureis pictum notis
Educit enſem: iuuenibus Graio agmine
Lectis, puellam vt prenderent, manu innuit.
Vbi ſenſit illa, hos ore prodidit ſonos,
O qui excidiſtis oppidum Argiui meum,
Cupidè obeo: nequis corpus attingat meum.
Intrepida ſiquidem colla porrigam, ac volens,
Quò ingenua moriar: liberam me per deos
Sinite immolãtes· quippe apud manes quoque,
Regina quum ſim, dicier ſeruam pudet.
Turba adfremebat. rex & ipſe iuuenibus
Mox imperat quò virginem remitterent.
Hi, ſimul vt audiere vocem regiam,
Sũmámq;, omittũt. nã hũc penes ius primũ erat.
Vbi illa ſenſit iuſſa principum, illico

Summo prehenſos pectore, ſcidit manu
Ad vmbilicum, ventris ac medium, peplos:
Sinúmque monſtrat, & velut ſtatuæ ad modum
Mammas decentes: dehinc humi figens genu,
Verba ore fudit omnium miſerrima,
En iuuenis, hoc ſi pectus enſe mauoles
Promptum ferire, ferito: ſin ceruicem, adeſt
Exprompta ceruix. Tum miſertus virginis
Pyrrhus, volénſque, & non volés, atque hæſitãs,
Animæ meatus enſe librato ſecat.
Fluxere venæ. at illa iam moriens, tamen
Sollicita mirè eſt, condecenter vt cadat,
Celétque quæ celare decet oculos virûm.
Lethalis aſt vbi vitam ademerat mucro,
Labor ex Achiuis idem habebat neminem.
Alii iacentem frondibus conſternere,
Alii ſupremum ſedulò apparant rogum,
Tædas ferentes pineas. Qui nil tulit,
Malè audiebat à ferente, hunc in modum,
Ignaue ceſſas, nec puellę amiculum,
Nec aliud vllum munus adferens manu?
Nil es daturus virgini promptiſſimæ,
Animóque ſummo? De perempta filia
Hæc tum ferebant. liberorum at te quidem
Matrem optimorum, verùm eãdem ex omnium
Grege fœminarum conſpicor miſerrimam.
Ch. Acerba quędam Priamidas clades premit,
Vrbémque noſtram. fata ſunt iſthęc deûm.
Hec. In quod malorum, gnata, quum adſint plurima,
Intuear, hæreo. Si quod attingam, illico
Aliud vetat: rurſum alia me moleſtia
Aliò vocat, maliſque ſuccedunt mala.
Et nunc, acerba fata ne plorem tua,
Nequeam profectò temperare pectori.
Hoc rurſus ipſum, nempe ne gemam admodum,
Nimíſque acerbè, ſuſtuliſti, ſtrenua

Mihi nuntiata. NON nouum ergo, si mala
Fauente cælo terra fert segetem bonam:
Bona, destituta quibus opus fuerat, malum
Fructum edit: at mortalium quisquis malus,
Nil possit aliud esse, quàm semper malus:
Frugi, vsque frugi. Sors nec ingenium viri
Aduersa vitiat, sed probus semper manet.
Vtrum id parentum, an educantium magis?
RECTE educari scilicet nonnullam habet
Doctrinam honesti: quod quidé quisquis probè
Tenet, idem honesti ad regulam nouit scelus.
Sed inaniter iam mens mihi hæc effutiit.
Tu porrò Achiuis vade & ista nuntia,
Ne filiæ quis applicet manum meæ,
Veténtque populum. NAM frequéti in agmine
Indomita turba est, ac tumultus militum
Siquando nullo cohibeatur principe,
Vincit furens incendium. quisquis mali
Nihil hic patrarit, ille demum erit malus.
At tu vetus ministra sumito situlam,
Atque huc reporta pontico impletam salo,
Vti supremis te lauacris filia,
Innupta, nupta, virgo non virgo, lauem:
Et vt tibi exhibeam quibus digna es. sed id
Quî? aut vnde? nequaquam potero: veruntamẽ
Sic vt licebit. nanque quid aliud agam?
Mundúmque captis colligens à fœminis
Quæ mecum in iisdem desident tentoriis,
Siqua ex penatibus aliquod suis habet
Furtum, insciis quos nacta nuper est heris.
Tecta ô decora. proh beatæ olim domus,
O liberis opibúsque florentissime
Priame, vetúsque ego illa liberûm parens,
Vt pristina exuti superbia, ad nihil
Recidimus: & post ista adhuc tumescimus,
Locupletibus nostrûm hic quidem penatibus,

Præfulsit hic quòd dignitate ciuibus.
Curarum inania mentis hæc sunt somnia,
Linguæque fastus. Ille felicissimus
Est, cui nil contigerit in vita mali.
Cho. Mihi ærumnam Atropos,
Mihi cladem dei parabant,
Syluam vt primùm abiegnam in Ida
Alexander incidit,
Liquida vada rate transiturus audax
Helenæ ad thalamos, iubar quam
Pulcherrimam auricomi in
Orbe videt Phœbi.
Nam mala en nos malísque vallant
Tristiora fata.
Priua amentia ciuitati
Malum publicum Iliacæ
Peperit, & ab aliis profecta clades.
Iudicatáque lis in Ida est,
Qua treis cælicolûm puellas
Pastor iudicauit ad
Belláque, stragémque, &
Meæ exitium domus.
Gemítque fortè quæpiam ad
Vndosum Eurotam
Lacæna lacrymosa puella in ædibus.
Capiti quoque mater albo,
Orbata gnatis, iniicit
Manum, & vnguem in ora cruentum
Infigit auida, dilaniátque malas.
Fam. Vbi Hecuba multo, fœminæ, miserrima?
Quæ superat omne virûm ac simul nostrũ ge-
Malis? nec vllus palmam ei præceperit. (nus
Cho. Vt misera nunquam dormiunt vocis tuæ
Malè ominosæ tristia præconia!
Fam. Hecubæ doloré hũc adfero. PORRO in malis
Haud est facile bene ominata dicere.

Ch. Ac fortè tectis prodiens videlicet
Verba inter ipsa commodè apparet tua.
Fa. O misera prorsus,& magis quàm proloquor,
Hera:occidisti,viua non es amplius,
Orba vrbe,gnatis,ac marito perdita.
He. Ais nouum nil,ac scientibus opprobras:
Sed quid cadauer hoc Polyxenæ venis
Portans,sepulchrum cuius Argiuûm manu
Modò nuntiatum est omnium properarier?
Fa. Nihil ista nouit,sed Polyxenam mihi
Deflet:nouarum cladium attingit nihil.
He. Heu misera,vatis nunquid huc adfers mihi
Sacro citum furore Cassandræ caput?
Fa. Viuam eloquuta es:mortuum hunc nihil gemis?
Atqui retectum iam cadauer inspice:
Noua res & insperata se offeret tibi.
He. Extinctus eheu cernitur gnatus mihi
Polydorus,à me Thraci creditus viro.
Infausta [illegible] iam posthac.one,
O pignus:heu,ohe.cantionem Mænadum
Ingredior,hæc noua ab hoste rescisens mala.
Fa. Infausta gnati fata cognoscis tui?
He. Inopina,mira,noua,noua aspicio.malis
Prognata ab aliis,alia contingunt mala,
Nec vllus absque lacrymis vnquam dies
Suspiriisque me relinquet tristibus.
Ch. O infausta,dira,dira perpetimur mala:
He. Heu gnatæ,gnatæ matris infaustissimæ,
Quo genere mortis occidisti?quo iaces
Fato?peremit te quis è mortalibus?
Fa. Me latet.at hunc in littore offendi maris.
He. Iectum ab vndis,an trucidatum manu?
Fa. In littus arenosum
Marinus illum fluctus æstu eiecerat.
He. Hei mihi,væh,væh:
Didici mihi nocturna visa insomnia:

Non me fefellit furua imago, quæ mihi eſt
Conſpecta de te gnate, quòd non amplius
Superſtes aura veſcerere cælica.
Ch. Scis qui peremit, ſomnii prudens? cedo.
He. Bellator hoſpes ille Threicius meus,
Vbi ſenior illum collocarat clam pater.
Ch. Heu quid ais? auro quo potiretur, tuum,
Ita vt videtur, interemit filium.
He. Infanda, abominanda, pluſquam mira, nec
Pia, nec ferenda. vbi hoſpitum ius ac fides?
Ohe vir execrate, vt enſe ferreo
Puerile corpus conſcidiſti? nec ferum
Commouit ætas, pectus vbi diſcerperes?
Ch. Vt miſera te mortalium infauſtiſſimam
Statuit, deorum quiſquis infenſus tibi eſt!
Ipſum ſed ecce conſpicor Agamemnonem
Regem: loqui iam deſinamus obſecro.
Aga. Gnatam ſepultum quin venis Hecube tuam?
Nam ſic vti [illegible] mihi.
Ne quiſquam Achiuûm filiam attingat tuam,
Sinimus quidem illam nos, manu nec tangimus.
At ipſa ceſſas. proinde miror ego. Sed huc
Vt te illò mittam, venio. quippe illinc bene
Peracta res eſt, ſiquid eſt in his bene.
Hem, quem virum hîc intueor in tentoriis
Phryga interemptum? nanque corpus ambiens
Non eſſe Danaum nuntiat amictus mihi.
He. Infauſta (memet enim loquor, quum te loquor
Hecube) quid ago? numnã huius accedo ad genu
Agamemnonis? an hoc tacita perfero malum?
Aga. In ora tergum quid mihi obuertens tuum
Lacrymas? quid acciderit, taces? iſthic quis eſt?
He. At fortè reputans hoſtem & ancillam eſſe me,
Genibus repellet, & auxero moleſtiam.
Ag. DIVINVS haud ſum: nec niſi audiero, queam
Viam tuorum noſſe cogitatuum.

He. At huius animum cur vt hostícum magis
Interpretamur, quum sit hostis haud tamen?
Ag. Huiusce si nil scire me voles rei,
Mecum facis. neque enim cupio cognoscere.
He. Hoc absque, ferre liberis opem meis
Minimè potis sim. Sed quid hæc verso? necesse
Audere, seu impetro, siue & impetro nihil.
Agamemnon, en per genua supplico tibi,
Tuámque malam & auspicatam dexteram.
Ag. Rei quid optans? nunquid hoc, vt libera
Æuum exigas? id facilè continget tibi.
He. Minimè: sed vlta maleficos ac perfidos,
Seruire reliqui quicquid est æui velim.
Ag. Nostram ergo mulier ad quid imploras opem?
He. Nil tale prorsus quale tu rex autumas.
Vides cadauer hocce quod ego lacrymo?
Ag. Video. futurum quid sit haud etiam scio.
He. Peperi hunc ego olim, ac ventre gestaui meo.
Ag. Est hic tuorum misera quisquam liberûm?
He. At non eorum qui iacent sub Ilio.
Ag. Num præter illos edidisti quempiam?
He. Inutiliter, vt re liquet. nam hunc quem vides.
Ag. Vrbs quum periret, hic vbi tum fortè erat?
He. Emiserat, quò sospes esset, hunc pater.
Ag. Quò semouens à cæteris vnum omnibus?
He. Tellurem in hanc, in qua repertus mortuus.
Ag. Ad hunc tenet qui sceptra Polymestor loci?
He. Seruator auri missus huc tristissimi.
Ag. Quis interemit? quóve fato extinctus est?
He. Quis alius? hospes hunc peremit Thracius.
Ag. Miser heu, potiri cupidus auri scilicet.
He. Sic habet: vbi iam fata cognouit Phrygum.
Ag. Hunc nacta alicubi es mortuũ, aut quis attulit?
He, Hæc, in marino fortè nacta littore.
Ag. Vtrúmne quærens hunc, an aliud quiddã agens?
He. Ierat lauacra ferret vt Polyxenæ.

Aga. Eiecit, vt videtur, hospes hunc necans.
Hec. Ponto vehendum, membra sic sic dissecans.
Aga. Miseranda mulier, obruta immensis malis.
Hec. Perii, nec vllum restat Agamemnon malum.
Aga. Heu quæ perinde infausta mulier extitit?
Hec. Nulla est, nisi ipsum dicis infortunium.
Quapropter autem genibus aduoluor tuis,
Audito: & æqua si tibi videar pati,
Mittam querelas: sin minus, te vindicem
Præbe mihi hospitis omnium impiissimi,
Qui nec superta nec infera verens numina,
Manu peregit facinus immanissimum,
Mensa receptus sæpe communi mihi,
Primúmque amicos inter obtinens locum,
Demum assequutus quicquid æquũ erat, dolis
Præcogitatis filium occidit meum.
At nec sepulchro, quandò decreuit necem.
Dignatus est, sed æquori abiecit fero.
Nos imbecilles forsan & captæ sumus,
At dii valentes, léxque diuis imperans.
Etenim vel ipsos lege censemus deos.
Æqua atque iniqua hac finientes viuimus.
Ea siquidem ad te pertinens pereat, neque
Pœnas luant ii qui trucidant hospites,
Vel audeant qui sacra diuis tollere,
Iam pensi erit mortalibus prorsum nihil.
Hoc itaque fœdum si putas, me respice,
Miserere nostri: pictor & veluti procul
Stans me intuere, quanta perpetiar mala.
Regina dudum, ancilla nunc quidem tua.
Modò cincta gnatis, orba nunc, anus simul
Deserta, & exul, infima in mortalibus.
Hei misera, quónã clàm mihi abducis pedem?
Sum actura, quantum apparet, infœlix nihil.
QVID disciplinis (dignum vt est) in cæteris
Sudauimus, atque singulas inquirimus,

Ac non magis ſuadela, quæ mortalibus
Regina ſola eſt, examuſſim exquiritur,
Datóque pretio diſcitur, quò quæ velit,
Ea quiſque perſuadere poſſit & aſſequi?
Quis itaque poſthac læta promittat ſibi?
Gnati tot illi, non mihi adſunt amplius:
Abducor ipſa capta, & indigna patiens.
Vrbíſque fumum en ſubuolantem conſpicor.
Aſt illud (etſi forſan importunius
Hunc admonere veneris) eloquar tamen.
Mea gnata Phœbas ad latus cubat tuum,
Quam multitudo Phrygia Caſſandram vocat,
Vbi quæſo nocteis rex ſuaueis iam refers,
Dulciſſimorum aut in thoro complexuum
Quam gnata gratiam feret, & ex illa ego?
SIQVIDEM tenebræ & noctis oſcula ſcilicet
Summam inter homines benecuolentiam ferunt.
Nunc igitur audi: hunc mortuum coram vides.
Hunc ſi iuuabis, quum ſit affinis tibi,
Facies probé. vnius parum eſt oratio
Membri, nec vna lingua nobis eſt ſatis.
Vtinam quidem fiant mihi vocalia
Brachia, manúſq;, comæque, & extremi pedes,
Seu Dædali arte, ſiue quopiam deo,
Vt cuncta pariter genua contingant tua,
Ploréntque, & omnis generis emittant ſonos.
O rex, & ô lux ſumma Achiuûm, flectere,
Dextrámque opiferam porge ſupplici rei
NIL aliud vt ſit, attamen viri eſt probi
Vt faueat æquo, iuſta, quod poteſt, iuuans:
Contrà, maleficos ſemper afficiat malis.
Ch. Mirum eſt profectò vt incidant mortalibus
Præfixa certis cuncta fati legibus:
Dum qui fuere nuper inimiciſſimi,
Statuunt amicos: rurſus & qui benecuoli
Fuerant, eos odiis acerbant mutuis.

Aga. Ego téque gnatúmque, Hecuba, fortunas tuas
Suscipio miserans, supplicem simul manum:
Volóque, & deorum & æquitatis gratia,
Pœnas tibi istas hospitem impium dare,
Siquo videbis posse confieri modo
Simul vt tibíque commodetur, nec tamen
Me multitudo fauore Cassandræ sciat
Necem hanc tyranno Thracio molirier.
Scrupulo illud animum turbat iniecto meum,
Quòd illum amicum copiæ ducunt virum.
At rursus istum, qui peremptus est, suum
Hostem autumant. is siquidem est charus tibi:
Priuatim id est, nec pertinet ad exercitum.
At ista specta: nam volentem me quidem
Habes, vt adsim rebus adiutor tuis,
Opémque ferre promptum & accinctum tibi.
Contrà pigrum, si offendo multitudinem.

Hec. Heu,
Vt nemo quisquam liber est mortalium! aut
Fortuna seruum reddit, aut pecunia:
Aut scripta lex, aut multitudo ciuium
Vetat suopte viuere ex arbitrio.
Sed quia paues, nimiisque multitudini
Tribuis, ego isto te leuauero metu.
Sis conscius modò siquid intendam mali
Huic qui peremit: cæterùm adiutes nihil.
Tantùm hoc ferente quæ feret, siqui interim
Existet aut tumultus, aut succursio,
Compesce tu, studere dissimulans mihi.
Porrò alia (fide) cuncta conficiam probé.

Aga. Quî quæso quid ages? num manu, quũ sis anus,
Ferro prehenso barbarum interimes virum?
An magè venenis? siue quali tandem ope?
Tibi vnde amicos? quæ tibi assistet manus?

Hec. Hæc ipsa claudunt tecta Troadum gregem.

Aga. Prædam Pelasgûm fortè captiuas ais?

He. Per has quidem ſum vltura carnificem meum.
Aga. Et quî virile robur aderit fœminis?
He. RES valida, multitudo, nec ſuperabilis,
Armata quando eſt clancularijs dolis.
Aga. Res valida: ſed muliebre non probo genus.
He. Quid? nónne iuuenes nuper Ægypto ſatos
Omneis ſemel fœminea confecit manus?
Maréſque Lemno ſuſtulere fœminæ?
Sed qua gerendum ſit via negocium,
Iſtam mihi relinque ſollicitudinem.
Quin fœminam hanc per copias duci iube
Tutò: hoſpiti ſed tu per aſtum Thracio
Dic, Aduocat regina te dudum Ilii
Hecube, tuapte gratia haud minus ac ſua,
Gnatóſque refert ſcire & hos, quæ mox tibi
Narrabit illa. Sed recentem victimam
Agamemnon inter hæc veta ſepelirier,
Germanus vnà vt cum ſorore, vno rogo
Geminus dolor parenti, humo condi queant.
Aga. Ita fiet: at ſi nauigare copijs
Licuiſſet, hoc tibi haud queam largirier.
Sed quia ferenteis nunc negat ventos deus,
Manendum & operiendum erit nobis quoad
Detur ſecundus curſus atque commodus.
Bene vertat autè. QVIPPE pariter omnium
Et publicitus & ſingulorum propriè
Refert, malis malè euenire, bonis bene.
Ch. Patria (heu dolor) Ilium, haud
Vrbs inexpugnata vocabere poſthac:
Tam denſa circum Danaûm tegere nube,
Domita, heu domita hoſti es,
Spoliatáque turrium corona.
Fumi vapore flagranti
Pingeris miſerabili nigrore.
Non te rurſus obambulabo.
Noctis medio interibam,

Quum iam à cœna ſomnus ſuauis
In oclos ſpargitur.
Solennibus ac ſacris choreis
Cantibúſque peractis,
Iacet in thalamo maritus,
Suffixáque lancea
Paxillo hæret in alto.
Nec iam nautica cernit vſquam in
Campis agmina dira Troiæ.
Aſt inter hæc mihi reuinctis
Mitris vaga lege, & orbe
Certo coma componitur
Aurei rotundum
Spectanti ſpeculi æquor, atque
Lecto proxima ſtabam
Subituráque mox eram cubile.
Et oppidum occupat tumultus,
Phrygúmque talis vrbe clamor
Sonat, Quando Achiui, quando, agedum,
Populati validam Phrygum arcem,
Veſtras domos repetetis?
At dulceis thalamos ego ſimplici
Relinquo veſte, ſicuti
Solent puellæ Dorides.
Nec profuit mihi quòd ſupplex
Procumberem Artemidi infelix.
Agor autem, oculis virum interemptum
Intuens pelagi per vndas,
Vrbémque reſpectans, vbi
Iam pedem reducem carina
Moueret vndiuagum per æquor,
Méque ſolo abduceret Iliaco,
Dolore concidi, germanam Dioſcurorum Helenam execrans,
Idæúmque paſtorem,
Peſtiferum Paridem, quòd è parente
Tellure me exigeret,

Atque pellerent domo nuptiæ non nuptiæ,
Immo dæmonis
Malè amici
Atrox calamitas quæpiam. at
Illam neque maria tumida reuehant, neque
Ad patrias peruenerit ædeis.

Polym. O Priame pectori vir omnium meo
Chariſſime vnus, atque item chariſſima
Hecuba, illacrymo te contuens, vrbé ac tuam,
Iſtámque quæ modò eſt perempta, filiam.
Heu
VT ſtabile nil eſt, nec licet confidere:
Confidere, inquam, non licet, ſucceſſibus
Vt qui ſecundis floret, haud in poſterum hic
Rebus repentè fiat aduerſis miſer.
Verùm excitato ſúſque déque numina
Miſcent tumultu cuncta. Proinde inſcitia
Veneramur illa. Flere at hæc quorſum attinet,
Quum nil medelæ ad priſtina adferant mala?
Abſentiam at tu ſiquid incuſas meam,
Ignoſce: nam fortè intimis aberam procul
Thraces in oris, hunc vbi appuleras locum.
Verùm vt reuerti, famula protinus domo
Pedem efferenti commodùm occurrit tua,
Verbis tuis mihi nuncians, quæ ſimul ego
Vt audii, è veſtigio huc me contuli.

He. Ore intueri te quidem aduerſo pudet
Polymeſtor, iſtiuſmodi ſitam in malis.
Nam cui beata viſa ſim, huic me pudor habet
In hoc ſtatu, in quo nunc ago, reperirier.
Neque te queam rectis tueri pupulis.
Sed ne putaris iſtud eſſe odio tui
Polymeſtor: atqui eſt quippiam in cauſa rei,
Vel lex recepta moribus mortalium,
ADVERSA ne qua fœmina ſpectet viros.

Polym. Neque miror equidé. me ſed ad quid eſt opus

Cuiúsque gratia moueo domo pedem?
He. Arcana res est quam tibi ac gnatis tuis
Cupio referre.proin satellites mihi
Procul his iubeto absistere à tentoriis.
Pol. Abite.tuta hæc solitudo.tu quidem es
Beneuola nobis,beneuolus mihi hic item
Exercitus.Sed indicare iam tuum est
In quo beatum deceat afflictis opem
Adferre amicis.promptus admodum sum ego.
He. Dic hoc prius:quem creditum domi tenes
Patris è manu meáque,Polydorus meus
Viuítnè? deinceps reliqua percontabimur.
Pol. Viuit profectó.hac parte res bene habent tuæ.
He. Vir optime,vt probè loqueris ac digna te.
Polym. Post hæc quid ex me concupiscis discere?
He. Etiam parentis nunquid est memor mei?
Polym. Quin clanculum ad te studuit huc accurrere.
He. Sed saluum id aurum est Ilio quod attulit?
Polym. Seruatur istud in ædibus saluum meis.
He. Seruare perge,nec appetas res hospitum.
Polym. Absit,mulier. iis quæ mihi adsunt, perfruar.
He. Scin' ergo quæ tibi proloqui ac gnatis velim?
Polym. Ignoro,verbis indicabis hoc tuis.
He. Ametur,vt tu nunc amatus es mihi.
Polym. Age,quid volebas scire mecum liberos?
He. Gazæ Priamidûm abditę veteres humo.
Polym. Istuc referri filio cupis tuo?
He. Prorsum,& quidem per te. vir es etenim pius.
Polym. Quid igitur hos adesse oportet liberos?
He. Moriare si tu,scire & hos satius erat.
Polym. Probè eloquuta es,& hoc modo consultius.
He. Scin' Iliæ delubra vbi sint Palladis?
Polym. Thesaurus illic scilicet? signi at quid est?
He. Tellure summa prominens ater lapis.
Polym. At nunquid hinc quod ad hæc loqui velis
He. Serues velim has quas extuli pecunias. (mihi?

Polym. Vbi nẽpe? an intra amictũ? an abditas habes?
He. Spoliorum aceruo his delitent tentoriis.
Poly. Vbi? nam hîc Pelasgûm nautica tabernacula.
He. Sunt propria captis fœminis tentoria.
Poly. Tután' satis sunt intus, atque absunt viri?
He. Intus Pelasgûm nemo, nos solæ sumus.
Sed intrò propera: quippe Graii ab Ilio
Cursum ad penates flectere cupiunt suos.
Vti cuncta vbi peregeris quæ te quidem
Peragere par est, tum tuis cum liberis
Eò queas reuertier videlicet
Vbi meum ipse collocasti filium.
Semi. Nondum dedisti, at forsitan pœnas dabis.
chorus. Portu vt procul quis turbidis vasti maris
Errans procellis, mox suaui orbabere,
Animia, atque vitã deseres. SIQVIDEM dol⁹
Nec æquitati nec deis sat congruit.
Pestifera, pestifera mala.
Heu mentietur istius tibi spes viæ
Lethifera, quæ te adduxerit sub tartara.
Eho miser, sternêris imbelli manu.
Poly. Oculûm orbor eheu luce & aspectu miser.
Semi. Viri eiulatum Thracis audistis precor?
Poly. Heu rursus, eheu liberos necant meos.
Semi. Intus peracta genera supplicii noua.
Poly. Nunquam tamen quantumlibet pernicibus
Me pedibus effugeritis, immo protinus
Quatiens & ipsa tecta funditus eruam.
Semi. Vibratur ecce dextera telum graui.
Vultísne vt irruamus intrò? locus enim
Hecubæque & istis ferre suppetias monet.
Hec. Refringe (nequid parseris) vellens fores.
Oculos enim haud resarcies vnquam, neque
Viuos videbis quos necaui liberos.
Semi. Num Thracii victrix potiris hospitis?
Patrastín' hæc cuiusmodi narras hera?

He. Mox hunc videbis prodeuntem ex ædibus
Cæcum, atque cæcis lubricantem passibus:
Paritet duorum liberûm cadauera,
Quos ipsa cum fortissimis Iliadibus
Ferro peremi. Iámque persoluit mihi
Pœnas. sed (vt vides) foras mouet pedem.
Verùm hinc procul concessero, ac vitauero
Ira æstuantem Thraca, & indomitum virum.
Polym. Heu quò ferar? quò intendam? quò torquebo
Quadrupedem gradum, montigenæ feræ
Pressa manu vestigia tentans? quónam,
Huc ánne illuc deflectam cursum,
Vt viricidis quæ me perdunt,
Troadibus iniiciam manum?
Sceleste sceleste Phrygum nurus,
Proh execratæ,
Quò me pauitantes,
Se abdunt latebris?
O vtinam meis sanguineis oculis
Medeare, medeare, mihi lumina
Cæca adimens Phœbe.
Atat sile, occultum gradũ sentio harũ mulierũ,
Quò cieo pedem, carne atque ossibus
Me expleturus, bestiis è noxiis
Epulo parato, quo mihi sumam
Pœnam iniuriæ meæ? Io miser,
Quò, quò rapior: sola tartareis
Bacchis relinquo secunda pignora, &
Cædem canibus cruentam,
Impias dapes montanámque prædam.
Quò tendo? quò me verto?
Vt sali nauis in fluctibus
Turgida vela distendens
Funestam in hanc me recipiens latebram
Custos meorum liberûm.
Ch. Eheu miser, quàm grauia perpeteris mala?

Sed quum patraris fœda, pœnas asperas
Sumpsit deorum quisquis infensus tibi.
Polym. Eheu, ohe ferocis
Gens martialis Thraciæ,
Hasta valens equisque.
Ohe Pelasgûm copiæ
Eho duces Atridæ.
Voco, voco, rursum voco:
Venite, adeste cursu,
Omnes rogati per deos.
Audit aliquis vocantem?
An nemo nobis feret opem?
Quæ vos moræ retardant?
Me perdidere fœminæ,
Me perdidere captæ.
Acerba, acerba pertuli.
Heu dira nostra clades.
Quò vertor aut quorsum feror?
Vtrúmne subvolabo
Sublimem ad ætheris domum:,
Vbi minax Orion,
Vbi Sirius oculis suis
Radios iacit micanteis,
Flammis micantes igneis?
An tartari nigrantis
Tristem petam portum miser?
Ch. VBI quis malorum pondere atque sarcina,
Quàm vt ferre possit acerbiore premitur, huic
Sit venia vitam calamitosam linquere.
Aga. Me excivit huc audita vox. neque enim silens
Rupis profundæ filia, per exercitum
Reboauit Echo, concitans strepitum. at nisi
Euersa constet marte Graio Pergama,
Metû hîc dedisset strepitus haud quaquã leue.
Polym. Agamemnon animo rex meo charissime,
Nam vocem vt audii, illico agnoui tuam,

En ipse nobis hoc quod accidit, vides.
Aga. Polymestor, ehem te quis euertit miser?
Quis ademit oculos, sanguine infectis genis?
Atque hos peremit liberos? is quisquis est,
In téque gnatósque odia sæua gesserat.
Poly. Adiuta captiuis Hecuba me fœminis
Extinxit: haud extinxit, immo & amplius.
Aga. Quid ais? patrastin' facinus hoc quod hic ait?
Tún' ausa es Hecube tam stupédam audaciã?
Poly. Hem quid ais? illa nuncubi hîc adest propé?
Age indica, dic vbi sit, vt raptam manu
Laniem, ac cruentem corpus omne sanguine.
Aga. Hem tu quid ais?
Poly. Hoc per deos te deprecor,
Isti furentem me sine iniiciam manum.
Aga. Tibi tempera, istam mente barbariem exués.
Dic, vt vbi téque & hanc vicissim audiuero,
Quapropter hæc patiare, rectè iudicem.
Poly. Dicã ergo. Quidã Priamidûm minimus fuit
Polydorus Hecuba natus: hunc Priamus mihi
Domi educandum misit abs Troia pater,
Excidia iam tum prætimens vrbis suæ.
Eum peremi. Cur eum peremerim,
Audi. vt bene ac sapiente prouidentia
Metui, relictus ne tibi hostis hic puer
Troiam aggregans, hoc rursus incoleret solũ:
Porro vbi Pelasgi Priamidûm resciscerent
Supersse quendam, rursus huc appellerent:
Tum deinde Thraces hosce populantes agros
Incurrerent, nocente vicino Ilio,
Quo nunc & ipso rex laboramus malo.
Ast Hecuba simulac filii necem sui
Cognouerat, me hac arte duxit, abditos
In Ilio monstrare thesauros mihi
Promittit auri Priamidûm: cum liberis
In tecta solum inducit, vt nequis alius

Mortalium valeret hæc cognoscere.
Spondáque media sedeo curuato genu:
Statim frequentes hinc & hinc cingũt manus:
Ac velut amicum me Iliæ circunsident
Iuxtà puellæ, textáque Edonicæ manus
Tractant tenentes, lucidam videlicet
Ad auram amictus hosce spectantes probant.
Aliæque camaca dum intuentur Thraciam,
Iam me renudant duplici stolismate,
At quæ pepererant, hæ stupentes pignora
Librant in vlnis, ac vicissim per manus
Tradunt, vt à parente summ oueant procul.
Dehinc post susurros inter ipsas mutuos,
Tacitásque post mussationes, ærea,
(Quibus ô dei modis!) repentè è vestibus
Lacinioſis proferentes spicula,
Fodiunt puellos: rursus hæ more hostico
Manus prehendunt atque continent meas,
Pedésque. gnatis ferre concupiens opem,
Si forsan ora gestiebam attollere,
Coma tenebãt: siue motabam manus,
Denso vndique imminéte mulierum agmine
Atque opprimente, proficio miser nihil.
Porro supremum iam malum plusquã malum
Mirè patrarunt: quippe correptis manu
Acubus, mihi orbes luminum miserrimos
Fodiunt, cruentant, deinde mox circum domũ
Fugitant. at ipse nempe prosilio foras
Vt fera cruentas persequens cursu canes:
Omnémque lustro parietem, venantis in
Morem modúmque, concutióque & dissipo.
Atque hæc quidé sum passus, Agamemnõ, tibi
Dum facere gratum studeo, sustollens tuum
Hostem. sed, vt ne verba longius traham,
De fœminis si dixit antehac quis malè,
Hodiéve dicit, siue pòst dicturus est,

Cuncta hæc ego compendio dicam semel.
NEQVE terra simile, nec fretum gignit genus.
Atque illud ipsa discit experientia
Semper, cui cum illis negocium incidit.
Ch. Tanta caueto vtare confidentia,
Néve ex tuis ipsius æstimans malis,
Muliebre sic vel omne vituperes genus.
Pleræque nostrûm aliæ quidem laudabiles,
Aliæ malarum de grege ac numero sumus.
He. Agamemnon, haud decet hominẽ lingua magis
Vllo valere tempore, ac factis valet:
Sed seu proba egit, oportet & probè loqui:
Seu praua, rursum dicta & esse putida:
Nec iniqua quæ sunt, posse differere bene.
Cati quidem sunt ista qui callent probè,
At non quierunt esse ad extremum cati,
Verùm malis periere cuncti cladibus,
Nec vllus horum exitia suffugit sua.
Et hoc quidem ad te sit mihi proœmii,
Ad hunc reuertar, ac locis respõdero.
Quid ais? Achiuos vt labore duplici
Leuare posses, gratiáque Agamemnonis
Mucrone gnatum tún' peremisti meum?
Atqui sceleste, primùm Achiuûm cuipiam
Haud quaquam amicum barbarũ fuerit genus,
Neque posset esse. deinde quánam gratia
Prodesse properas? num quòd affinis cui aut
Cognatus esses? aut quid argumenti habens?
An ne reuecti carperent segetem tuæ
Telluris? horum cui, putas, facies fidem?
Aurum (fateri vera si modò voles)
Et tua cupiditas filium extinxit meum.
Etenim doce illud, donec incolumis fuit
Trõia, vrbsque adhuc munita turribus stetit,
Vixítque Priamus marte florens Hectoris,
Quin tum, mereri de hocce si libuit bene,

Quum gnatum haberes nutriẽdum in ædibus,
Aut enecasti, aut viuum in Argiuũm manus
Ductum dedisti? at nos vt occidimus, simul
Et ab hoste captam fumus vrbem prodidir,
Iugulasti amicum, & ad lares profugum tuos.
Ausculta ad hæc nunc, vnde sceleratus magis
Videare. Si benevolus Argiuis eras,
Aurum quod esse tu fateris haud tuum,
Adferre decuit, ac dare iis quibus erat opus,
Annósque multos patria degunt procul.
At tu manu ne nunc quidem euelli tua
Patere, at potiris possidens in ædibus.
Quòd si edueare filium vt te dignum erat,
Sic educasses atque seruasses meum
Laudé profectò comparasses inclytam.
SIQVIDEM in malis qui sint potissimùm
Patent amici, læta amicos passim habẽt. (boni
Iam si fuisset opus tibi pecunia,
Incolumis & modò ille vixisset, tibi
Thesaurus ingens filius fuerat meus:
At nunc nec istum amicum habes tibi virum,
Auríque lucrum perijt, ac gnati tui
Túque ipse ad istum scilicet agitis modum.
Porro illud Agamemnon tibi iam dicam ego.
Hunc si iuuabis, vir videbere improbus.
Nam nec pio nec fido in hos in quos decet,
Non æquo amico, non bono, facies bene:
Quin te malis gaudere dicemus, quia
Sis talis ipse. heris sed haud conuicior.

Ch. RES mira, vt homini materiã semper probæ
Orationis, facta suppeditant proba.

Aga. Aliena nobis iudicare graue est mala,
Tamen necesse est. nam pudor sit, in manus,
Reiicere causam, quum semel receperis.
Mihi, vt sciens sis, neque meapte gratia,
Sed neque Pelasgũm, hominẽ videris hospitẽ

Necasse, verùm vt aurum haberes in domo.
Nunc in malis quæ conferunt tibi, loqueris.
Iugulare forsan hospitem, vobis leue est,
Nobis Achiuis istud oppidò est graue.
Quínam probrum ergo fugio, si pronuntiem
Te iam innocẽtem? non profectò vllà queam.
QVIN potius, vbi quæ nõ licét haud veritus es
Patrare, tolera quæ viciſſim non libent.

Polym. Proh, vt videtur, victus à muliercula
Capta, dabo supplicia deterioribus.

Aga. Meritóque, quando tute patrasti mala.

Polym. Heu liberos oculósque fleo miser meos.

Hec. Doles? dolere filium haud credis mihi?

Polym. Malefica gaudes, me quòd afficias malis?

Hec. Quid enim? vlta te, non gaudeam iure optimo?

Polym. At non item fortassis vbi te vis freti.

Hec. Nunquid vehet Pelasgici ad plagas soli?

Polym. Immo supremis lapsam ab antennis teget.

Hec. Saltus ad hos quis adiget inuitam? cedo.

Polym. Malum ipsa celeri nauis ascendes pede.

Hec. Alatán' humeris? vel quibus tandem modis?

Polym. Fies canis, oclos igne lucenteis gerens.

Hec. Quî nota formæ versio tibi est meæ?

Polym. Threicius augur Bacchus ista prodidit.

Hec. At ex tuis nil ille præcinuit malis?

Polym. Sic neutiquam me fraude cepisses tua.

Hec. Defunctán' illic ánne viua finiar?

Poly. Defuncta. tumulo nomen indetur tuum.

Hec. Sumptum à figura? aut quod aliud dicis meum?

Poly. Canis sepulchrum, nauitis signum vagis.

Hec. Nihil laboro, posteaquam te vlta sum.

Poly. Quin filiam necesse Cassandram mori.

Hec. Equidé hæc abominor, in caput reprecãs tuum.

Poly. Coniux at illam interimet huius aspera.

Hec. Ne sic mihi vnquam gnata Tyndari furat.

Poly. Quin ipsum & hunc, bipenne librata in caput.

Aga. Itán' furis tu, qui malum accersas tibi?
Poly. Neca: at lauacra mortifera te Argis manent.
Aga. Non hunc ministri vi trahetis hinc procul?
Poly. Audire graue?
Aga. Non ora continebitis?
Poly. Opprimite. dictum est.
Aga. Quàm potest ocyssimé.
Non huncce solas deferetis in insulas,
Adeò procaci quando lingua abutitur?
At Hecuba tu proh misera, funera gemina
Abi atque sepeli. vos oportet herilia
Adire quanque Troades tentoria.
Etenim hos secundos video ventos, patriam
Versus. bene autem nauigemus, atque item
Liceat domi res prosperas offendere,
Tandem expeditos hisce iam laboribus.
Ch. Ite ad portus agite, & Graiûm
Ad tentoria tendite sæua,
Experturæ posthac sortis
Ærumnas seruilis acerbas.
Nam sic vrget nescia flecti &
Cogit dura necessitas.

GVILIELMO ARCHIEPISCOPO CANTVARIENSI Erasmus Roterodamus

S. P. D.

Posteaquam huic tragœdiæ manus admoliri cœpissem, amplissime Præsul, protinus alium quendam orationis gustum diuersámque carminis indolem sentire mihi sum visus. Nam (ni fallor) & plusculum habet candoris, & fusior est dictio. Quo quidem nomine Sophocles videri queat. At rursus argumentorum densitate, quasique de-

clamatoria quadam ſuadendi ac diſſuadendi facultate, parentem Euripidem magis refert. Quãquam vtri ſit inſcribenda, neque meum eſt pronunciare, neque magni referre puto. Nobis tamen viſum eſt de priſtina illa noſtra religione nonnihil remittere, ne non hac etiam in parte congrueremus argumẽto. Proinde Iphigeniam paulo tum fuſius tum copioſius traduximus, at ita rurſum vt ab interpretis fide neutiquã recederemus. Hoc vno in vtraque ſumus auſi diſſentire, quòd in choris immodicam illam carminum varietatem ac licentiam, aliquantulum temperauimus, ſperantes futurum vt hac in re docti nobis veniam darent, nimirum in tantis verſantibus angustiis: quandoquidem nec Flaccus lyricorum, neque Seneca tragicorum poetarum tantam in metris aut pedum libertatem, aut generum diuerſitatẽ ſit æmulatus, quum vterque ſequeretur Græcos duntaxat, non etiam interpretaretur. Quòd ſi mihi per grauiora ſtudia liceret alias aliquot vertere tragœdias, non modò me non pœniteret huius audaciæ, quinetiã non vererer Chororũ & ſtilum & argumenta commutare, mallémque vel locum quempiam tractare communem, vel in amœnam aliquam παρέκβασιν expatiari, quàm in canoris (vt vocat Horatius) nugis operam ſumere. nuſquam enim mihi magis ineptiſſe videtur antiquitas quàm in huiuſmodi Choris, vbi dum nimium affectat nouè loqui, vitiauit eloquentiam: dúmque verborum miracula venatur, in rerum iudicio ceſſauit. Vale meum decus.

ARGVMENTVM IPHIGENIAE IN AVLIDE PER DES. ERAS. ROTER.

Postquam Græcorum duces omnes vnà cum classe reliquóque belli apparatu in Aulidem conuenissent, vt inde pariter ad Troiam euertendam nauigarent, tanta cōsequuta est cæli tranquillitas, vt nullis flantibus ventis non esset nauigandi facultas. Quare quum exercitus iam molestè ferret se frustra tempus ibi terere, consultis exitus Calchas augur respondit, Dianæ Aulidensi immolandam esse Iphigeniam Agamemnonis filiam, atque ita Græcos feliciter ad Ilium nauigaturos. Itaque conuocato exercitu, Agamemnō persuasus à Menelao, patitur fieri decretum vt accersatur puella. Cæterùm quo libentius eam Clytæmnestra mater mitteret, priuatim fingunt titulum, quasi Achilli Græcorum principum optimo foret nuptura. Hoc commentum soli nouerant, Agamemnon, Menelaus, Calchas, atque Vlysses. Atqui missis iam ad vxorem literis, Agamemnon, quum superioris consilii pœniteret, & futurā cædem filiæ ferre non posset, noctu clanculum alias ad vxorem literas scribit, denuncians ne virginem mittat in Aulidem. in aliud enim tempus proferendas nuptias. Eas antelucano seni cuidam seruo Argos perferendas committit, exposito simul earum argumento. Verùm hunc cum epistola Menelaus, dum & ipse ante lucem puellæ aduentum obseruat, intercipit, & acriter cum fratre de consilii inconstantia expostulat. Interea è comitatu Clytæmnestræ præcurrens quidam, Agamemnoni Menelao præsente nunciat adesse in Aulide Iphigeniam vnà cum matre & Oreste infante: neque eam rem clam esse exercitu. Ibi simulatque Menelaus sensit illi iam non esse integrum filiam remittere, fictè cœpit fratri suadere ne virginem sua causa pateretur occidi. Dum hæc inter illos versantur, interim aduecta Clytæmnestra cum filia, multisque modis exagitantur patris af-

fectus, dum consilium de ingulanda filia studet celare. Qua de re dum consulturus Calchantem abiisset, interea accessit Achilles expostulaturus cum Agamemnone. Salutatur à Clytæmnestra tanquam futurus gener. Achilles ignarus demiratur. Ibi seruus senex ille cui literæ secundæ fuerant cõmissæ, rem profert, proditque consilium regis. Indignatus Achilles quòd ad cædem virginis suo nomine essent abusi, in concilio defendit eã ne perimatur: sed vincitur suffragiis. Itaque quum res ad summũ tumultum spectare videretur, reliquo exercitu postulãte puellã, cõtrà Achille cũ vniuersis depugnare parato, ipsa vltrò mutata sententia, suadet matri satius esse speciosam oppetere mortem, quàm obs uam vnius vitam, aut tot principes in certaminis periculum vocari, aut rem tantam omitti. Ducta igitur ad aram deæ, ipsa quidem sublata est in Tauricam regionem, at eius loco cerua supposita est. Sacro peracto nauigant Græci.

PERSONÆ FABVLÆ.

AGAMEMNON.
SENEX *seruus eius.*
CHORVS *ex mulieribus Chalcidensibus.*
MENELAVS *frater Agamemnonis.*
CLYTAEMNESTRA *vxor Agamemnonis.*
IPHIGENIA *filia Clytæmnestræ & Agamẽnonis.*
ACHILLES *dictus sponsus.*
SENEX *minister.*
NVNTIVS.

EVRIPIDIS IPHIGENIA IN AVLIDE, ERASMO ROTERODAMO INTERPRETE.

AGAMEMNON.

HOrsum senior prodi tectis.
Sen. Prodeo.sed quid molire noui
Rex Agamemnon?
Aga. Mox cognoris.
Sen. Ocyus appropero.mea nanque est
Multum impigra vigílque senecta.
Sic vt & ipsis constet & adsit
Vigor atque acies sua luminibus.
Aga. Ergo quod hoc,age,traiicit astrum?
Sen. Sirius ardens,qui Pleiadibus
Septemgeminis vicinus,adhuc
Medio rapidus fertur cælo.
Aga. Hinc nulla strepit vox,non auium,
Sed nec pelagi:taciti venti
Tranquillum sternunt Euripum.
At tu quid ita tecta relinquis
Rex Agamemnon?
Aulida adhuc habet hanc alta quies,
Nec muris cessere excubiæ.
Introeamus.
Aga. Tu mihi sorte
Felice senex esse videris.
NAM felicem censeo sanè
Ego mortalem quisquis tutum
Ignotus & inglorius ævum
Transmisit:qui verò ætatem
Egerunt in honoribus,horum
Sortem haud duco perinde beatam.

Sen. ATQVI in istis decus est vitæ.
Aga. Sed decus istud, lubrica res est.
Etenim votis dulce quidem ipsus
Est honos: ast vbi contigit idem,
Tum discruciat. modò religio
Diuûm non sat ritè peracta
Labefactam subuertit vitam:
Modò rursum hominum mentes variæ
Ac difficiles prorsus acerbant.
Sen. Haud ista viro in principe laudo.
Non te seuit ad omnia læta,
Agamemnon, Atreus.
GAVDERE atque dolere necesse est.
Mortalis enim es. Sin tu nolis,
Tamen eueniet. sic diis placitum.
At tu appositò lumine tædæ
Scribis epistolium,
Hoc quod manibus nunc quoque gestas.
Rursum deles quicquid scriptum est,
Atque obsignas, deinde resignas:
Piceámque solo illidis, liquidas
Fundens lacrymas.
Et sic anceps tecum varias,
Vti nil desit
Quominus insanire puteris.
Quid habes? quid habes?
Quæ noua res, quæ noua res quæso
Te rex agitat?
Quicquid (age) est, imperti nobis:
Fido atque probo dixeris homini.
Nam tibi quondam dotis partem
Cum vxore tua me Tyndareus
Misit dignum sponsæ comitem.
Aga. Ledæ obtigerunt Thestiadi tres filiæ,
Phœbe, Clytæmnestréque, quâ mihi duxi ego,
Helenéque. at huius nuptias multi proci

Retinere iuuenes Græciæ opulentissimi.
Verùm hinc minæ truces coortæ,& mutua
Cædes virûm imminere visa non leuis,
Quisquis fuisset non potitus virgine:
Ita vt hæsitaret mente Tyndareus pater,
Vtrúnine daret annon daret:nimirum agens
Sibi res vt ista cederet prosperrimé.
Atque interim illud venit in mentem viro,
Vti coirent iureiurando proci,
Atque inter ipsos iungerent dextras,ad hæc
Adolenda diuûm ponerent aris sacra,
Ac semetipsi adstringerent,diris ad id
Caput obligantes imprecationibus:
Vt quisquis esset ea potitus coniuge,
Huic adessent vindicaturi simul,
Si quisquam eam per vim raperet ex ædibus,
Depelleréntque possidentem à coniuge,
Bellóque adorti ciuitatem excinderent
Armis,perinde Pelasgicam atque barbaram.
Vbi fœdere autem sunt adacti,ac denique
Astutus ex animi sui sententia
Persuasit illis arte & ingenio senex,
Gnatæ facit ius vti procis ex omnibus
Deligeret vnum quemlibet sibi virum,
Quocunque grata ferret aura Cypridis.
Menelaon illa deligit,& ô si foret
Nunquam potitus.dein profectus Ilio
Lacedæmona ille,qui arbiter pridem trium
Fuerat dearum,(vulgò vt homines dictitant)
Insignis ac nitens amictu florido,
Auróque fulgens,barbarum videlicet
Luxum atque cultum gentis ostentans suæ,
Amans amantem fugit abreptam vehens
Helenen,& Idæ abduxit ad bubilia.
Menelaus itaque solus è Graiis graui
Ira furens,vetusta soceri fœdera

Testatus, esse ius & æquum prædicat,
Vti ferant iniuria læsis opem.
Hîc ergo Danaûm turba marte percita
Capesit arma, arctósque in Aulidis sinus
Conuênit huc, & ratibus & scutis simul
Instructa, equísque curribúsque plurimis.
Hinc me ducem legêre Menelai vice,
Quia frater essem. Sed vtinam loco mei
Alii hoc honoris contigisset cuipiam.
At nunc coactis vndequaque copiis,
Hac ociosi desidemus Aulide,
Quòd nauigandi copiam venti negent:
Calchásque vates musitans tacitus diu
Respondit, Iphigeniam (ego cui pater)
Diuæ immolandam huiusce præsidi loci.
Ita nauigandi copiam Graiis fore,
Simúlque Troiæ diruenda mœnia,
Hanc si immolassent: sin minus, tum nõ fore.
At ego, hæc vt audio, iubeo voce publica
Dimittat omnem Talthybius exercitum,
Vt qui illud animo facinus haud vnquam meo
Laturus essem, gnatam vti perimerem meam,
Totas ibi atteis fratet intentans mihi, ac
Expertus omneis persuadendi vias,
Tandem impulit me atrox vt auderem nefas.
Ego itaque litteris ad vxorem datis,
Quò filiam huc transmittat impero, velut
Nupturam Achilli, & dignitatem exaggerans
Viri, negánsque hunc velle iunctis copiis
Cum classe Achiuûm soluere in Phrygas simul,
Nisi sponsa nostra detur in Phthiam è domo.
Commentus hanc persuasionem ad coniugem
Meam, puellæ obtexo falsas nuptias.
At hæc vt habeant, soli Achiuûm nouimus,
Menelaus, ego, Calchas, Vlysses. Cæterùm
Quæ tum parum bene statuerã, nunc has bene

Recanto corrigóque per tabellulas,
Quas me sub vmbrâ videras noctis senex
Reuincientem & colligantem denuó.
Sed eia, ad Argos hanc epistolam ferens
Concede. Quicquid intus occultat rei
Cera silentibus exaratum litteris,
Sermone id omne prorsus exponam tibi.
Es enim fidelis coniugi ac domui mex.
Has iterum tibi mitto tabellas
Ledę germen.

Sen. Fare, enarrâ, quò voce tuis
Scriptis consentanea dicam.

Aga. Ne gnatam horsum transmitte tuam
Ad sinuosam Euboïæ rupem
Aulin tacitam.
Siquidem tędas virginis aliud
Nunc in tempus producemus.

Sen. At sponsa frustratus Achilles
Nónne minaces animos tollet
In te, atque tuam simul vxorem?
Hinc etiam instat graue discrimen.
Cedo, quid censes?

Aga. Nomen non rem præbet Achilles
Neque cognouit de coniugio,
Quódque dolo nos agimus, nescit,
Neque quòd finxi gnatam thalamo
Ipsi iuncturum esse iugali.

Se. Dira parabas rex Agamemnon.
Itáne prolem nomine ficto
Sponsæ, fueras Danais producturus, vt esset victima diuæ?

Aga. Hei misero mihi, mente errabam.
Eheu tristem trahor in luctum.
Sed iam celeri procurre pede,
Neque te quicquam tardet euntem
Serior ætas. *Se.* Rex, accelero.

dilli-

Aga. Néve ad fontes arbore multa
Nunc desideas lentus opacos,
Neu te blandus subigat somnus.
Sen. Quin verba bona ô rex eloquitor.
Aga. Vndique sectam scrutare viam,
Circumactis obseruans oculis
Nequà fallat te mea coniux
Curru præteruecta volucri,
Gnatam rhedis huc deportans
Danaûm ad classem.
Sen. Fiet. *Aga.* Iam te propripe septis.
Nam si vecta occurrerit illa,
Auersa domùm frena reflectes,
Ad Cyclopia mœnia tendens.
Sen. At quî fiet vt hæc referenti
Dicta, fidem mihi sint habituræ
Tum tua filia, tum tua coniunx?
Aga. Symbolon hoc, quod in hisce tabellis
Portas, serua.
Fuge: iam lux albescit, & aurora
Ignea surgit,
Ac Phœbeæ flamma quadrigæ.
Hanc operam mihi sume iuuando.
NEMO ex omni parte beatus:
Nunquam siquidem natus quisquam est
Cui nil fuerit quod cruciaret.
Chorus mulierum Chalcidēs. Modò profecta Chalcide patria,
Quæ semper arcto tunditur æquore,
Vbi marino interflua gurgiti
Arethusa, puro vitrea flumine,
Rigat arua, veni littus ad Aulidis
Euripicos emensa fluctus,
Agmina Graiugenûm vt viderem,
Classémque Pelasgûm
Semideûm: quandoquidem
Ad Phrygiæ Pergama Troiæ

Iam mille narrant ducere nauibus
Noſtri mariti clarum Agamemnonem,&
Flauicomum Menelaum
Fratrem huius,vnà vt Tyndaridem petant,
Quam paſtor Eurotæ ad virenteis
Plurima arundine ripas
Idæus rapuit Paris,
Præmia quæ Venus
Donarat illi tunc vbi leuium
Ad fontium viuas ſcatebras
Cum Iunone Iouis coniuge maximi,
Et cum belligera Pallade,principis
De laude formæ,Cypria mollium
Mater blanda Cupidinum
Certaret.Atqui per Triuiæ nemus,
Lucúmque crebris perpetuò ſacris
Halantem venio.mi tenera interim
Dum ſic conſpicior viris,
Repentè obortus
Suffundit ora purpureus pudor,
Multiiugos clypeos auenti
Cernere,& armigerorum
Ferrea caſtra Pelaſgûm.
Bellaces item equos cernere,& acrium
Agmina denſa virûm.
Ac conſpexi equidem duos
Tentoriis in iiſdem
Aiaces,patris hunc germen Oilei,
Hunc Telamone ſatum,
Iuge decus Salaminiis.
Necnon Proteſilaum
His pariter aſſidentem,
Colluſitantes teſſerarum
Iactibus omniiugis.
Conſpexi Palamedem,
Quem Neptunia proles

Produxit: neque non viribus ac manu
Insignem Diomedem,
Oblectantem animos iactibus æi
Disci. nec procul hoc Merionem, inclytam
Gradiui sobolem patris,
Miraculum mortalibus:
Et Laertiaden, profectum
Montuosa ab insula.
Necnon Nirea, quo nemo Pelasgiæ
Inter pulchrior agmina.
Tum cursu & volucri pedum
Ventis cum rapidis fuga
Decertare potentem
Achillem, dea quem progenuit Thetis,
Chiron finxit & educauit,
Vidi littoreis in arenis
Armis onustum currere.
Certabat autem cum citis quadrigis,
Cursu volans pedestri,
Et anteuertens deproperat flatæ
Laudem tollere palmæ.
Eumelus aeris inter
Ista Pheretiades
Quadrigæ moderator
Exclamat. huic profectò
Vidi equas pulcherrimas,
Frenisque pictas aureis,
Stimulo incitante cursum,
Vastum celerare per æquor,
Partim arcuato suppositas iugo,
Albis terga notis diuariantibus,
Partim hinc & hinc æqualibus additas
Extra iugum catenis,
Obliquos glomerare flexus,
Rufis conspicuas pilis.
Porrò curribus imis,

Quà talum premit vngula,
Diuerso varias colore.
Iuxta has in armis Æacides gradu
Fertur citato, sæpe volubili
Cantho propinquus, feruidóque
Proximus axi.
Posthæc ad numerosæ
Classis peruenio trabeis,
Spectaculum ingens, nec recitabile,
Quò mihi blanda voluptas
Fœmineos oculos
Gratissima tuendi
Illecebra satiaret.
Cornúque dextrum Myrmidonum manus,
Quæ Phthii ducis
Militat auspiciis,
Quinquaginta agitans carinas
Pernices rapidásque tenebat.
Porrò in eminentium
Puppium fastigiis
Sculptiles auro deæ
Æquoris Nereides
Stabant, nempe Achilleiæ
Signa cohortis,
Atque his ordine proximæ,
Paribus recincta remis
Classis stabat Argiuûm,
Quos Meciſtiades agebat,
Capaneóque satus
Bellator Sthenelus. dehinc
Proles inclyta Thesei
Sexies denas agens
Dite ex Atthide naueis,
Per seriem positas
In statione tenet.
Harum in puppibus eminebat

Pallas diua volucribus
Nixa quadrigis,
Signum bene ominatum,
Visuque faustum nauitis.
Bœotiorum bellicum
Rursus apparatum
Quinquies decem rates
Vidi fluctisecas citásque,
Adprobè decoratas
Signis: quippe minacibus
Cadmus in rostris erat
Fuluum tenens draconem.
At cõhorti nauticæ
Terrigena præerat
Imperator Leitus,
Phocys cui patria tellus.
Pone illos, totidem nauibus è Locris
Aduectis sequitur gnatus Oilei
Throniaca vrbe profectus.
Cæterùm è Cyclopiis
Satus Atreo Mycenis
Centum rateis agebat
Denso refertas milite.
Huic aderat pariter
Ductor Adrastus
Nempe amicus amico,
Vti, quæ domo relicta
Barbaras Phrygum
Fuerat secuta nuptias,
Marte pollens Græcia
Vindicaret Tyndarin.
Ad hæc Pylo profecti
Nestoris Gerenii
Vidi rateis. in puppibus arduis
Insignii stabat vice, taurico
Alpheus ore fictus,

Qui Pylios celer
Diſſecat agros.
Biſſenis aderant nauibus inſuper
Ænianorum cohors,
His præfectus Iuneus.
Hos item ſequuntur
Euryto duce
Optimates Elidis,
Quos vniuerſa plebes
Dicit Epeos.
Agménque agebant albireme
Phyliaci manipli.
His ductor præerat Meges
Quem miſerant Echidnæ
Inſulæ appellentibus
Periculoſæ nauitis.
Aſt Aiax Salaminiæ
Vrbis alumnus,
Cornu iunxit vtrunque,
Dextrum atque lęuum, comminus admo uens
Biſſenas rateis
Præcipites agiléſque, &
Vltimus agmina clauſit,
Sic vt inaudii.
Nam claſſicam cateruam
His ipſa vidi oculis.
Aduerſus hancce barbaras
Quicunque dux phalanges
Committet, is ſaluus domum
Nunquam eſt rediturus, opinor.
Illic itaque naualium
Audii vidſque
Agminum cohortes.
Eadem domi recordor
Meos apud penateis
Audiſſe de Pelaſgûm
Conuocatis copiis.

Se. Menelae iam audes grauiáque ac immania.
Audere quæ te neutiquam licet aut decet.
Me. Abi.nimis profectò heris fidelis es.
Se. Mihi exprobrasti probrum honestum scilicet.
Me. Iam vapulabis eiulans ac flens mihi,
Quæ te nefas patrare,si patraueris.
Se. Te soluere tablas non decet quas ego fero.
Me. Neque ferre Achiuis te decet cunctis malum.
Se. Contendis hæc frustra.has sed amittas mihi.
Me. Haudquaquã cõmittã. Se. Sed nec ego remisero.
Me. Sceptro tuum tibi mox cruentabo caput.
Se. A T pulchrum heri vel mortem obire gratia.
Me. Omitte.multa seruus homo verba hîc facis?
Se. Agamemnon here,vim patimur. hic epistolam
Tuam manu violentus extorsit mea:
Æqui nec vlla huic ratio constat nec boni.
Ag. Hem quid tumulti in foribus, aut conuicii?
Se. Meum potius atque huius est rem dicere.
Ag. Cęterũ Menelae,cũ isthoc causa quæ tibi incidit
Litis & contentionis? cũrque vi trahis meum?
Me. Aspice in nos rectà, vt hoc capiam loquendi exordium.
Ag. Num verebor lumina in te tollere, Atreo satus?
Me. Hasce nũ tabulas vides,scripti ministras pessimi?
Ag. Video:quãprimũ sed istas manibus amittas tuis.
Me. Non prius,quàm quicquid intus, aperiam cuncto agmini.
Ag. Itáne scis quæ neutiquam te fas erat cognoscere?
Idque refractis(opinor) epistolæ signaculis.
Me. Aperiens videlicet,quò te malorum denique
Pudeat ac pigescat horũ quæ patrasti clanculũ.
Ag. Verùm eas vbi nactus? O dii,mentis impudentiã.
Me. Nempe dum cautus tuã seruo maneóque filiã,
Nunquid Argis adueniret ad Pelasgũm copias.
Ag. Cæterùm quî conuenit,tu res vt obserues meas?
Obsecro, annon est viri istud impudentis & improbi?

Me. Sic enim tulit volũtas. seruus haud sum ego tibi.
Ag. Ista non indigna & intoleranda quęso per deos?
Itáne per te non licebit nec sinar negocia
Propriæ domus meopte temperare arbitrio?
Me. Varia sentis, nunc quidem illud, alia dudum, aliud statim.
Ag. Dicta phaleras. EST malum autem docta lingua pestilens.
Me. VARIA més, iniqua res est, atq; amicis abdita.
Iámque te verbis reuincam. tu per iracundiam
Vera ne negato. nõ ego te admodũ laudauero.
Scín', creari vbi studebas dux Achiuũm ad Iliũ,
Frõte sic speciéq; nolés, sed animo sanè volés,
Quàm tum eras submissus, omnem prensitando dexteram,
Ac fores habens patenteis cuilibet popularium,
Et salutãs ordine omnes, quisquis esset obuius,
Siquis etiam noluisset, hunc honorem quæritãs
Emere comitate morum à multitudine ciuiũ?
Ast vt imperio es potitus, non es iisdẽ moribus,
Nec vicissim vt antè, amicus iis manes q se tibi
Præstitere dudum amicos: sed aditu superbus ac
Fastuosus, abditúsque delites in ædibus.
AT suos mutare mores haud decet probũ virũ,
Posteaquàm splendidis donatus est honoribus:
Maximè sed tunc amicis esse firmum conuenit,
Quando maximè iuuare iam potest felicior.
Hæc tibi primùm opprobraui, primùm vbi experior malum.
Deinde in Aulin vt appulisti, omnísque Graiũm exercitus,
Nullus es, sed abnegante prosperũ cursum mari,
Illicò fortuna quam dii miserant, te perditum
Mente cõstrauit. Pelasgi at inter hæc dimittier
Flagitant classem, negantes esse consilii sibi
Vt diutius laborem frustra in Aulide trahant.

Fama porrò quàm fuisset fœda & infelix tibi,
Quãta item perplexitas animíque cõsternatio,
Mille quum præfectus esses imperator nauibus,
Ni Phrygum campos repleſſes bellicoso milite?
Méq; cõsulis quid ageres quámve reperires viã,
Ne tibi regno abdicato, famę & occideret decus.
Hinc vbi inter sacra vates filiam edixit tuam
Immolandam Artemidi Calchas, atque ita Danais fore
Cursum ad Ilium secundum, méte gauisus, lubẽs
Te immolaturum puellam pollicebaris deæ,
Ac volens, non vi coactus (hoc caueto dixeris)
Cõiungi iubes vt horsum filiam mittat tuam,
Nomine hoc, quò tanquam Achilli sponsa nuberet viro.
Nũc repẽtè versę, alias mittis immemor schedas.
Filiæ nec iam futurus dirus occisor tuæ.
Age, sed hic est ipsus æther testis atque cõscius,
Ista qui te pollicentem vidit atque exaudiit.
ACCIDIT nimirum idem isthuc plurimis mortalibus
In capessendis negociis, qui quidẽ enixè quoad
Assequantur elaborant, deinde fœdè deserunt.
Idque partim incogitanti ciuium vecordia,
Partim itẽ meritò atq; iure, quãdo non idonei
Nempe reperiuntur ipsi rem tueri publicam.
Ego potissimùm inauspicatę Græcię vicẽ gemo,
Quæ patrare insigne quiddam & glorioſum in barbaros
Perditos conata didicim, iam tua causa ac tuæ
Gnatæ, eis risum mouebit scilicet fœdissimum.
NEMINEM loci crearim præsidem, aut belli
Seu rei, seu dignitatis, officíve gratia. (ducem,
Méte dũtaxat sagaci oportet esse præditũ hunc,
Bellicam qui rem administret ciuitatis nomine.
Quippe princeps ille, quisquis præeminet prudentia.

Ch. RES dira, verbis inuicem altercarier,
Dictísque fratres dimicare mutuis,
Siquando lis inciderit aut contentio.
Aga. Bene tibi Menelae contrà iam volo maledicere,
Idque paucis, necui parum prudenter ac nimis
Inuerecundè putemur agere: sed modestiùs
Tibi loquemur, quippe fratri. NAM vir improbus quidem
Is mihi videtur esse qui vereri non solet.
Cedo mihi, quid acerba spiras sic cruẽto lumine?
Quis nocet tibi? quídve factum est? ánne raptæ
Recipere pręclara sanè cõcupis cubilia? (cõiugis
Nõ tibi hoc præstare nostrũ est: nã tuorũ tu tibi
Ipsus auctor es malorũ. deinde cõmissi obsecro,
Ipse quod nũquã patrarim, innoxi⁹ pœnas luã?
Nostræ num te ambitio mordet? at venustam coniugem
Missо honestо, æquo bonóque, vis tenere amplexibus.
NAM viri mali improbíque sunt voluptates malæ.
Ego quòd antehac ista non perpenderim consultiùs,
Sanus haud sum, an veriùs tu? quippe q̃ cõnubio
Quum sies malo leuatus, denuò repetas miser,
Postquàm diis secundis res bene obtigerit tibi.
Sed proci olim tibi Tyndarea deierarũt fœdera,
Improbi, nequã, & superbis imminẽtes nuptiis.
Ast ego ipsam spẽ videlicet arbitror magis deam
Illud effecisse quàm te vímve consilii tui:
Quos agẽs, bellũ auspicare. nã reor fore vt scias
Mẽte vecordi inita prauè, vsque adacta fœdera:
Cæterùm meos ego non liberos mactauero.
Ac tuo quidem arbitratu cõmodóque scilicet,
Coniugis vindicta fiet præter æquum pessimæ?
Me dies noctésque mœstis lacrymis confecerit,

Impia interim patrantem & æquitati dissona,
In meos quos ipse seui sustulíque liberos?
Hæc breui tibi dicta sunto plana & expedita: sin
Sapere rectè tu recuses, mea bene statuã tamen.
Cho. Diuersa dictis ista superioribus
Relata sunt: at illud admonent probè,
VIM propriis esse abstinendam à liberis.
Me. Proh habeo amicum neminẽ infelix. *Ag.* habes
Qui sunt amici, ni velis euertere.
Men. Vbi te arguis mihi patre communi satum?
Aga. At sapere tecum cupio, non furere simul.
Men. DOLERE amicos tamen oportet mutuum.
Aga. Tum accerse, quum iuuare vis, non lædere.
Men. Censes in his non adiuuandam Græciam?
Aga. At ista tecum quopiam insanit deo.
Men. Sceptris tumescis, fratre deserto tuo.
Ego porrò ad alias verto me arteis quaspiam
Alióque amicos.
Nun. Dux Achiui exercitus
Agamemnon, adsum filiæ aduector tuæ,
Pridem Iphigeniam quam vocasti in ædibus.
Comes ipsa venit virginis mater, tua
Coniunx Clytæmnestra, tuum vnà filium
Ducens Orestem, quò voluptatem tibi
Conspectus horum pariat, vt qui iamdiu
Procul à tuis agas foris penatibus.
Sed quòd viam longam peregerint, apud
Lymphas nitentes fontis Euryti manent.
Simul à viæ labore respirant graui
Ipsæ iugales, quas quidem dimisimus
In pascuæ virentis herbidum sinum,
Vti reficiant fessa pabulo corpora.
Ob hæc ego tui prænonendi gratia
Huc præcucurri. quippe Graiûm exercitus
Resciuit. alis fama peruolans citis
Iam dissipauit filiæ aduentum tuæ.

Totúsque cursu cœtus ad spectaculum
Effunditur, quo filiam aspiciat tuam:
VT inter omneis nempe mortales solent
Et inclyti esse semper & spectabiles,
Quibus bonis fortuna flatibus fauet,
Aiúntque, Nunquæ nuptiæ? sed quid rei
Paratur? an desiderio gnatæ suæ
Tactus Agamemnon, aduocauit virginem?
Alióque rursum hæc audiisses dicere,
Artemidi nunc initiant puellulam
Regnum obtinenti littoralis Aulidis.
Verùm quis illam ducet vxorem? cedo.
Sed interim hæc omittimus. quod insuper
Restat, coronam primus è calatho cape.
Vincito sertis tempora: & tu rex item
Menelae præbe te lubentem nuptiis,
Et in ædibus numeroso resonet tibia,
Solúmque læto perstrepat plausu pedum.
Nam faustus iste virgini illuxit dies.
Aga. Probé. sed intrò te recipito, cætera
Fato viam monstrante succedent bene.
Eheu miser quid dicam? (vt abs te exordiar)
Necessitatis heu quod incidimus iugum?
Fortuna proh præuertit imponens mihi,
Suáque nostrum vicit astum astutia.
At generis ipsa obscuritas vt quiddam habet
Et commodum profectò & exoptabile!
Nam libertum illis lacrymas profundere
Queríque misera: stirpe at illustri satis
Sunt hæc negata, sed arbitrum vitæ leuem
Populum obtinemus, atque multitudini
Seruimus. etenim me verat quidem pudor
Genas rigare lacrymis, rursum pudet
Miserum carere lacrymis in maximas
Cladeis redactum. At hæc sinamus: quid meæ
Respondeam de rebus hisce coniugi?

Qua fronte contra hanc obtuebor, aut quibus
Modis recipiam? quippe quæ me perdidit,
Ad ista quæ nunc me premunt miserũ mala
Iniusta veniens. attamen probabili
Causa huc profecta est filiæ comes suæ,
Quũ nuptias celebret, & quibus nihil
Antiquius iucundiusque, eam collocet,
Qua nos quidem in re deprehendet impios.
Rursum misellæ virginis (quid virginis,
Quæ mox opinor sponsa nubet inferis?)
Vt est miserum! Supplicabit hæc mihi
Ad hunc reor modum: O pater, me occidere
Paras? at istiusmodi connubia
Veniant tibique & siquis est charus tibi.
Præsens Orestes hæc mihi opplorabit haud
Scita, at scienter; quippe adhuc intantulus.
Ah, vt peremit me potitus nuptiis
Helenes Lacænæ Troico Priamo satus,
Horum malorum qui mihi est auctor, Paris.
Chor. Me quoq; misertũ est, quatenus decet hospitã
Malis tyrannorum ingemiscere fœminam.
Men. Germane dextram da mihi vt tangam tuam.
Aga. Dolore penes victoria est, ast ego miser.
Men. Per Pelopa iuro, qui mei pater patris
Tuique dictus, perque genitorem Atreum,
Proloquar aperte mentis ex sententia,
Nihilque fucans, immo quicquid sentiam.
Mihi te videnti oculos rigantem lacrymis,
Fraterna pectus perculit miseratio:
Vicissim & ipsus oratinxi lacrymis,
Veterémque prorsus exui sententiam
Haud iam quidem infestus tibi aduersarius,
Sed facio tecum, stans tuis à partibus.
Hortórque te ne filiam perimas tuam,
Neu præferas meum tuo negocium.
Neque enim sit æquum, tristibus suspiriis

Te macerari, me suauiter agere:
Tuos mori, supera meos aura frui.
Quid enim mihi volo? nunquid eminentia
Rursum queam nanciscier connubia,
Connubiorum si trahar cupidine? (cet)
Fratrémne perdens (me quod haudquaquã de-
Helenam præoptem, id est loco boni malum?
Incogitans ac iuuenis antehac fui,
Sed propiùs atque fixiùs considerans
Rem, video quale erat perimere liberos.
Ad hæc, puellæ me subit miseratio,
Dum reputo nimirum esse cognatam mihi,
Quæ misera nostri gratia connubii
Erat immolanda. at quid negocii aut rei
Cum Tyndaræa virgini est Helena tuæ?
Dimissus abeat Aulide hinc exercitus,
Tu frater oculos parce tingere lacrymis,
Simúlque nos in lacrymas impellere.
Iam te tua de filia, siquid mouent
Responsa, me nihil mouerint. tibi meas
Transcribo partes. Sed quòd in contrariã
Mutatus abeo, nunc acerbam deseram
Orationem, iure facio si patre
Prognatum eodem charitate prosequens,
Transgressus in diuersam eo sententiam:
QVANDO illud est non improbi munus viri,
Vbique factu quod sit optimum, sequi.

Ch. Generosa dixti, ac digna Tantalo Iouis
Genere, & parentéis neutiquam indecorãs tuos.

Aga. Collaudo te Menelae, quòd præter meam
Opinionem, sic (vti te dignum erat)
Orationem verteris rectè tuam.

Me. Nonnullus olim ex cupiditate fratribus
Oritur tumultus, & è domorum opulentia:
Germanitatem at istiusmodi quidem
Fratrum inter ipsos execror amarissimam.

Aga. Nihilominus nos illigat neceſſitas
Gnatam cruenta cæde vt immolem meam.
Men. Quî?te quis adiget gnatam vt interimas tuam?
Aga. Graiûm vniuerſum conglobatæ copiæ.
Men. Non, ſi remittas rurſum ad Argos virginem.
Aga. Fefellero hîc, illîc ſed haud fefellero.
Men. Quid hoc? Timere non decet turbam nimis.
Aga. Calchas Achiuis proferet vaticinia.
Men. Non, ſi antè pereat, ſídque fiet commodé.
Aga. GENVS omne vatum gloriæ eſt auidũ malũ.
Men. At nil habet nec inutile vt nec vtile.
Aga. Non metuis illud quod mihi in mentẽ venit?
Men. Quî ſuſpicer quod cogitas, ni dixeris?
Aga. Cuncta hæc ſceleſtum Siſyphi nouit genus.
Men. Nihil eſt, Vlyſſes quod tibi aut mihi noceat.
Aga. Is varius vſque ac multitudini obſequens.
Men. Ambitiõ nempe hunc peſtilens tenet malum.
Aga. Hunc proinde iam nunc inter Argiuos puta
Aſtare mẽdios, atque tibi eloqui palãm
Quæcunque Calchas dixit afflatus deo,
Et vt Artemidi me victimam receperim
Gnatam daturum, deinde promiſſum deæ
Mendax negarim: ita concitatis cõpiis,
Vbi méque téque iam peremerint, dare
Tum virginem ſuadebit Argiuos neci.
Quòd ſi cita Argos me recepero fuga,
Aderunt, & ipſis me ſimul cum mœnibus
Cyclopiis euerterint, necnon ſolum
Vaſtauerint. ad hunc modum infortunia
Sẽ noſtra habent. heu miſer & infelix, vt his
Nunc per deos perplexus inuoluor malis!
Vnum hoc mihi Menelae ſerua copias
Adiens Achiuũm, nequid iſtius rei
Reſciſcat vxor antequam gnatam meam
Mactatam ad Orcum & interos demiſero,
Quo lacrymis quantum poteſt pauciſſimis.

Miſer ſiem: at vos hoſpitæ mihi fœminæ
Silentio negocium cælabitis.
Ch. FELICES, quibus obtigit
Sors nec ſumma nec infima,
Sed ſanè modica, & quibus
Caſtos annuit aurea
Nanciſci thalamos Venus,
Tranquilláque perenniter
Conſuetudine perfrui:
Quorum pectora mutuis
Flagrant incita flammiulis.
Poſtquam iam geminis trahens
Spicla torquet ab arcubus,
Tincta ſpicula Gratiis,
Coma ſplendidus aurea
Cupido deus aliger,
Quorum hæc dulce & amabile
Æuum proſpera conferunt,
Vitæ hæc perniciem ferunt
Ac turbam, hunc equidem meis
Formoſiſſima deprecor
Auerſórque toris, Venus.
Sit modeſta mihi precor
Formæ gratia, ſint mihi
Amores liciti ac pii,
Contingant mediocria
Blandæ munera Cypridis:
Porro ingentia deprecor.
HVMANIS variantia
Sunt diſcrimina mentibus,
Sunt diſcrimina moribus.
At qui rectus & integer,
Is ſemper ſimilis ſui.
Quin probis rationibus
Educi teneros adhuc,
Momentum obtinet haud leue ad

Virtutem. siquidem inserit
Primum illud venerabilis
Pectori sapientia,
Fœdum vti fugiat nefas.
Dein fert hanc quoque gratiam,
Mente vt cernere callida
Quid facto sit opus, queat.
Quæ res conciliat suis
Ignarum senii decus
Gloriámque, perenniter
Quæ nomen parit inclytum.
Res est maximà quæpiam
Virtutis studium sequi.
Quæ præstanda domi probis
Priuatim mulieribus
Sancta coniugii fide:
At palàm decorans viros
Inter densa frequentium
Foro millia ciuium
Rei commoda publicæ
Vsque in maius adauxerit.
Illinc Pari es profectus,
Vbi alitus inter Idæ
Armenta læta pastor,
Vbi barbaras cicutis
Phrygiis canens solebas
Sonare cantilenas,
Olympicóque ritu
Calamos liquente cera
Adglutinare plureis,
Boúmque grex obesus
Pascens virente passim
Obambulabat aruo,
Tua quum chorus dearum
Arbitria flagitabat.
Ea causa te profectum

In Græciam vocauit.
Hæc hospitem recepit
Tectis superba eburnis.
Oculis vbi peruleis
Contrà intuens decoram
Helenen, amoris œstro
Vehemente perculisti,
Perculsus interim ipse
Pari vicissim amore.
Hoc fonte nata lis est
Quæ copias Pelasgûm
Cum classe tanta ad vrbem
Impellit Ilienſem.

Cho. Io, Io.
Magni magnis florent opibus.
Rege creatam genitore, meam
Cernite Iphigeniam reginam,
Atque Clytæmnestram Tyndareî
Sanguine cretam.
Vt magnis è stirpibus ortæ,
Vtque ad summum sunt euectæ
Decus ac fortunæ splendorem.
PORRO diuûm numina partim
Opibus possunt plus humanis,
Partim quos fors vrget iniqua,
Hos felicibus ornant rebus.
Consistamus grex Chalcidicæ
Indigena ac vernaculus vrbis,
Quo reginam procul à turba
Excipiamus, comiter illi
Porrectis manibus, placidáquê
Mente ac hilari vultu, vti certo
In plana soli pede descendat.
Nequid pauitet generosa dulcis
Gnata Agamemnonis, huc mihi primùm
Nunc aduenienſ, nequid turbæ

Attonitíve pauoris, temere
Argiuorum ex vrbe profectis
Moueamus hoſpitæ hoſpitis.
Cly. Auguria nos quidem iſta conſulimus boni,
Certè quod ad te pertinet, felicia,
Tuæque capimus fauſta vocis omina.
Nonnulla porro ſpes habet animum meum
Quòd auſpicatas pronuba huc ad nuptias
Aduenerim. at vos quas ego horſum filiæ
Comites ab Argis duco dotaleis meæ,
E curribus feliciter deſcendite, &
Ritè ac decenter in atrium procedite.
Dein tu quadrigas gnata cautim iam mihi
Linquas equeſtreis, mẽbra ſenſim ac molliter
Et tenera ſimul & imbecilla promouens.
Vos hanc in vlnas excipite iuuenculæ,
Procul ac citis diſcedite à vectabulis.
Mihi fulcientem porrigat aliquis manum,
Currus volucres quò relinquam commodé.
At vos equinis ſtetis aduerſæ iugis.
TERRIFICA nãq, eſt res, oculus eq ferox.
Atque hũc puellum Agamẽnonis prolẽ, manu
Corripite Oreſtem, nempe adhuc infantulũ.
Mi gnate dormis vehiculi iactamine
Sopitus? expergiſcere ad ſororias
Auibus ſecundis atque lætis nuptias.
Si quidem ipſe quum ſis nobili natus loco,
Mox ſortieris optimi ac ſummi viri
Affinitatem, principem Nereide
Parente natum, par deis ipſis genus.
Ex ordine huc age ad pedes properè meos
Iuxta parentem gnata tete colloca,
Ac proximè Iphigenia conſiſtens mihi,
Huic hoſpitarum fœminarum me choro
Oſtende quàm ſim te beata filia.
Charo ſalutem mox face vt dicas patri.

Iph. Ita mater, occurrens in amplexus (tua
Quod pace dicam, ne mihi succenseas)
Pectus paterno pectori adprimam meum
Cly. Agamemnon ô Rex, ego cui vel maximam
Mortalium vni debeo reuerentiam,
Adsum, tuis en obsecuta iussibus.
Iph. Sed & ipsa cupio longa iam post tempora
Admota genitor pectus amplecti tuum.
Etenim tuis sitio frui conspectibus,
Id pace si modò mihi liceat tua.
Aga. Age gnata fruere, quando iampridé omnibus
E liberis quos vxor edidit mihi,
Te vna parentis nullus est amantior.
Iphi. Te mi pater lætáque lubénsque conspicor,
Post longa secli spatia non visum mihi.
Aga. Itidem pater te gnata: quódque ais modò,
Ex æquo vtrisque conuenit nobis simul.
Iphi. Salue. quòd autem huc iusseris me accersier,
Amo te, & abs te est optimè factum pater.
Aga. Atqui hoc quod es modò elocuta filia,
Equidem haud reperio quî vel aiam vel negé.
Iphi. Hei mihi, quid hoc est ꝙ lubés quũ videris,
Placido haud tamen nos intuere lumine?
Aga. REGNVM geréte ac bellici agminis ducem,
Permulta curis distinent negocia.
Iphi. At nunc mihi te des, & in me vnam tuum
Animum à molestis auoces negociis.
Aga. At nunc quidem in te, haud aliubi, mea filia
Sum totus, omni dedicatus pectore.
Iphi. Ergo supercilium remitte nubilum,
Meâque frontem exporge gratia pater.
Aga. Iam lætor ecce, lætor vsque filia,
Donec tuis datur frui conspectibus.
Iphi. Quid igitur isthuc, quid sibi vult obsecro,
Quòd tristibus genæ madescunt lacrymis?
Aga. Etenim hic dies absentiam præsens mihi,

Tibíque pariet gnata quam longissimam.
Iphi. Isthuc quidem quod dicis haud intelligo: haud
Intelligo ô parens mihi charissime.
Ag. At tu quidem quanto loquere cordatiùs,
Tanto grauiùs exulceras animum mihi.
Iph. Insulsa potius atque stulta dixero,
Si tibi futura hoc sim voluptati modo.
Ag. Papæ. silere non fero ipse, nec queo.
Collaudo verò te probéque filia.
Iph. Mane ô parens tuis domi cum liberis.
Ag. Equidem volo atqui quod volo, quia nõ licet,
Isthuc profectò pectus excruciat meum.
Iph. Infausta pereant tela & arma martia,
Et inauspicata ac dira Menelai mala.
Ag. Alios sed huius antè perdiderint mala,
Quibus ipse dudum perditus teneor miser.
Iph. Vt abfuisti temporis multum pater,
In intima diu moratus Aulide!
Ag. Quin nunc item me quiddam adhuc vetat rei
Ratibus per æquor copias traducere.
Iph. Gétem obsecro istam, quã Phrygũ vocãt, pater,
Vbínam locorum sedem habere prædicant?
Ag. Illîc, vbi vtinam proditum Priamo Fatin
Nullo obrigisset sedem habere tempore.
Iph. Procul relicta me auchêris hinc parens?
Ag. Quin ipsa eodem gnata quò pater, venis.
Iph. Oh.
Vtinam mihi tibíque commodum fiet,
Cursus vt & me duceres comitem tui.
Ag. Isthuc quid optas? nauigabis tu quoque,
Vt iam parentis gnata memineris tui.
Iph. Vtrúmne dulci nauigauero comes
Matri, an ne ego istam sõla conficio viam?
Ag. Sola profectò, sõla, semota procùl
Dulcique matre, pariter & charo patre.
Iph. Alias in aedis me videlicet pater,

Domúmque peregrinam locare destinas?
Ag. Mitte hæc.nefas enim ista scire virgines.
Iph. Propera mihi redire sospes ab Ilio,
Rebus probè illic ordinatis,mi pater.
Ag. Verùm hoc mihi prius necessitas loco est
Nonnullam ad aras immolare victimam.
Iph. Isthoc proin spectare de negocio
Quid fas piúmque,cum sacris decet,pater.
Ag. Spectabis ipsa.nam futurum est vti sacris
Adstes & adsis tu lauacris proxima.
Iph. Ducemus aras num choros circum pater?
Ag. Feliciorem te atque nemet autumo,
Nihil quòd horum intelligas.Sed intrò age
In tecta gressum conferas,ac virginum
Comitúmque temet offeras conspectibus.
At triste porrige osculum ac dexteram mihi,
Longùm à paternis abfutura vultibus.
O pectus,ô genæ,ô pares auro comæ,
Quantum heu dolorum Troia nobis attulit
Pondus,Helenéque! Sed loqui iam desino:
Nam me quidem æstus corripit rapidus,genis
Repens obortus,simul vt ora basio
Tua contigi.sed hinc abi in penetralia.
At illud abs te postulo Ledæ genus,
Vti nequid hæc res pectus offendat tuum.
Si mi nimius exulcerat mentem dolor,
Mox gnatam Achilli cœlocaturo meam.
Nam splẽdidæ quidem & expetendæ nuptiæ.
TAMEN parenteis nonnihil mordet pios,
Vbi in familiam liberos dulcis pater
Tradit alienam,quos labore plurimo
Curísque summis educauerit diu.
Cl. Equidem haud ita sum stulta,mẽrísque indiga,
Quin ista & vltrò me suasuram puta,
Ita vt nihil monitore te fuerit opus,
Quum ritè mihi sit elocanda filia.

Sed mos & ipsum tempus ista postulat,
Ac res vtræque nos secus facere vetant.
Huius itaque, cui destinasti filiam,
Nomen quidem ipsa teneo, cæterùm genus
Quod & vnde ducat, id cupio iam discere.

Aga. Asopus Æginam creauit filiam.

Cly. Mortalium hæc aut cui deorum nupserat?

Aga. Ioui, at Æacon ille generat OEnones patrem.

Cly. Sed Æaci quæ suscipit proles domum?

Aga. Peleus. at ille Nerei gnatam tulit.

Cly. Deón' volente? an raptam, & inuitis deis?

Aga. Despondet auctor Iuppiter, locat pater.

Cly. Vbi ducit illam, an in marinis fluctibus?

Aga. Vbi sancta Chiron tecta Pelei colit.

Cly. Centauricónn' vbi mansitare aiunt genus?

Aga. Ibi diis peracta Pelei connubia.

Cly. Sed vtrum Achillem nutriit Thetis, an pater?

Aga. CHIRON, vti ne rudibus annis improbos
Mores malorum disceret mortalium.

Cly. Hem.
Sapiens quidem educator, at sapientior
Fuit ille quisquis educandum tradidit.

Aga. Atque is futurus filiæ vir est tuæ.

Cly. Haud malus. at vrbem Græciæ cedo quã colit?

Aga. Iuxta Apidani fluenta Phthiæ in finibus.

Cl. Illuc tuam meám que ducet filiam?

Aga. Curæ marito hæc sunt futura virginis.

Cl. Bene 'sit vtrique. at quo precor ducet die?

Aga. Simul atque Lunæ dexter orbis venerit.

Cl. Sed quas oportet ante gnatæ nuptias
Ferire, Diuæ iam immolasti victimas?

Aga. Mactabo. nam nunc agitur hoc negocii.

Cl. Ac deinde celebraturus es connubia?

Aga. Vbi soluero diis quas necesse est victimas.

Cl. At nos vbi epulum fœminis parabimus?

Aga. Hîc iuxta Achiuæ classis æratas rateis.

Cl. Probè,& ita neceſſe eſt,attamen communica.
Aga. Scin' ergo quid ages vxor?ac pare mihi.
Cl. Rei quid hoc? parêre nam ſoleo tibi.
Aga. Nam nos quidem illic,ſponſus vbi ſeſe tenet.
Cly. Cur abſque matre? vicéſne obibitis meas?
Aga. Gnatam elocabimus inter Argiuos tuam.
Cly. Nos interim manere quo iubes loco?
Aga. Argos profecta virginum curam gere.
Cly. Gnatámne linquens? ergo quis tollet facem?
Aga. Ipſe exhibebo debitam ſponſo facem.
Cly. Haud moris hoc, nec iſta tu cenſes probé.
Aga. Te in militum verſarier turba haud decet.
Cly. Matrem decet meos locare liberos.
Aga. Decet & puellas, noſtra quas habet domus,
Haud ſinere ſolas. Cly. Hæ quidem tutiſſimis
Cuſtodiuntur adprobè conclauibus.
Aga. Pareto. Cly. Non per numen Argiuæ deæ.
QVIN tu foris quæ ſunt agas negocia,
Curas ego tractauero domeſticas:
Et quid puellis competat nubentibus,
Id eſt mearum penſitare partium.
Aga. Hei mihi, laboris ſumpſi ego hoc inaniter,
Ac ſpe malè fruſtratus excidi mea,
Dum conor ablegare quópiam miſer
Vxorem ab oculis. aſtu at ecce callido
Vtor, & in hos qui ſunt mihi chariſſimi,
Intento technas, nil inexpertum doli
Linquens: & vndecunque vincor. attamen
Iam vate cum Calchante ſciſcitatum eo
Oraculum, placitum quidem deo, at mihi
Inauſpicatum, calamitatem Græciæ.
PORRO viri illud eſſe prudentis puto,
Frugi vt probámque coniugem in penatibus
Nutricet, aut ne prorſus vllam nutriat.
Ch. Ilicet ſacrum Simoentis amnem
Vitreo qui gurgite vorticoſus,

Impetu fertur Phrygios per agros,
Iam petet collecta cohors Achiuûm
Nauibus cum veliferis & armis
Ilium infelix aditura Troiæ,
Conditum flaui lyra & arte Phœbi
Oppidum: Cassandram vbi fama narrat
Aureos crineis agitare vatem,
Laureæ semper viridantis alma
Diffluentem fronde comam ambiente.
Numinis quam iam omniscio incitata
Non sui compos agitatur œstro.
Cæterùm densa Phrygii corona
Pergama cingent.
Tunc vbi Mauors ferus atque ahenis
Horridus scutis properante pinu
Feruidi emensus vada cæca ponti,
Remige appellet Simoentis oras,
Castoris raptam vt repetat sororem
Atque Pollucis, geminorum in astris
Siderum, víque à Priamo receptam
Fortibus teli clypeísque Graiûm,
Rursus in terram referat Pelasgam.
Mœnium at quum piniferas coronas
Cinxerit iam teligera phalange,
Cinxerit turreis validas, & vrbem ob-
sederit bello Phrygiam cruento,
Funditus victor populans, & inde
Ense crudeli capita amputarit
Ciuium ceruice resecta dirus,
Tum nurus Troiæ, teneráque sponsas,
Quin & annosam Priami beati
Regis vxorem, lacrymis acerbis
Affatim implebit, miseróque planctu.
Interim proles Helene tonantis
Flebilis ibit,
Deserens dulcis thalamos mariti.

Ne precor, ne vel mihi vel meorum
Liberis vnquam veniat nepotum
Ista spes, qualis reor obtinebit
Diuites Lydas miserásque Troum
Coniuges fusis simul assidenteis:
Ac suis pensis querulæ inter ipsas
Talia dicent:
Quis putas me mox miseram capillis
Pertrahens certa mihi lege comptis,
Patriæ euersæ simulatque captam
Senserit flentem ferus hostis arcem,
Polluet, victæque decus pudoris
Dulce decerpet violans, tuáque
Gratia nimirum Helene, cygno por-
rectili ceruice superbienti
Nata, seu vera est ea fama quondam
Alitis Ledam venerem tulisse
Ipso in hanc verso Ioue: siue vatum
Fabulis fictis potius camœnæ
Dissiparunt hæc hominum per ora.
Ach. Vbi hîc Achiui ductor est exercitus?
Quisnam è ministris ibi illi nuntius
Adesse Achillem Peleo satum patre,
Pro foribus, ipsum conuenire qui velit?
Etenim diu iam sorte nequaquam pari
Frustra opperimur feruida Euripi vada:
Aliique nostrûm liberi connubiis
Relicta inani ac solitaria domo,
Hoc ocioli desidemus littore,
Alij iugati vxoribus, sed liberis
Nondum creatis. Vsqueadeo impotens amor
Ardórq; nouus, haud absque diuûm numine,
Habet huius expeditionis Græciam.
Itaque quod ad me pertinet negocii,
Id memetipsum expostulare conuenit.
Porro alius itidem, si quidem videbitur,

Pro se loquetur ipse. Nanque Pharsalo
Patria relicta, ad hoc parente Peleo,
Tenuia pigri flamina Euripi moror,
Myrmidonas hîc vel ociosos detinens,
Qui me quidem vrgent semper hisce vocibus,
Quid hîc Achilles commoramur? aut quoad
Priameia adhuc ad Pergama traiectio
Sine fine lentis prorogabitur moris?
Face siquid es facturus, aut retrò domùm
Vnde huc profectæ, copias reducito,
Haud longa Atridarum manens cunctamina.

Cly. O gnate Thetidis, intus audito tuo
Sermone, celeri prodii foras gradu.

Ach. Sancte ô pudor, quænam ista tandé fœmina,
Quam conspicor forma decente præditam?

Cly. Non est nouum nos antè non vitas tibi haud
Agnoscier: verùm modestia tua
Delector ac pudore reuerenti mei.

Ach. Quæ tãdé es? aut quid Achiuũ in agmé fœmina,
Virósque adisti armis amictos martiis?

Cly. Ego gnata Ledæ sum, Clytæmnestre mihi
Nomen, Agamemnon dux maritus est meus.

Ach. Dixti probè & compendio quod oportuit.
Mihi at indecorum est colloqui cũ fœminis.

Cly. Hem quò fugis? quin dexteræ dextrã applica,
Lætum futuri initium connubij. (nem

Ach. Quid ais? Egon' tibi dexterã? atqui Agamémo-
Vereamur, horum siquid attigero manu,
Quæ neutiquam mihi fásve núsve tangere.

Cly. Fas maximè, quando meam tu filiam
Duces marinæ germen ô Nereidis.

Ach. Quas nuptias cedo prædicas? equidem mihi
Nihil est quod his respondeam, nisi forsitan
Tu rẽm quòd istam perperam intellexeris,
Nobis proinde fabulam adportas nouam.

Cly. Cunctis id insitum est, vti reuerentia

Capiantur ac pudore, siquando nouis
Visis amicis audiant de nuptiis.
Ach. Ego profectò mulier haud vnquam tuæ
Connubia procus expetiui filiæ,
Nec vllus vnquam mihi super connubiis
Allatus est è gente Atridûm nuntius.
Cl. Quid esse tandem possit hoc negocii?
O rationem tu vicissim nunc meam
Mirare: dicta nempe miror ego tua.
Ach. Coniicito, coniectare quid sibi hæc velint
Commune nobis. NON enim ambo forsitan
Mentimur, etsi dicimus contraria.
Cl. Annon nouum mihi contumeliæ genus
Fit, quæ quidem (vt videtur) nuptias
Concilio falsas: me profectò horum pudet.
Ach. Fors méque téque quispiam lusit dolo.
Verùm ista mittas, nec feras acerbiùs.
Cl. Valeto. rectis non enim posthac queo
Te oculis tueri, quando sum mendax tibi
Reperta, méque indigna nimirum tuli.
Ach. Totidem tibi verbis ego respondeo.
Sed vt maritum quem peto, quæram tuum,
In ista iam nunc tecta conferam pedem.
Se. Hospes Æaci nepos maneto, nanque appello te
Editum dea parente, téque Ledæ filiam.
Ach. Hem quis hic qui nos aperto iã vocauit ostio
Ore q̃ tumultuoso, vultu vt attonito vocat!
Se. Seruus, hinc haud insolesco: fors enim haud sinit mea.
Ach. Cæterùm illud adde, cuius? neutiquã certè me⁹.
Separatæ enim meæ res à bonis Agamẽnonis.
Se. Seruus istarũ ante quas me stare cernis ædium.
Nãque in hãc domum huius olim Tyndareus
dedit pater.
Ach. En restitimus. ergo fare, siquid eloqui velis,
Cur gradum bene institutũ iusseris me sistere.

Sen. Num fores ad hasce soli vos duo consistitis?
Cl. Immo solis quo loquare, regis ab ædibus
Prodeas foras, & ad nos ipsus huc cõfer gradũ.
Se. O potens fortuna rerum, mecáque prouidentia,
Obsecro, seruate, saluos quos ego esse perue-
Ach. Differetur (sicuti videtur) hæc narratio: (lim.
Præque se profectò quiddam magnum & ar-
dirum gerit.
Cl. De fide silentii tu nequid hæsites senex,
Néue cunctéris loqui, mihi siquid eloqui velis.
Se. Scis profectò, quisquis essem quantulúsque, in
te tamen
Beneuolum fuisse semper ac tuos in liberos.
Cl. Scio. videlicet meorum iam diu penatium
Esse te veteré ministrũ, ac familię columé meæ.
Se. Scis opinor & illud, olim vt dotis in partem tuę
Me receperit Agamemnõ dux Achiui exercit⁹.
Cl. Argos es mecũ profectus, addit⁹ spõsæ comes,
Ac meus semper fuisti & partibus studés meis.
Se. Sic habet res. Cæterùm tibi sum quidem volés
bene.
Hera, tuo veriùm marito nõ perinde sum fauẽs.
Cl. Ergo nunc aperito tãdem quæ parabas dicere.
Se. Nempe, filiam tuam qui seuit ac genuit pater,
Ipse mactare cruentus manibus apparat suis.
Cl. Quî potest? orationem abominor senex tuam:
Non enim mihi videris sapere sanum scilicet.
Se. Apparat cruentus inquam desecare ferreo
Ense ceruicẽ puellæ cãdidã miserrimæ. (meæ?
Cl. Hei mihi miserę: an maritus obsecro insanit
Se. Sanus is quidẽ, nisi in te coniugẽ necnon suam
Filiam. profectò parte hac ille nil sanũ sapit?
Cl. Gratia qua? cedo: quis illũ geni⁹ instigat mal⁹?
Se. Numinũ responsa cogunt. sic enim Calchas ait
Augur, vt Danaũ phalãges classe sulcẽt equora.
Cl. Quò pfectura est Pelasgûm classis? infelix ego.

Illa at infelix magis, quã dirus occidet pater.
Se. Dardani ad sedes, sacræq; celsa Troiæ Pergama
Victor vt Menela⁹ Helenã marte recipiat suã.
Cl. Scilicet sic destinarant fata iniqua numinum,
Vt rediret Helena nobis gnatæ in exitiũ meæ?
Se. Rẽ tenes hera prorsus omnẽ. nanq; Dianæ, pa-
Mox tuã sacras ad aras immolabit filiã. (ter
Cl. Quid sibi vult ergo quòd prætexuere nuptias?
Quæ quidem me ter mensem huc euocauit ædib⁹.
Se. Quo volens lubénsque gnatam adduceres hor-
tum tuam:
Quippe eam datura Achilli nuptum Achiuũm
principi.
Cl. Proh dolor, miseranda gnata, quo perires, huc
domo
Atque in exitium es profecta, túque egóque
parens tua.
Se. Miseráque & lacrymanda ferris vtræque, quũ
sitis duæ:
Cæterùm dira atque acerba ductor Agame-
mnon parat.
Cl. Heu dolor, miserãda perii, nec mihi iã lumina
Perferũt diutius, neque temperãt à lacrymis.
Se. Siquidẽ graue esse possit aut molestũ fundere
Lacrymas, quæ sit suis orbanda liberis parens.
Cl. Tũ sed ista senior vnde scire tenet prædicas?
Nunquid audisti tibi renũtiante quopiam?
Se. Missus abieram, tabellas adferens tibi alteras
Præter illam quam prius receperas epistolam.
Cl. Vtrum vt interdiceres, an denuò nobis idem
Nuntiares, immolandam vti filiam deduceres?
Se. Immo vti denuntiarẽ, virginem ne adduceres.
Nam tuus fors tũ maritus cœperat resipiscere.
Cl. Deinde quî factum est vt ad me quas teren-
das ceperas,
Nõ eas pertuleris idẽ, manibus imponẽs meis?

Se. Vetuit id Menelaꝰ, hâs qui manibꝰ eripuit meis,
Vnus horũ qui malorũ cauſa & auctor extitit.
Cl. Nate Peleo parente, germen ô Nereidis,
Marte præpotẽs Achilles, hæccine audis obſe-
Ach. Audio mulier, videlicet eſſe te miſerrimã. (cro?
Cæterùm læſum haud leui me cõtumelia puto.
Cl. Filiam dare cruento deſtinant letho meam,
Ad dolum tuarum abuſi nuptiarum nomine.
Ach. Quin & ipſe tuo marito indignor ac ſuccẽſeo,
Nec negociũ mihi hoc vulgaribꝰ dolet modis.
Cl. Me quidem haudquaquam pudebit genibus
aduolui tuis,
Quippe mortalem parente proditi in lucẽ dea.
Cur enim nunc iactitem me, ac dignitatis ſim
memor?
CVIVS ergo quæſo matrẽ deceat eniti magis,
Atque pro gnatæ ſalute? proĩde age ô dea fate,
Opitulare tum meis precor malis, tum virgini
Quæ fuit tua dicta cõiunx. hoc inaniter quidẽ
Fateor, ãttamẽ hãc ego ſertis reuinctã frõdeis
Arbitrata tibi futuram coniugẽ adduxi domo:
Cæterùm ad cædẽ necẽq; virginẽ nũc adueho.
Huiꝰ at facti probrũ in te recidet, atq; ĩfamia,
Ferre opem qui ſis grauatus. licet enim non
duxeris,
Dulcis es miſeræ tamẽ dictus maritꝰ virginis.
Pérque mentum, pérque dextram, pérque ge-
nitricem deam,
Quando me ſolũ profectò nomen extinxit tuũ,
Hoc oportet te tueri, alia non ſupereſt mihi
Ara quò refugere poſsim, genua præterquam
ad tua,
Quippe cui nõ adſit vllus hîc amicus, vnde mi
Adferendæ opis aut ſalutis vlla ſpes arrideat.
Id genꝰ cuiuſmodi audis, facta ſũt Agamẽno-
Plenáq; crudelitatis perditæq; audaciæ. (nis,

Adde ad hæc quòd (vti vides) ad nauticas &
efferas
Mulier aduenì phalanges, turbam & effrenem
virûm
Ad patranda scelera prõpta præditos audacia,
Nec, nisi siquando ita ipsis collubuerit, vtileis.
Proinde tu si non grauabere dexteram mi ob-
tendere,
Vsque nos tua tueri, scilicet saluæ sumus:
Sin secus, tũ spes salutis nulla nobis reliqua fit.
Ch. Res efficax peperisse, vímque maximam
Amoris adfert omnibus communiter,
Vti pro suis summè adlaborent liberis.
Ach. Ingens mihi animus tollitur magis ac magis,
Condidicit autem tum malis ægrescere,
Tum prosperis gaudere modicè casibus.
Ch. Huiusmodi quidem ratio mortalibus
Rectè instituta est, vt bene ac feliciter
Rectrice vitam transigant sapientia.
Ach. Est interim autẽ dulce non sapere admodum,
Rursum interim homini sapere cõducit magis.
At ego educatus pridem in integerrimi
Domo viri Chironis ac iustissimi,
Simplicibus vti consueui moribus.
Proin Atridis, si probi fuerint duces,
Parebimus: sin improbi, haud parebimus.
Sed tum loco hoc, tũ Troiæ ad vrbis mœnia,
Ego liberum vsque mentis ingenium meæ
Præ me ferens, martem, quod ad me pertinet,
Forti manu ac virtute condecoraùero.
Ad te quidem quæ misera fers & atrocia,
Et ab iis amici qui tibi sunt intimi,
Quantum quidem præstare possit viribus
Iuuenis & æuo adhuc sanè tenero virens,
Hoc quicquid est doloris in me transferens,
Meo his procellis eximam periculo,

Tutóque ſtatuam: nec patri inquam filia
Tua perimetur, dicta quæ fuerit mea.
Nec enim viro permiſerim ſegnis tuo,
Vti me dolis miſceat & inuoluat ſuis.
Nam nomen etſi ſpicula non vibret meum,
Ferrúmve, tamen id filiam occoidet tuam:
At ſceleris auctor vir quidem fuerit tuus,
Verùm nec ipſe vacauero piaculo,
Si virgo per me perierit, necnon meas
Per nuptias, noua nec ferenda ſuſtinens,
Violata miris ſimul & indignis modis.
Equidem Pelaſgûm vir fuero deterrimus,
Nullius inquam ſim rei prece ive ego,
Menelaus autem habeatur in numero virûm,
Neque Peleo progenitus autumer patre,
Sed peſſimo ignauiſſimóque dæmone,
Si coniugi vnquam nomen ad cædem tuo
Inſeruiat meum. Liquenti gurgite
Vndarum alumnum deiero per Nerea
Thetidis parentem, quæ mihi fuit parens,
Haud filiam rex tanget Agamemnon tuam,
Nec vel manu ſumma, nec vti vel veſtibus
Digitum puellæ liceat admoliri.
Aut hercle Sipylus culta ſedes barbaris
Vrbs ea futura eſt, vnde duxerint genus
Clari gerendóque inclyti bello duces.
At Ththia rurſus, vnde ſtirpem duxi ego,
Obſcura nullum nominis feret decus.
Et aceiba Calchas auferet libamina
Augur. QVIS autem eſt augur? Is videlicet
Qui vera pauca, falſa dicit plurima,
Si fors ita ceciderit: atqui ſi minus
Ita ceciderit, tum vel arte elabitur.
An proinde noſtros virginum millia decem
Petant toros, ſi commodum eſt parentibus
Qui collocant, his vt tibi verbis loquar.

Ipsa attamen re ductor Agamemnon graui
Nos afficit profectò contumelia.
Nam ius & æquum fuerat vt nomen meum
Rogaret à me postulans, ad virginem
Irretiendam. nam Clytæmnestre mihi
Nuptum dedisset filiam potissimùm,
Atque hanc Pelasgûm bellicosis copiis
Forsan dedissem, si quidem transmissio
Pendebat ex hac diruendum ad Ilium.
Neque enim grauarer publicis exercitus
Consulere sanè commodis, quicum mea
Coniunxerim arma. Cæterùm me nũc duces
Nihili æstimant, reique momento leuis
Vel adiuuare vel nocere forsitan
Ferrũ hoc mucróque nouerit, quem stringere
Dudũ in Phrygas mihi destinatum barbaros,
Etiam priusquam ad Ilium peruenero,
Macularo cæde & sanguine inquinauero,
Gnatam modò mihi si quis eripiat tuam.
Sed ociosa iubeo sis: siquidem tibi
Ego deus extiti obtigíque maximus.
Nondũ quidé hunc tibi præstiti, fateor, deũ:
In posterum sum præstiturus attamen.

Ch. Et te loquutus digna, Pelei genus,
Et æquoris potente veneranda dea.

Cl. Quibus obsecro te prædicauero modis,
Vt ne nimis quid dixerim, nec item minus:
Vti nec fauorem & gratiam amittã loquens!
VIRI enim probi laudes vbi audiunt suas,
Quodam solent odisse laudantem modo,
Si fors quis ipsos laudet immoderatiùs.
Tum me profectò dispudet de propriis
Peculiaribúsque calamitatibus
Lacrymabilem sermone miseranda queri,
Quum tu meis sis prorsus alienus malis.
HAVD indecorum est attamẽ si vir probus

filii.

Fortísque, quanquam sit alienus, adiuue
Hos quos acerba sors & aspera premit.
Age itaque nostri te misereat, siquidem
Miseranda patimur. Primùm ego generũ mihi
Rata te futurum, spes inaneis ceperam.
Dein haud scio fat an meæ mors filiæ
Tibi triste forsan omen aliquod adferat
In posterum, siquandò duces coniugem,
Quod ominis vitare te consultius.
Verùm probè elocutus adhuc initia,
Idem probè perfeceris negocium.
Mea nanque nata, si voles, seruabitur.
Num genua vis hanc supplicem amplecti tua?
Sunt hæc quidem parum decora virgini:
Si tu tamen ita censeas, videlicet
Mox huc pudoris liberalem venerit
Suffusa vultum virginali purpura.
An potius illa absente, id abs te quod peto
Achilles exoraro & impetrauero?

Ach. MANEAT domi. pudicam enim decet pudor.

Cl. Veruntamen pudere oportet eatenus,
Quâ res ferat præsénsque postulet status.

Ach. Neque tu sub oculos filiam produxeris
Meos tuam mulier, neque per insciti am
Famæ probrum accersamus ac vitæ notam.
SIQVIDEM coacti turba densa exercitus
Domesticarum ac propriarum negligens
Rerum, malignis gaudet obtrectatibus,
Amans maledicas dissipare fabulas.
At nullo ego hercle posuerim in discrimine, ac
Tantundem apud me prorsus hîc effeceris,
Seu supplices humiléque veneritis mihi,
Seu neutiquam mihi supplicaris. nam meo
Fixum stat animo viribus contendere
Nixúque summo, vos vt eximam malis.
Adeò sit vnum hoc me tibi satis semel

Dixisse. neque enim vanus aut mendax ego,
Mihi crede, fuerim. Si quid autem mentiar
Dederóque verba, seu dolis elusero,
Emoriar. immò haud moriar, hanc si virginem
Seruaro. *Cl.* Dij faueant precor ferenti opem
Vsque iis acerbis qui laborant casibus.
Ach. Audito nunc vti res mihi hæc habeat bene.
Cl. Cur hoc aisti? te quidem audiam volens.
Ach. Rursum patri persuadeamus virginis,
Consilia quo iam saniora sumpserit.
Cl. Ignauus est ac timidus ille quispiam,
Nimiáque pauitat copias formidine.
Ach. RATIONE at expugnata ratio vincitur.
Cl. Spes ista sanè frigida ac leuis, tamen
Eloquere, tandem facere me quid oporteat.
Ach. Primùm quidem illi supplicabis liberos
Ne perimat. Idque si recuset, tum tibi
Fuerit necesse nos adire denuó.
Nam si quod optas, sponte id annuit sua,
Tum me quidem illum conuenire nihil opus,
Quando ipsa per se res salutem conferet.
Ad hoc videbor erga amicum rectius
Egisse, neque me copiæ culpauerint,
Ratione si rem potius ac prudentia
Quàm vi manúque viribúsque gessero.
Tum porrò amicis, rebus ex sententia,
Ipsis volentibus vtputa ac lubentibus,
Probè peractis, vel operam citra meam.
Tibíque fòrs hæc transigentur commodè.
Cl. Vt es probè locutus! itaque sic vti
Censes, agendum est. Cæterùm ista si parum
Successerint mihi mentis ex sententia,
Vbínam licebit postea te visere?
Quónam loci venire me miseram iubes,
Vbi liceat istam repperisse dexteram
Quæ sola nostris præstat auxilium malis?

Ach. Ipſi has tibi excubias agemus, téque vbi
Res quúmque poſtulabit, obſeruabimus,
Ne turbulentas per Pelaſgûm copias
Te curſitantem conſpicetur quiſpiam
Pauido ore & attonitâ. neque hoc tu dedecus
Labémque eam domui paternæ aſperſeris:
Indignus etenim Tyndareus pater tuus
Eſt qui malè audiat, vtpote Græcanica
In gente magnus atque cum primis potens.

Cl. Ita res habet. tu dux eris negocij:
Me tibi viciſſim gerere morem conuenit.
QVÒ D ſi dei ſunt, quando tu vir es pius,
Digna aſſequêris: cæterùm ſi numina
Sunt nulla diuûm, quid neceſſe eſt nitier?

Cho. Feſtus vt ille hymenæus erat,
Loto vbi cum libyca pariter,
Cúmque ſuauiloquente chely
Non ſine multiforis calamis,
Grata choris ſtreperet cithara:
Turba vbi candida Pegaſidum
Mollibus irreligata comis
Vertice Peliaco
Coniugiale bonis epulum
Diis celebrantibus, ad numerum
Membra moueret, & aureolis
Pelleret arua iugi ſoleis:
Dum liquidis & amabilibus
Dulcicanæ modulis,
Pelei ad inclyta connubia
Iret, & vndiuagam Thetidem
Voce ciêret, & Æaciden
Per iuga florida, rumor vbi eſt
Nubigenas habitare viros,
Æaciden per opaca canens,
Peliaci nemoris.
At Phrygius puer interea

Deliciæ Iouis ætherij
Pocula miſcet,& aureolis
Nectarios latices
Temperat ac tribuit cyathis.
Deinde per æquora candiduli,
Iæuéque per ſpatium ſabuli
Æquoreo ſata turba ſene,
Nexa ſororibus è decies
Quinque,agitátque rotátque choros
Orbibus innumeris,
Molliculo pede replicitis,
Connubium leuibus
Concelebrans choreis.
Venit & vndique nubigenûm
Numine percita turba virûm,
Tela ferens abiegna manu,
Frondea vertice ſerta gerens,
Cum ſuperis ſimul vt Bromij
Munera ſumeret atque epulas.
Ibi Theſſala turba puellæ
Sublata in ſydera voce,O
Nereia filia,clamans,
Lux inclyta cæligenarum,
Certiſſimus Augur Apollo,&
Cui myſtica ſacra ſororum,
Bene cognita Caſtaliarum,
Chiron pius,armipotentis
Nomen reſerauit Achillis,
Fore vaticinatus,vt ille
Cum Myrmidonum clypeatis
Priameia regna cateruis,
Deuotáque Pergama adortus,
Flammis populantibus vrat,
Vulcania fulminis inſtar
Quatiens trepidabilis arma,
Thetidis pia dona parentis,

Siquidem hoc decus illa Pelasgis
Feliciter edidit aluo.
Nereidos ergo sororum
Primæ ac ditione potentis
Spatiosa, hilares agitabant
Connubia splendida diui,
Peleíque mariti hymenæum
Id temporis ore ciebant.
Porro tibi tempora flauis,
Crispísque decora capillis
Mauortia turba Pelasgûm
Cinget viridante corona.
Deinde haud secus atque iuueneam
Teneramque rudemque profectam
Modò rupibus è specuosis
Spectantis in æquora montis,
Diro iugulauerit ense,
Ac lactea colla cruore humano (miserabile) tinget
Feriens, nec arundine agresti
Muscóve virentibus antris
Pastorum alitam, sed amicæ
Curaque domóque parentis
Excultam: vti nupta Pelasgas
Peteres feliciter ædes.
VBI nunc probitásve pudórve
Faciésque ipsius honesti
Valeat, simul atque nefastum
Scelus impietásque tyrannida
Atram obtinet vndique. porro
Neglecta iacet premitúrque
Post terga retrusa scelestis
Mortalibus inclyta virtus.
Quúmque vndique legibus æquis
Mores dominantur iniqui.
Hominum generi ergo periclum

Communiter imminet omni
Nequa ingruat ira deorum.
Cl. Equidem è meis huc prodij penatibus
Foras, maritum ſicubi aſpiciam meum,
Qui iam diúque & lentus hinc abeſt domo
Penitus relicta. Gnata at interim mea
In lacrymis verſatur infelix, leueis
Fundens in auras omne lamenti genus,
Simul ac necem reſciuit illa, quam pater
Statuit parátque. Sed ecce cerno comminus
Seſe citatis admouentem greſſibus
De quo modò loquebar, huc Agamemnoné,
Qui re quidem ipſa deprehenſus illico
Coarguetur ferus & immanis pater
In proprios nefaria patrans liberos.
Aga. Ledæa proles commodùm egreſſam foras
Offendo te, quo virgine abſente procul
Tibi dicta quædam proferam, quæ neutiquam
Fuerit decorum audire nupturas viro.
Cl. Quid eſt negocij, id quo tibi iſta temporis
Oblata commodauit opportunitas?
Aga. Accerſe gnatam quò patri veniat comes.
Adſunt enim parata ritè piamina,
Adſunt profundendis item luſtralibus
Pura manu ignibus, ac iuuencæ quas deæ
Dianæ oportet cædere ante nuptias
Atri cruoris feruida exundamina.
Cl. Verbotenus quidem locutus es probé:
Tua facta porro nominare ſi velim,
Equidem haud reperiam quomodo eloquar
probé.
Verùm age foras procede gnata nam pater
Quicquid parat noſti ordine, ac fratrem ſinu
Geſtans Oreſtem pariter adporta tuum.
En illa adeſt hucuſque morigerans tibi.
At ipſa quæ reſtant, & huius nomine

Simul & meopte, mox tibi respondero.
Aga. Quid gnata lacrymas? fronte cur hilari patrum
Terram intueris, ora defigens solo?
Vultúmque mœstum pallio obtecto tegis?
Iph. Heu
Quódnam mearum calamitatum exordium
Possim capere? Cunctis enim mortalibus
Datum est vti tum prima, tum nouissima,
Tum media, quouis differant negocio.
Aga. Rei quid hoc est? quídue sibi vult quòd mihi
Omnes eodem sitis affectæ modo,
Et mente consternata & ore turbido?
Cl. Quæ scisciabor, aperte & ingenuè mihi
Coniunx roganti quæso vti respondeas.
Aga. Nihil necessium est hoc vt à me postules:
Quin ipsus vltrò cupio iam rogarier.
Cl. Gnatam necare paras tuamq; & item meam?
Aga. Hem.
Misera elocuta es: quæque neutiquam decet
Te suspicari, suspicaris improba.
Cl. Verùm illud interim mihi respondeas.
Aga. At tu profectò, si quidem rogaueris
Quæ te decet rogare, quæ te decet audies.
Cl. Equidem haud alia percontor: atqui tu mihi
Itidem caueas alia ne respondeas.
Aga. O fors potens, ô fata: proh genius meus.
Cl. Et meus & huius insuper, quando trium
Idem est & vnus genius infelicium.
Aga. Qua tandé es in re læta? *Cl.* At istuc scilicet
Tu me rogas? verùm æstus hic æstu vacat,
Atque ista calliditas profectò incallida est.
Aga. Perij: palàm sunt facta quæ celaueram.
Cl. Scio cuncta, didici cuncta sanè & audiui
Quæ tu scelest- in me parrare destinas.
Quinquam sat ipso confitere silentio
Suspiriisque: plura ne tu dicere

Conere frustra. Ag. En obticesco, quãdo me
Mendacij conuictum & impudentiam
Ipsi necessùm est calamitati adiungere.
Cly. Audio nunc iam, quippe apertè proloquar,
Neque flexuosa ænigmatum diutius
Vtemur ambage, neque dictis nubilis.
Primùm (tibi isthuc primo vt obiiciam loco)
Me non volentem víque raptam coniugem
Duxti, necato Tantalo cui nupseram
Prius: ac puello sortis ex vsu tuæ
Itidem perempto, quem quidem per vim meo
Immitis ad necem reuulseras sinu.
At Ioue creatus vterque germanus meus,
Equis & armis inclyti, sæuum tibi
Bellum mouebant: exterùm senior parens
Tyndareus hoc te exemit è discrimine,
Iam supplicé ac versum ad preces: ita denique
Meis per hunc potitus es connubiis.
Dein vbi reconciliata sum tibi & addita
Inte simul, cura simul domestica,
Vt fœminam inculpatam ego vsque gesserim,
Isthuc & ipse conscius testabere.
Paritérque casta, domúmque commodis tuam
Augens: ita vt siue introires, gaudio
Fruerere tecum: siue prodires foras,
Sortis beatæ dicerent omnes virum.
At qvi hîc profectò captus est rarissimus,
Vt id genus quis sortiatur coniugem:
Contrà improbámque & frugis vxorem malæ
Nihil est negocii vbilibet nanciscier.
Porro puellis editis nixu tribus,
Hunc insuper peperi tibi puellulum,
Quo tu quidem me pignorũ è numero, necãs
Vnam pater, miserabili orbabis modo.
At quispiam si te roget qua gratia
Istam necabis, cedo. quid huic respondeas?

An me tuo loqui neceſſum eſt nomine?
Helenen vti Menelaus aſſerat ſuam.
At nos honeſtum eſt ac decorum ſcilicet,
Nece liberorum fœminæ pretium malæ
Dependere? iis quæ poſſidemus optima
Longéque nobis omnium chariſſima,
Redimemus hæc inuiſa quæ ſunt maximé?
Age ſiquidé hinc profectus in bellum iueris,
Ibíque fueris abfuturus longius,
Domi relicta me, quid animi tum mihi
Fore autumas, ſedem omnem vbi conſpexero
Vacantem, & hanc deſiderantem filiam?
Tum vacua cuncta virginum conclauſia,
Egóque ſola ſedero perennibus
Confecta lacrymis, háncque lugens virginé,
Ad huncce fors ſine fine lamentans modum:
Heu gnata, qui te ſeuit extinxit pater
Ipſus necans, haud aliud haud alia manu,
Eiuſmodi linquens familiæ præmium,
Atque in ſuos exempla talia ſtatuens.
Nam deinde cauſa quælibet ſuffecerit,
Occaſione tantùm opus fuerit leui,
Vt & ipſa quíque mihi ſuperſunt liberi,
Te rurſus accipiamus iſthunc ad modum
Quo te accipi par eſt & æquum ſcilicet.
Sed per deos caueto neu me adegeris,
Vti talis in te fuero qualem neutiquam
Decet eſſe: néve rurſus id commiſeris,
Vt ipſe talem temet exhibeas mihi
Qualem probum eſſe neutiquam decet virũ.
Verùm eſto ſanè, ſacrificabis filiam.
Sed interim illíc vota quæ facturus es?
Quid tibi petes? num quid boni quum filiam
Mactes pater? reditúmne? nimirum malum
Miſerúmq;, quippe domo profectus túrpiter.
Sed, me tibi boni precari quippiam

Par fuerit, ac votis lacessere numina.
At non & ipsos iudicarimus deos
Stultos item esse vt annuant eiusmodi,
Si parricidis nos voluerimus bene, &
Qui propria facinus patrarint dextera.
An verò ad Argos iam reuersus, liberos
Supplex tuos placabis? haudquaquam tibi
Isthuc licebit. quis vel aspectu obsecro
Pòst è tuis dignabitur te liberis,
Quum tu sciens necaris horum quempiam?
Num denique hæc sunt pensitata ac mutuis
Rationibus tractata? An hoc tantùm sat est
Sceptris ferundis præminere ac bellicum
Ducem vocari? quum tuum fuerit magis
In Danaidûm frequente multitudine
Hæc, æqua quæ sunt atque iusta, dicere:
Vultis Pelasgi nauigare ad Ilium?
Igitur vicissim sorte ducta quærite,
Cuius necari gnatam oporteat: hoc enim
Ex æquo ad omneis pertinebat. Cæterùm
Haud par erat te solum & vnum ex omnibus
Tuam Pelasgis immolandam filiam
Præbere: siue fratris illud erat magis
Menelai, vt Hermionem neci daret suæ
Causa parentis. quippe ad illum propriè
Res attinebat. Nunc ego autem quæ tuis
Sanctè fidem seruauerim connubiis,
Gnata innocens orbabor. at contrà soror
Quæ casta pacti iura deseruit tori,
Felix aget, reducémque Spartæ ad mœnia
Ducet puellam. Siquid horum perperam
Dixi, refelle: sin probè ac rectè mihi hæc
Sunt dicta, ne tuam protectò filiam
Meámque parirer impius dederis neci.
Ita rectiùs consultiúsque feceris.
Ch. Pareto. NAM profectò liberos decet

Agamemnon incolumeis tueri quemlibet:
Nec vllus hæc mortalium refellerit.
Iph. Orphea genitor si mihi facundia
Foret, vt liceret saxa cantu flectere,
Comitésque post me voce petras ducere,
Possémque delinire dictis pectora,
Meánique trahere, quos velim, in sententiam,
Nimirum ego istis experiret vtier.
Nunc quæ mihi vna ars ac facultas suppetit,
Præstabo lacrymas, quando solú id possum,
Tuísque genibus corpus aduoluo meum
Supplex, quod hæc tibi ventre progenuit suo:
Ne me puellam æuíque maturam parum,
Extinxeris. NAM dulce cunctis cœlicam
Aspicere lucem. Cæterùm quæ tartaro
Tellus tegit, ne me videre adegeris.
Ego prima te patrem vocaui, túque item
Primam inter omneis me vocasti filiam,
Ego prima quondam genibus insidens tuis,
Atque ea meo blandè premens corpusculo,
Gratas voluptates frequenter inuicem &
Dedi & recepi, ac paria mentis gaudia:
Tuáque hæc (vti recordor) erat oratio:
An est futurum gnata vt olim te viri
In ædibus nuptam beati ac diuitis,
Et sospitem videamus, & sic vti tuo
Dignum est parente, commodis ac liberis
In melius vsque pullulantem? Ad hæc ego
Hanc tum vicissim orationem rettuli,
Hærens tuo pendénsque de mento, quod hac
Mea prehensum rursus attingo manu:
Quid? Anne ego te videro senem pater?
An ego vicissim læta te excipiam meos
Intrà penates, ac tibi inuicem parens,
Laboriosa nutriendi munera
Aliquando referam, mutuùm te nutriens?

Sermonū ego horū sum memor, verùm tibi in
Obliuionem abiere, méque occidere
Paras. at hoc ne feceris, per Pelopa, per
Cineres parentis obsecratus Atrei,
Matrem per hanc quæ me labore plurimo
Parturiit olim, ac denuò nunc parturit,
Paribú sque rursum tenditur doloribus.
Rei quid est cum Paridis atque Helenæ mihi
Connubiis? aut vnde in exitium is meum
Venit? Parens, oculos age horsum in me tuos
Deflecte, & intuitum simúlque & basium
Largire, vt isthuc pignus ac monimen tui
Mihi ferre saltem fas siet, si fòrs meis
Flecti recusas obstinatus vocibus.
Germane, tu quidem pusillus & impotens
Tuis amicis es patronus, attamen
Apud parentem, supplicem lacrymis age
Tua ne soror detur neci. NONNVLLVS est
Sensus malorum infantibus quoque inditus.
En supplicat tibi hic silentio pater.
Age flectere, ac miserescere respectu mei,
Moue átque tete orbanda luce filia.
En flagitant per mentum id abs te supplices
Duo tibi chari atque amore proximi:
Puer alter, at suboleſcit annis altera.
Orationem in pauca conferam meam, ac
Summam rei verbo profabor vnico.
ASPECTVS huius lucis est mortalibus
Dulcissimus, verùm profunda manium
Haud vllus est qui concupiscat cernere,
Neque mente sana est quisquis exoptat mori:
Malè viuere autem satius ac mori bene.

Ch. Infausta, per te pérque nuptias tuas
Helene, heu dolor, miseranda prorsus
Clades Atridis, atque Atridûm libèris incidit.

Ag. Equidem scius sum quatenus miserescere

Conuenit:& idem quatenus non conuenit,
Noui,meósque charitate liberos
Prosequor amóque,aliâs profectò insaniam.
Verùm patrare hæc vxor arduum mihi,
Et non patrare durum & arduum est item.
Sed ad hoc agendum me trahit necessitas.
Quantus videtis adsit hîc exercitus,
Quæ nauticorum armata turba militum,
Quot bellicosi Græciæ magni duces,
Quibus negata ad Pergama traiectio,
Ni te immolauero,(augur vti Calchas ait)
Noui nec aliter Ilii videlicet
Populata dabitur marte tecta excindere.
Porro tenet diutnus ardor quispiam
Omneis Achiuûm copias,vt quàm potest
Ocyssimè soluant rudentes littore,&
Ad barbarorum classe nauigent solum,
Veténtque ne posthac quis ausit coniuges
Raptu procaci abducere Græcanicas.
Argis at hi meas necabunt filias,
Tum vos item & me,si quidem fraudauero,
Oracla Diuæ postulantis virginem.
Neque gnata frater subigit inuitum meus
Ad hæc,nec huius me trahit sententia,
Sed ipsa potiùs adigit horsum Græcia,
Per quam necesse est,seu velim seu nonvelim,
Te te immolare.Parte at isthac vincimur
Necessitate,nec licet resistere.
Immo illa,quantum in téque méque filia,
Statuenda libera,neque ferendum illud viris
Græcis vti per vim rapaces improbam
Legitima temerent barbari connubia.
Cly. Hei mihi gnata,proh dolor hospitæ,
Heu me miseram.tui
Cædes exanimat.pater
Orco tradens te,fugit impius.

Hei mihi mater, mater, siquidem
Hæc lugubris cantio nobis,
Sic fortunæ visum, vtrisque
Competit, haud Phœbeæ posthac
Munere lucis, neque vitali hac
Vescimur aura?
Proh proh tectæ niuibus rupes,
Atque Idæi Phrygiæ montes,
In quos olim Priamus tenerum
Pater infantem exposuit matre
Procul amotum, vti morte periret,
Paridem, quem quondam vrbis Phrygiæ
Idæum plebes Idæum
Dixit, dixit,
Vtinam nunquam euenisset,
Inter Paridem montana boum
Enutritum armenta bubulcum,
Pellucentes colere ad lymphas
Vbi nymphis gratissima sedes
Liquidi fontes, prata vbi vernant
Passim & picti floribus agri.
Murice tinctæ vbi lucent rosæ,
Purpureíque micant hyacinthi
Carpendi vngue trium diuarum:
Quóque accessit pridem Pallas,
Gaudénsque iocosa fraude Venus,
Neque non Iuno, neque non volucer
Iouis interpres Maiæ proles.
Alite Cypris Amore superba,
Hasta pallas, Iuno marito
Ioue qui sceptris diuûm potitur:
Inuisum ad certamen formæ
Atque arbitrium triste profectæ
Quod mihi acerbam peperit mortem:
Quanquam ea rursum Danais pariet
Æternam famámque decúsque,

Dilecta ô mihi turba puellæ.
Ch. Delegit aris præferiri victimam
Diana te, bello auspicando ad Ilium.
Iph. Hei mater mea, proh genitrix,
Qui me progenuit pater,
Idem me malè destitutam
Perdit. proh ego tristibus
Fatis nata, videns acerbam
Infaustámque Helenen, necor,
Diri conficior parentis
Dira cæde. vtinam mihi
Portum classis in Aulidensem
Nunquam puppibus ærea illidens rostra solo appulisset,
Ventis ô vtinam secundis
Rectà cursus ad Ilium
Vexisset celeres carinas,
Transuersis neque flatibus
In terrámque ferentibus
Euripi exagitasset vndas
Iuppiter, auras aliis alias
Placans, quo sua carbasa lætis
Placitis videant distenta notis,
His immittere tristia suetus,
Hos vi cohibens, aliis donans
Soluere cursúmque tenere suum,
Alios cogens proferre moras.
An non satis profectò
Calamitosum erat genus,
Calamitosum erat parum
Per se genus mortalium?
At quorsum erat necesse?
Sibi pestilens vt ipsi
Accerserent fatum viri?
Ch. Eheu Pelasgis mala viris ingentia,
Luctus item ingentes patit sata Tyndaro

Certè miſertum eſt me tui, cui talia
Mala obtigerunt prorſus indignæ cui
Tantum malorũ ſors iniqua impingeret.
Mater heu virũm cateruam adeſſe video comminus.
Nempe & ipſum conſpicis parente progenitum dea
Gnata, cuius huc ab Argis es profecta nomine,
Mihi fores aperite famulæ, corpus vt cælẽ meũ.
Cæterùm quò gnata refugis?
Nempe me prohibet pudor
Obtueri quiſquis hic quem Graii Achillem nominant.
At quid? hunc reuerere tandem.
Quòd parum videlicet
Iſta nobis auſpicatò ceſſerint connubia.
Noli in his quæ nũc gerũtur gnata te negociis
Agere delicatam, at hic maneto nobis. res enim hæc
Non pudorem poſtulat nec exigit reuerentiã:
Si modò obtinere quouis, quod agitur, liceat modo.
Mulier heu malè fauſta Ledæ gnata.
Vera prædicas.
Inter Argiuos tumultus grauis & ingens perſtrepit.
Quis tumultus? indica mihi.
Filia ſuper tua.
Omen haud lætum eloquuta.
Quòd hanc necari oporteat.
Nemo contradicit iſtis?
Ego ipſe videlicet
In periculum veneram.
Quod hoſpes in periculum?
Nempe ne lapidarer.
An ob id quòd meæ tu filiæ

Tenderes ſeruare vitam?
Ach. Ob iſtud ipſum ſcilicet.
Cly. Sed quis audeat tuũ corpus manu cõtingere?
Ach. Vniuerſa turba Graiũm.
Cly. Cæterùm nunquid tibi
Fida Myrmidonum manus ſuo aderat auxilio duci?
Ach. Immo primi hi præbuere ſemet aduerſarios,
Atque primi reſtitere.
Cly. Occidimus eheu filia.
Ach. Méque dicebant amore vincier connubii.
Proin parum conſulere Graiũm copiarum commodis,
Quippe priuatis adactũ ac ſeruiente affectib⁹.
Cly. Verùm ad hæc quid retuliſti?
Ach. Nempe quæ coniunx mihi
Fuerit antehac futura, non decere occidier.
Cl. Idque rectè es elocutus.
Ach. Quámque iam fama mihi
Genitor ipſe dedicàſſet.
Cl. Quin & Argis inſuper
Euocatam litteris huc aduenire iuſſerit.
Ach. Cæterùm clamore victus abeo multitudinis.
Cl. Nam malum iſthuc impotens.
Ach. Tibi opitulabimur tamen.
Cl. Cúmque multis dimicabis vnus?
Ach. Hóſne conſpicis
Adferenteis arma?
Cl. Dij precor tibi adſint proſperi.
Ach. Ii quidem ſunt adfuturi.
Cl. Proinde gnata iam haud cadet?
Ach. Non profectò me volente.
Cl. Sed adfuturus quiſpiam
Qui manum iniiciat puellæ?
Ach. Iam aderit innumerabilis
Militum caterua: porro dux Vlyſſes agminis

Sisyphi númnam propago?
. At ipsus ille scilicet.
Num suapte auctoritate isthæc agit? an ad mu
nus hoc
Militum iussu vocatus?
. Ipse sumpsit sibi volens.
Munus aslumpsit sceleſtũ, cæde cupiés pollui.
. Verùm ego hunc prohibebo.
Númnam ducet inuitam manu
Víque raptam?
. Scilicet flauentibus tractam comis.
Mihi quid inter hæc agendum?
. Tu renitens filiam
Viribus retinebis.
Hanc quidem quod ad rem pertinet,
Gnata non mactabitur.
. Res huc videlicet loci
Venier.
At dictis meis iam mater aurem commoda:
Quippe iandudum absque causa nec merentẽ
te tuum
Video succensam in maritum: at illa quæ fieri
haud queant,
Neutiquã prõcliue nobis sustinere ac vincere.
Igitur huic prõpto ac parato nos iuuare, gratia
Est habenda & approbanda pectoris propẽsio.
Cæterùm tuum illud est, videre nequid copias
Tu quoque irrites, & hac ratione nihilo plus
tamen
Explicemus, hic sibi ingens interim accersat
malum.
Quin magis, quod cogitanti venit in mentem
modò,
Mater accipe: nã mori mihi certa stat sentẽtia:
Verũm idipsum fortitérque cúmque laude
peruelim

Facere porro animo relegans maleuolentiam meo,
Nunc age hoc mecum parens communiter cõsidera
Noſtra quàm ſit recta ratio quam tibi iã proferam.
Græciæ primùm illa tellus, quæ quidé eſt ampliſſima,
Reſpicit in me tota, & ex me mille curſus nauium
Pendet, ex me gentis vna excidia pẽdent Iliæ,
Eſt ſitũ in me ſiquid olim fòrs nocere barbari
Apparabunt vim ferentes fœminis noſtratib⁹,
Ne ſinantur nobiles ditéſque raptu abducere
Coniuges è Græciã, ſimulatque pœnas pẽderit
Troia Graiis debitas Helenes abactæ nõmine,
Quam quidem Priameius ille rapuit abductã Paris.
Hæc profectò cuncta redimam morte (ſi cadã) mea,
Tuum decúſque & celebre nomen hinc mihi parabitur,
Quippe quæ meopte capite liberarim Græciã.
Nec videlicet meæ me conuenit diſpendio
Admodũ vitæ moueri, quando me cõmuniter
Omnib⁹ peperiſti Achiuis, nõ tibi vni proprié.
Dein tot virorum in armis conſtituta millia,
Tótque millia claſſe tãta horſum profecta nomine
Patriæ læſæ haud ferenda præter æquum iniuria,
Prompta ſunt patrare ſeſe dignum in hoſteis quippiam,
Denique & pro vindicanda mortem obire Græcia.
Vnius mea vita porro obſiſtet iſtis omnibus,

Quo minus fiant. in hac re quæso vtrum sit æquius?
Nunquid est aduersus ista quod queamus dicere?
Verùm age hinc ad illa iam veniamus. hunccine neutiquam
Conuenit cunctis Achiuis vnius mulierculæ
Gratia contendere armis lucéque priuarier.
PRAESTAT vnicus vir, éstque lucis huius munere
Dignior, quàm multa sanè fœminarũ millia.
Denique hoc Artemidi si fors visum ita vt meum caput
Postulet sibi vindicare, quæso te núm nã deæ
Ipsa mortalis manum fefellero aut suffugero?
Id quidem sperare stultum. Dedo corpus hoc meum
Græciæ: proin Imolate. marte Troiã excindite.
Hæc enim monimenta viuent tempus in longum mei,
Hique gnati, nuptiæq;, meique nominis dec⁹.
DENIQVE æquum est nos Achiuos imperare barbaris,
Mater, haud cõtrà Pelasgis imperare barbaros.
Quippe nata est seruituti barbarorum natio,
Cæterùm Graiũm genus natura statuit liberũ.
Ad te quidem quod attinet iuuencula,
Isthoc beata es tam virili pectore, at
Ex parte sortis ac deę, félix parum.
Agamemnonis generosa proles, cœlitum
Aliquis profectò me beatum fecerit,
Si te mihi liceat potiri coniuge.
Ac te simul felicem opinor Græciam,
Et te tua felicem opinor Græcia.
Tua nam proba est & gente digna oratio,
Vt quæ recusans cum deis luctarier,

Id quod tuis scis esse maius viribus,
Perpenderis facto quid vsus, & simul
Præsens quid ista postulet necessitas.
Ac me tui magis ac magis cõnubii
Rapit cupido, mentis indolem tuæ
Dum specto: nam generosa es atque strenua.
At tute tecum quid velis considera,
Siquidem ipse de te bene mereri peruelim
Domúmque ducere coniugẽ: ac pectus meum
Male angat (ipsa testis est mihi Thetis)
Nisi te neci subduxero ac seruauero,
Danais resistens vi manúmque conserens.
HABC cõfer, ingés mors, & atrox est malũ.

Iph. Loquor hæc profectò mentis ex sententia,
Nec vllius permota respectu viri.
Bella ciet auctor atque cædes Tyndaris
Viris cruentas, corporis specie sui.
Verùm hospes, obsecro, neu mea tu gratia
Cæsus cadas, néve trucides quempiam,
Quin me sinas seruare Græciam precor,
Modò id situm in me, & quolibet liceat modo.

Ach. O mira rari pectoris præsentia!
Nequeam profectò aduersus ista dicere
Diutius, quando hæc tuo sententia
Animo sedet, siquidem mihi videtur &
Generosa & excellente digna stemmate.
Quid enim verebor vera quæ sunt proloqui?
At fòrs futurum est mente vt istam pœnitens
Mutes. proinde vti scias quæ dixerim
Præstare promptum, veniam & arma hæc cõminus
Deponam ad aram, quo, siet si fortè opus,
Non te sinam, immò vi vetem necarier.
Nostríque fòrs vtêre tum sermonibus
Simulac tuis conspexeris ceruicibus
Ferrum imminere. proinde nequaquam sinam

Tua perire virgo te socordia:
Quin hisce potius templa & aras numinis
Armis adibo, tuámque ibi præsentiam
Opperiar, aduentum puella manens tuum.
Iph. Quid obtices ô mater? ac silentio
Manantibus genæ rigantur lacrymis?
Cl. Hei misera, causa sat mihi est idonea
Cur debeam dolere & excruciarier.
Iph. Animum adde nobis potius & frangi veta,
Ne pectoris minuito mî constantiam,
Atque his mihi in rebus parens morem gere.
Cl. Dic, quando nullo filia in negocio
Nos te precantem iusta, defraudabimus.
Iph. Ne tu capillis igitur euulsis comam
Laniaris, aut pullos amictus sumpseris.
Cl. Isthuc quid ais ô gnata quum pereas mihi?
Iph. Minimè profectò: salua sum. per me tibi
Famæ perennis veniet inclytum decus.
Cl. Cuiusmodi hoc est quod mones? an obsecro
Non conuenit lugere mortem me tuam?
Iph. Minimé, sepulchrũ quando nec statuent mihi.
Cl. Quid? an sepulchri non sat est, occumbere?
Iph. Etenim ipsa diuæ maximo natę Ioue
Mihi futura templa monimenti loco.
Cl. Age gnata in istis nunc voluntati tuæ
Morem geram, quando ipsa dixisti probé.
ph. Vtpote beata ac bene merens de Græcia.
Cl. Sed quid tuis renuntio sororibus?
h. Nequando pullis membra velent vestibus.
l. Virginibus autem quod libenter audiant,
Quid me tuo iubes referre nomine?
h. Feliciter iubeas valere: & hunc mihi
Alas Orestem vt exolescat in virum.
Complectere, hoc visura postremùm die.
Germane cordi vnus meo charissime,
Vtcunque tu pro viribus certè tuis.

Tuæ ſorori es opitulatus ſeduló.
Cl. Eſt aliud, Argis quod velis curarier,
In quo queam tibi facere gratum filia?
Iph. Meum parentem, coniugem genitrix tuum
Ob iſta quæſo facta nequid oderis.
Cl. Iſti tua multum laborum gratia
Exhauriendum, atrociaque certamina
Subeunda.
Iph. Verùm inuitus hic me perdidit,
Conſulere quærens dignitati Græciæ.
Cl. Atqui volens ſi faciat iſthuc aut dolo,
Et indecorè faciat, & parum Atreo
Dignum parente.
Iph. Me quis hinc deduxerit
Mihi prius quàm tracta lanietur coma?
Cl. Ego te ſequar.
Iph. Faxis caue, neque conuenit.
Cl. Tuis adhærens veſtibus.
Iph. Mihi ô parens
Obtempera mane: decorum enim id magis
Mihi tibíque: Cæterùm me quiſpiam
Ex his miniſtris patris, in pratum deæ
Artemidis hinc deducat, vbi mactabimur.
Cl. Diſcedis eheu gnata?
Iph. Scilicet, neque
Reditura rurſus abeo. *Cl.* Matre videlicet
Númnam relicta?
Iph. Nempe ſic, vti vides,
Indignè & immerenter.
Cl. Ah mane obſecro,
Ne gnata ne me deſeras.
Iph. Haud te ſinam
Stillantibus vexare lacrymis genas.
At vos puellæ Artemidi filiæ Iouis
Pæana canite, de nece atque obitu mei
Bene ominantes. Tum Pelaſgis omnibus

Precationes fauſtáque ſonent omnia,
Ac primus aliquis auſpicetur tollere
E corbe frondeis: deinde puris ardeat
Sacer ignis in prochytis. Pater porro meus
Ritè fragranteis teneat aras dextera:
Etenim ſalutem pariter & victoriam
Paritura cunctæ venio genti Græciæ.
Ducitote me, Ilii
Diruendis mœnibus,
Phrygibúſque perdomandis
Deſtinatam victimam.
Serta texta porgite,
Comiſſque vinciendis
Ferte frondes, ac piis
Irrigationibus
Fontibúſque ſacris
Deuocate in ædem,
Deuocate in aram,
Heram Artemin potentem,
Artemin beatam:
Vti meopte ſanguine,
Capitiſque cæde noſtri,
(Quando hoc ita eſt neceſſe)
Fata placeni numinum,
Ch. O veneranda,
Veneranda parens,
Quomodo tibi debitas
Impertiemus lacrymas?
Nam nefas neque conuenit
Miſcere ſacra fletu.
Iph. O ſodalium
Turba dulcis virginum,
Artemin communibus
Celebrate cantilenis,
Quæ croco rubentia
Carpenta ducit vrbi

Aduersa Chalcidensi,
Vbi bellicæ feruent trabes
Nominis causa mei,
Nempe hîc reductis portuum
Aulidis secessibus.
Iò parens tellus,
O Pelasgica
Mycenæque nostri altrices.
Cho. Vrbem vocasti Perſei
Cyclopio labore
Manibúsque fabricatam.
Iph. Profectò lumen ingens
Edidistis Græciæ:
Haud quidem abnuo mori.
Cho. Tua nanque tete gloria
Nullo relinquet tempore.
Iph. Io, Io.
Phœbea fax diurnæ
Vectrix amica lucis,
O dulce lũmen ætheris,
Alterum mox alterum
Exigemus æuum,
Orbem alterum incolemus.
O blanda lux, iam mihi vale.
Cho. Heus heus
Spectate euntem virginem,
Troiana per quam Pergama
Deuicta subruentur.
En comante vertice
Serta gestat frondea
Iniecta militum manu.
Mox viraginis deæ
Aræ dicatum cespitem
Sacra scatente lympha,
Manantibúsque riuis,
Purpurante aspergine

Cruoris irrigabit,
Candido de corpore
Ceruice quum resecta
Procumbet ac feriet solum.
Patria te manent sacra,
Te manent Pelasgûm
Vniuersæ copiæ,
Classe quæ desiderant
Phrygios adire muros:
Quod quidem vt feliciter
Faustéque cedat illis,
Agite prognatam Ioue
Inuocemus Artemin.
Semper colenda diua,
Humana cui placent sacra,
Da militi Pelasgo
Appellere Phrygium in solum,
Perfidæque Troiæ
Sedes adire sacras.
Da victorem Agamemnonem
Victrice cum caterua
Pulcherrimum triumphum
In Græciam referre,
Læta vincientem
Inclytæ tibi tempora
Victoriæ corona,
Laude parta nominis
Quod vsque viuat, & quod
Nullis senescat vnquam
Intercidátve seculis.
Prodito tectis patre Tyndareo fata
Quo dicta cognoscas Clytæmnestre mea.
Audita me me vox tua exciuit foras,
Trepidámque miserè diro & attonitam metu,
Num tu mihi aliam calamitatem quampiam
Adferes ad hanc quæ nunc adest?

Nun. De filia
Tua ſtupenda nuntiabo iam tibi, &
Portentuoſa.
Cl. Proinde ne cunctêre, ſed
Expone rem, quantum potes celerrimé.
Nun. Quin ô mihi regina dilectiſſima,
Rem prorſus omnem luculenter audies.
Ex ordine autem cuncta narrabo, niſi
Siquid memoriæ lapſus errantem mihi
Inter loquendum linguam item turbauerit.
Vt igitur in lucum deæ peruenimus
Artemidis, atque in florulenta prata vbi
Aderant Achiuûm conglobatæ copiæ,
Tuam cateruis proſequentes filiam,
Glomerata coiit illico Argiuûm phalanx.
Simulatque porro ductor Agamemnõ videt
Mox immolandam in lucum euntẽ virginẽ,
Gemitum profundo ducit altum pectore,
Retróque flexo vultu, amaras lacrymas
Profudit oclis ora velis obtegens.
At illa patri proximè aſſiſtens ſuo,
Hæc eloquuta eſt: O parens adſum tibi
Et hocce corpus pro ſalute patriæ,
Próque vniuerſa Græcia trado volens.
Vt immolandum hinc ad dicatas numinis
Ducatis aras, quando diuûm oracula
Ita canunt. Prorſum quod ad me pertinet,
Et rem geratis bellicam feliciter,
Lætæque vobis præmium victoriæ
Cedat. proinde illud precor ne clanculum
Mihi Pelaſgûm quiſpiam admoueat manum.
Nihil reluctans colla porrigam ac volens.
Atque hæc quidem eſt effata. Cæterûm ſtupor
Omneis capit, robur tuenteis virginis,
Et virginalis animi celſitudinem.
Talthybius autem, cujus hæ partes erant,

fedia Pelasgorum inter astans agmina,
ene vt ominentur, copijs denuntiat,
inguisque faueant. deinde fatidicus celer
Calchas in auro intermicantem sportulam
Iudans, & è loculis acutum proferens
mponit ensem, ac virginis flauum caput
ertis reuincit frondeis. Tum Peleo
ditus Achilles sportulam gestans sacram
acráque pelueis, celere cursu numinis
bibat aras, simul & hæc precatus est:
Artemi ferarum magna domitrix ac Iouis
eneranda proles, quæ nitentem numinis
landi facem alto noctium silentio
ectare solita es, placida sume victimam hanc
Quam tibi damus, simul Pelasgûm exercitus
imul & Agamemnon imperator agminum,
ntaminatum sanguinem qui virginis
ulcherrimæ manabit è ceruicibus.
Ac dextra classi prosperum cursum annue,
iceátque nobis marte capere Pergama.
tant inter hæc fratres Atridæ omnisque item
Exercitus, solo tenentes lumina.
Atque ibi sacerdos ense correpto manu
Ritè est precatus, deinde dispicit locum
Quà commodè iugulum feriret virginis.
Mentem mihi haud exiguus occupat dolor,
tabámque mœstus ora defigens solo,
Oculósque pronos. Cæterùm subitò noua
Visúque mira res ibi accidit, sonum
Plagæ per auras nemo non sentit palám:
Porro puella, nescio quónam loci
Euanuit subducta. Tum vocem stupens
Tollit sacerdos, turba Graii exercitus
Acclamat vniuersa, dum quoddam videt
Mirabile ostentum à deo. um quopiam
Conspectibus spem præter obiectum suis,

Quod crediri nequibat, ac ne tum quidem
Oculis vbi coràm pateret teſtibus:
Siquidem iacebat cerua palpitans humi,
Viſenda vaſti mole mira corporis,
Specie decente inſignis ac ſpectabilis.
Cuius cruore imbuta numinis affatim
Vndabat ara. Proinde Calchas interim
(Quantum putas gauiſus?) hæc effatus eſt:
Huius Pelasgûm principes exercitus
Communis hanc coràm videtis hoſtiam,
Altaribus quam diua ſuppoſuit ſuis
Ceruam volucrem? en hancce virginis vice
Amplectitur libentiùs, nequid ſuas
Commaculet aras nobilis virgunculæ
Cæde cruenta, & hocce conſulit volens
Boni accipítque, ac proſperos per æquora
Vndoſa curſus annuit nobis, vti
Priameia liceat claſſe adire Pergama.
Quapropter omnes claſſe vecti milites
Animum bonum fiduciámque ſumite,
Ac petite naueis: hoc enim nobis die
Curuis relictis portuum ſeceſſibus
Aulidis, aranda Ægæa ratibus æquora.
Vt penitus autem victima eſt Vulcaniis
Exuſta flammis, tum precatus proſpera eſt
Sacrificus, vt reditus ſecundus ab Ilio
Victricibus domum daretur copiis.
At me tibi tranſmiſit Agamemnon vti
Hæc nunciarem ac certiorem redderem,
Ipſi deûm quid accidiſſet numine:
Et vt pararit ſibi per omnem Græciam
Famæ decus, quod nulla prorſus ſæcula
Oblitterabunt. aſt ego videlicet
Quod ipſe præſens his & oculis viderim,
Id narro, proles ad deûm conſortia
Tua ſubuolauit. Proinde quod reliquum eſt, age,

Istam remittas mentis ægritudinem, ac
Tuo marito desinas iratscier.
INOPINA diuûm fata quóſque diligunt,
Seruant. hic vnus filiam mulier tuam
Et mortuam conſpexit & viuam dies.
Ch. Vt ista volupe est tibi ferentem nuntium
Audire? porro cœlitum in consortio
Transigere vitam pignus affirmat tuum.
Cl. Quis te deorum gnata rapuit?
Quî te compellabo ritè?
Quid dicam aut quid suspicer? ánne hoc
Mihi frustra blandirier his verbis,
Tristi vt luctu tui desistam?
Ch. Atqui huc Agamemnon venit ductor,
Vnde hæc ipsa possis audire.
Aga. Vxor, beati filiæ causa sumus
Forsan futuri. quippe certum est cœlitum
Illam in deûm manere contubernio.
At tibi puello hoc pariter abducto, domus
Repetenda. siquidem vt nauigare copiæ
Properent, vides. Valeto, colloquar diu
Troia reuersus, & interim tibi sit bene.
Ch. Felix Atrida terram adi Phrygiam,
Felix redito,
Mihi pulcherrima abs Troia spolia huc reportans.

DE TRAGOEDIA ET comœdia.

INITIVM Tragœdiæ & Comœdiæ à rebus diuinis est inchoatum: quibus pro fructibus vota soluentes operabantur antiqui. Nam incensis iam altaribus & admoto hirco, id genꝰ carminis quod sacer chorus reddebat Libero patri, Tragœdia dicebatur: vel ἀπὸ τοῦ τράγου, hoc est ab hirco hoste vinearum, & à cantilena: (eius ipsius rei apud Virgilium plena fit mentio) vel quòd hirco donabatur eius carminis Poeta: vel quòd vter eius musti plenus solenne præmium cantoribus fuerat: vel quòd ora sua fæcibus perlinebant scenici ante vsum personarum ab Æschylo repertum. Fæces enim dicuntur Græcè τρύγες. & his quidem causis Tragœdiæ nomen est inuẽtum. At verò nondum coactis in vrbem Athenienſibus, quum Apollini Nomio, id est pãstorum vicinorũmque præsidi deo, constructis aris in honorem diuinæ rei circum Atticæ vicos, villas, pagos, & compita festum carmen solenniter cantarent: orta est comœdia, ἀπὸ τοῦ κωμάζειν καὶ ᾄδειν, quod est comessatum ire cantantes. quod à Poetis solenni die, vel amatoriè lasciuientibus choris comicis non absurdũ est. Itaque vt rerum, ita etiam temporum ipsorũ ceptro ordine tragœdia, primò placata esse cognoscitur. Nam vt ab incultis & feris moribus paulatim peruẽtum est ad mansuetudinem, vrbésque sunt conditæ, & vita mitior atque otiosior processit: ita res tragicæ longè ante comicas inuentæ. Quãuis autem retrò prisca voluẽtibus reperiatur Thespis Tragœdiæ primꝰ inuẽtor, & Comœdiæ veteris pater Eupolis cũ Cratino Aristophanéque esse dicatur: Homerus tamen, qui ferè omnis Poeticæ largissimus fons est, etiam his carminibus exempla præbuit, & velut qua-

dam suorum operum lege præscripsit, qui Iliadem instar Tragœdiæ, Odysseam ad imaginem Comœdiæ fecisse monstratur. Nam post illius tale tantúmq; documentum, ab ingeniosissimis imitatoribus & digesta sunt in ordinem, & diuisa ea quæ etiã tum temere scribebantur, adhuc impolita, atque in ipsis rudimẽtis haudquaquam, vt postea facta sunt, decora atque læuia. At nos ea quæ propriè de Tragœdia dicenda sunt, titulo propositi operis instãtes, in alia tempora differamus, & de his fabulis iam loquamur quas Terentius imitatus est. Postquam demonstrandæ originis causa de vtriusque generis initio diximus, quod necesse est iam dicemus. Comœdia ferè vetus, vt ipsa quoque olim Tragœdia, simplex carmen (quemadmodũ iã diximus) fuit, quod chorus circa aras fumantes nunc spatiatus, nunc reuoluens gyros, cum tibicine concinebat. Sed primò vna persona substituta est cantoribus, quæ respondens alternis choro, locupletauit variauítque rẽ musicam. tum altera, tum tertia, & ad postremum crescẽte numero, per auctores diuersos, personæ, pallæ, cothurni, socci, & cæteri ornatus atque insignia scenicorum reperta, & ad hoc vnicuique suus habitus, & ad vltimum qui primarum partiũ, qui secundarũ & tertiarum, qui quartarũ atque quintarũ actores essent, distributa & diuisa quinquepartito tota est fabula. quæ tamẽ in ipsis ort⁹ sui velut quibusdã incunabulis, & vix dũ ĩcipiẽs, κωμῳδία dicta est ἀρχαία, idcirco quia nobis parũ cognitis initiis, aut quia inest in ea velut historica fides veræ narrationis, & de nominatio omnium de quib⁹ liberè describebatur. Etenim per priscos Poetas nõ, vt nũc, penit⁹ ficta argumẽta, sed res gestæ à ciuibus palàm cũ eorũ sæpe qui gesserãt nomine decãtabãtur. ideo ipsa suo tẽpore morib⁹ multũ profuit ciuitatis, quũ vnusquisq; ca reret culpa ne spectaculo cæteris esset & domestico

probro. Sed quũ Poetæ abuti licẽtiùs stylo, & passim lædere ex libidine cœpissẽt plures bonos: ne quisquã in alterũ carmẽ infame proponeret, lege lata, siluêre. Et hinc deinde aliud genus fabulæ, id est satyra sumpsit exordiũ: quæ à satyris, quos illotos semper ac petulãtes deos scimus esse, vocitata est. etsi aliũde nomẽ traxisse prauè putãt alij. Hæc quæ Satyra dicitur, eiusmodi fuit vt in ea quanuis duro & veluti agresti modo, de vitiis ciuium, tamen sine vllo proprij nominis titulo, carmen esset. Quod item genus comœdiæ multis obfuit Poetis, quum in suspicionẽ potentibus ciuibus veniissent illorum facta descripsisse in peius, ac deformasse genus stylo carminis. quod primo Lucilius nouo conscripsit modo, vt Poesin inde faceret, id est vnius carminis plures libros. Hoc igitur quo suprà diximus modo coacti omittere satyram, aliud genus carminis τὴν νέαν κωμῳδίαν, hoc est nouam comœdiam reperere Poetæ: quæ argumento communi magis & generaliter ad omnes homines qui mediocribus fortunis agunt, pertineret: & minus amaritudinis spectatoribus, & eadem opera multum delectationis afferret: concinna argumento, consuetudine congrua, vtilis sententiis, grata salibus, apta metro. Vt igitur superiores illæ suis quæque celebrantur auctoribus, ita hæc νέα κωμῳδία cum multorum antea, tum præcipuè Menandri Terentisque est. de qua quum multa dicenda sint, sat erit tamen velut admonendi lectoris causa, quod de arte comica veterũ chartis continetur, exponere. Comœdia vetus, vt ab initio chorꝰ fuit paulatímque personarum numero in quinque actus processit, ita paulatim velut attrito atq; extenuato choro ad nouã comœdiam sic peruenit, vt in ea nõ modò non inducatur chorus, sed ne locus quidem vllus iam relinquatur choro. Nam postquam otioso tempore fastidiosior spectator effectus, tũc quum

ad cantores ab actoribus fabula transibat, consurgere & abire cœpisset, admonuit Poetas primò quidem choros prætermittere, locum eis relinquentes: vt Menander fecit hac de causa, non vt alij existimant alia. Postremò ne locum quidem reliquerunt: quod Latini fecerunt Comici. vnde apud illos dirimere actus quinqueparitos difficile est. Tum etiam Græci prologos non habent more nostrorum, quos Latini habent. Deinde θεὸς ἀπὸ μηχανῆς, id est deos argumentis narrandis machinatos, cæteri Latini instar Græcorum habent: Terentius non habet. Ad hoc, προτατικὰ πρόσωπα, id est personas extra argumentum accersitas non facilè cæteri habent: quibus Terentius sæpe vtitur, vt per harum inductiones facilè pateat argumentum. Veteres, etsi ipsi quoque in metris negligentiùs egerunt iambici versus duntaxat in secundo & quarto loco: tamen à Terentio vincuntur resolutione huius metri, quantum potest comminuti ad imaginem prosæ orationis. Tum personarum leges circa habitum, ætatem, officium, partes agendi, nemo diligentiùs Terentio custodiuit. Quinetiam solus ausus est quum in fictis argumentis fidem veritatis assequeretur, etiam contra præscripta comica meretrices interdum non malas introducere: quibus tamen, cur bonæ sint, & voluptas per ipsum & causa non desit. Hæc quum artificiosissima Terentius fecerit, tum illud est admirandum quòd & morem retinuit vt comœdiam scriberet, & temperauit affectum, ne in tragœdiam transiliret. quod unum aliis rebus minimè obtentum & à Plauto, & ab Afranio, & Accio, & multis ferè magnis comicis inuenimus. Illud quoque inter Terentianas virtutes mirabile quòd eius fabulæ eo sunt temperamento, vt neque extumescant ad tragicam celsitudinem, neque abiiciantur ad histrionicam. Adde quòd nihil obstrusum ab eo ponitur, aut quod ab historicis re-

quirendum sit, quod sæpius Plautus facit, & eo est obscurior in pluribus locis. Addè quòd argumenti ac styli ita attentè memor est, vt nusquam nō cauerit aut curauerit ea quæ obesse potuerunt: tum quòd media primis atque postremis ita nexuit, vt nihil additum alteri, sed aptum ex se totum, & vno corpore videatur esse compositum. Illud quoque mirabile in eo, primò quòd nō ita miscet personas quatuor, vt obscura sit earum distinctio: & itē quòd nihil ad populum facit actorem velut ex Tragœdia loqui: quod vitium Plauti frequentissimum est. Illud etiam inter cætera eius, laude dignum videtur, quòd locupletiora argumenta ex duplicibus negotiis delegerit ad scribendum. nam excepta Hecyra, in qua scribit Pamphili amorem, cæteræ quinque binos adolescētulos habent. Illud verò tenendum est, post νέαν κωμῳδίαν Latinos multa fabularum genera protulisse: vt Togatas, à scenicis atque argumentis Latinis: Prætextatas, ab dignitate personarum, & Latina historia: Attellanas à ciuitate Campaniæ vbi actitatæ sunt plurimæ: Rhyntonicas, ab actoris nomine: Tabernarias, ab humilitate argumenti & styli: Mimos, ab diuturna imitatione vilium rerum & leuium personarum. Inter Tragœdiam autem & Comœdiam cū multa, tum in primis hoc distat quòd in Comœdia mediocres fortunæ hominum, parui impetus, periculáque, lætíq; sunt exitus actionum: at in Tragœdia, omnia contraria, ingentes personæ, magni timores, exitus funesti habentur. & illîc turbulenta prima, trā quilla vltima: in Tragœdia contrario ordine res aguntur: tū quòd in Tragœdia fugiēda vita, in Comœdia capessenda exprimitur. Postremò, quòd omnis Comœdia de fictis est argumentis: Tragœdia sæpe ab historica fide petitur. Latinæ fabulæ primò à Livio Andronico scriptæ sunt ad cunctas res, quū etiā

rum recentiùs idem & poeta & actor fabularum fuerat fuisset. Comœdiæ autem, motoriæ sunt, aut stataria, aut mistæ: motoriæ, turbulentæ: stataria, quietiores: mistæ, ex vtroque actu consistentes. Comœdia per quatuor partes diuiditur, Prologum, Protasin, Epitasin, Catastrophen. Prologus est velut præfatio quædam fabulæ: in quo solo licet præter argumentum aliquid ad populum, vel ex Poetæ, vel ex ipsius fabulæ, vel ex actoris commodo loqui. Protasis, primus est actus initiúmque drámatis. Epitasis, incrementum processúsque turbarum, ac totius (vt ita dixerim) motus eroris. Catastrophe, conuersio rerum est ad iucundos exitus, patefacta cunctis cognitione gestorum. Comœdia est fabula diuersa institutæ continens, affectúmque ciuilium ac priuatarum rerum, qua discitur quid sit in vita vtile, quid contrà euitandum. Hanc Græci sic diffiniere, κωμῳδία ἐστὶν ἰδιωτικῶν καὶ πολιτικῶν πραγμάτων ἀκίνδυνος περιοχή. Comœdiam esse Cicero ait imitationem vitæ, speculum consuetudinis, imaginem veritatis. Comœdiæ autem à more antiquo dictæ: quia in vicis huiusmodi carmina initio agebantur apud Græcos: vt in Italia compitalitiis ludicris admisto pronuntiationis modulo, quo dum actus commutantur, populus detineatur. Aut ἀπὸ τῶν κωμῶν, hoc est ab actu vitæ hominum qui in vicis habitabant ob mediocritatem fortunarum: non in aulis regiis, vt sunt personæ tragicæ. Comœdia verò, quia poema sub imitatione vitæ atque similitudine compositum est, in gestu & pronuntiatione consistit. Comœdiam apud Græcos dubium est quis inuenerit primus, apud Latinos certum est. Comœdiam & Tragœdiam Togatam primò Liuius Andronicus reperit: aitque comœdiam esse quotidianæ vitæ speculũ: nec iniuria. nã vt in-tũ speculo, veritatis lineamẽta facilè per imagines

colligimus, ita lectione Comœdiæ imitationem vitæ consuetudinisque non ægerrimè animaduertimus. Huius autem originis ratio ab exteris ciuitatibus moribúsque peruenit. Athenienses nanque Atticam custódientes elegantiam, quum vellent malè viuentes notare, in vicos & compita ex omnibus locis læti alacrésque venichant, ibíque cum nominibus singulorum vitam publicabant: vnde nomen compositum vt Comœdia vocaretur. hæc autem carmina in pratis primùm mollibus agebantur, nec deerant præmia quibus ad scribendum doctorum prouocarentur ingenia, sed & actoribus munera offerebantur, quo libentiùs iucundo vocis flexu ad dulcedinem commendationis vterentur. Caper nanque pro dono his dabatur, quia vitibus noxium animal habebatur: à quo etiam Tragœdiæ nomen exortum est. Nonnulli autem ex amurca olei fæce, quæ est humor aquatilis, Tragœdiam dici vocarísque maluerunt. Qui ludi quum per artifices in honorem Liberi patris agerentur, etiam ipsi Comœdiarum Tragœdiarúmque scriptores huius dei velut patris numen colere veneraríque cœperunt. Cuius rei probabilis ratio extirit. ita enim carmina inchoata proferebantur, vt per ea laudes eius & facta glorioſa celebrari proferríque constaret: tum paulatim fama huius artis increbuit. Thèspis autem primus hæc scripta in omnium notitiam protulit: postea Æschylus sequutus exemplum, publicauit: de quibus ita Horatius in arte Poetica loquitur,

Ignotum tragicæ genus inuenisse camœnæ
Dicitur, & plaustris vexisse poemata Thespis,
Quæ canerent agerentque peruncti fæcibus ora.
Post hunc personæ pallæque repertor honestæ
Æschylus, & modicis instrauit pulpita tignis,
Et docuit magnúmque loqui nitíque cothurno.
Successit vetus his comœdia non sine multa

audc: ſed in vitium libertas excidit, & vim
Dignam lege regi. lex eſt accepta, chorúſque
Turpiter obticuit ſublato iure nocendi.
Nil intentatum noſtri liquere Poetæ:
Nec minimum meruere decus veſtigia Græca
Auſi deſerere & celebrare domeſtica facta,
Vel qui prætextas vel qui docuêre togatas.

FABVLA generale nomen eſt: eius duæ primæ
artes ſunt, tragœdia & comœdia. Si Latina argu-
mentatio ſit, prætextata dicitur. Comœdia autem
multas ſpecies habet. aut enim palliata eſt, aut toga-
ta, aut tabernaria, aut Atellana, aut mimus, aut
hyntonica, aut planipedia. Planipedia autem dicta
ab humilitatem argumenti eius ac vtilitatem acto-
rum, qui non cothurno aut ſocco vtuntur in ſcena
ut pulpito, ſed plano pede: vel ideo quòd non ea
negocia continet quæ perſonarum in turribus aut
in cœnaculis habitantium ſunt, ſed in plano & hu-
mili loco. Perſonati primi egiſſe dicuntur comœ-
diam, Cincius & Faliſcus: tragœdiam, Minutius &
Carrothonius. Omnium autem comœdiarum ſcripta
in quatuor rebus omnino ſumuntur, nomine, loco,
facto, euentu. Nomine, vt Phormio, Hecyra, Gur-
culio, Epidicus. Loco, vt Andria, Leucadia, Brundu-
ſina. Facto, vt Eunuchus, Aſinaria, Captiui. Euentu,
Commorientes, Adelphi, Heautõtimorumenos. Co-
mœdiarum formæ ſunt tres: Palliatæ, Græcum ha-
bitum ferentes, quas nonnulli tabernarias vocant.
Togatæ, iuxta formam perſonarum habitum toga-
rum deſiderantes. Atellanæ, ſalibus & iocis compo-
ſitæ, quæ in ſe non habent niſi vetuſtam elegantiam.
Comœdia autem diuiditur in quatuor partes, Pro-
logum, Protaſin, Epitaſin, Cataſtrophen. Prologus
eſt prima dictio, à Græcis dicta πρόλογος, id eſt ante-
cedens veram fabulæ compoſitionem eloquutio.
Eius ſpecies quatuor ſunt, συσατικὸς commendati-

tius, quo fabula vel Poeta commendatur. ἀναφορικὸς, relatiu⁹, quo aut aduersario maledicta, aut gratiæ populo referuntur. ὑποθετικὸς, argumentatiuus, fabulæ argumẽtum exponens. μικτὸς, mistus, omnia hæc in se continens. Inter prologum & prologium quidam hoc interesse voluerunt, quia prologus est vbi Poeta excusatur aut fabula commendatur: prologium autem est, quũ tantùm de argumento dicitur. Protasis est primus actus fabulæ, quo pars argumenti explicatur, pars reticetur ad populi expectationem tenendam. Epitasis, inuolutio argumenti cuius elegantia connectitur. Catastrophe, explicatio fabulæ per quam euentus eius approbatur. In plerisque fabulis ipsarũ nomina priora ponebantur quàm Poetarum: in nonnullis Poetarum, quàm fabularũ. cuius moris diuersitatem antiquitas probat. Nam quum primùm aliqui fabulas ederẽt, ipsarum nomina pronuntiabantur antequam Poetæ pronuntiarentur, ne aliqua inuidia à scribendo deterreri possent. Quum autem per editionem multarum Poetæ iam esset authoritas acquisita, rursus priora Poetarum nomina proferebantur, vt per ipsorum vocabula fabulis attentio acquireretur. Actas diuersis ludis manifestum est inscribi. Nam ludorum quatuor sunt species, quos Curules Ædiles munere publico curant. Megalenses, magnis diis consecrati, quos Græci μεγαλησίους appellant. Funebres, ad retinendum populum instituti dum pompa funeri decreta in honorem patricii viri plenè instruitur. Plebei qui pro salute plebis, eduntur. Apollinares, Apollini consecrati. In scena duæ aræ poni solebant, dextra Liberi, sinistra eius dei cui ludi fiebant: vnde Terent. in Andria ait,

Ex ára hac sume verbenas.

Hinc Vlyssem palliatum se per inducunt: siue quòd aliquando insaniam simulauit: quo tempore tectum

ſſe voluit, ne agnitus cogeretur in bella prodire:
ob ſingularem ſapientiam, qua tectus munitúſ-
plurimùm ſociis profuit. Huius enim virtutis e-
animi ſemper decipientis ingenium. Nonnulli
acæ incolas, ſicut Locros, palliatos fuiſſe comme-
rant. Achillis & Neoptolemi perſonæ diademata
ent: quanuis regalia ſceptra nunquam tenue-
t. cuius argumenti probatio talis inducitur, quòd
nquam cum reliqua Græciæ iuuentute ad geren-
cum Troianis bella, ſacramenta coniurationis
erunt, nec vnquam ſub Agamemnonis imperio
runt. Comicis ſenibus candidus veſtitus induci-
, quòd is antiquiſſimus fuiſſe memoratur. Ado-
centibus diſcolor attribuitur. Serui comici a ni-
exiguo conteguntur, paupertatis antiquæ gratia
quo expeditiores agant. Paraſiti cum intortis
liis veniunt. Læto, veſtitus candidus: ærumnoſo,
ſoletus: purpureus, diuiti: pauperi, phœniceus da-
emiliti, chlamys purpurea: puellæ habitus peregri
inducitur. Leno pallio varii coloris vtitur. Me-
rici ob auaritiam luteum datur. Syrmata dicta
t ab eo quòd trahuntur: quæ res ab ſcenica luxu-
inſtituta eſt. Eadem in luctuoſis perſonis incuriã
per negligentiã ſignificant. Aulæa quoque in ſce-
in terra ſternũtur, quòd pictus ornat⁹ erat ex At-
ca regia Romã vſq; perlatus, pro quibus ſrparia
s poſterior accepit. Eſt autè minutũ velũ quod
ulo obſiſtit dum fabularũ actus cõmutãtur. Di-
bia hiſtriones pronuntiabant: Cãtica verò tempe
antur modis nõ à Poeta, ſed à perito artis muſi-
factis. Neque enim omnia iiſdẽ modis in vno cã-
agebantur, ſed ſæpe mutatis: vt ſignificant qui
numeros in comœdiis ponunt, qui tres cõtinẽãt
tatos modos cantici illius. Qui huiuſmodi modos
iebant, nomen in principio fabulæ & ſcriptoris
ctoris ſupponebant. huiuſmodi adeo carmina ad

tibias fiebant, vt his auditis multi ex populo antè discerent quam fabulam acturi scenici essent, quàm omnino spectatoribus ipsis antecedens titulus pronũciaretur. Agebantur autem tibiis paribus aut imparibus, & dextris aut sinistris. Dextræ autem tibiæ sua grauitate seriam comœdiæ dictionem pronunciabant. sinistræ & serranæ, acuminis leuitate iocũ in comœdia ostendebant. Vbi autem dextra & sinistra acta fabula inscribebatur, mistim ioci & grauitates denunciabantur.

MEDEA

Euripidis poetæ tragici, Georgio Buchanano Scoto, interprete.

AD ILLVSTRISSIMVM PRINcipem Ioannem à Lucemburgo, Iueriaci Abbatem, Georgii Buchanani præfatio.

NON *dubito pleroſque futuros, Princeps clariſſime, quiſtatim vbi hæc in manus ſumpſerint, meam admirentur impudentiam, vel potius temeritatem, quòd in tanto bonorum ingeniorum prouentu, id ego potiſſimùm ſim auſus aggredi quod aliorum vel pudor refugerat, vel reformidarat audacia, atque Euripidi vertendo manum admoliri non pertimuerim: præſertim quum non ignorarem hanc à pleriſque rem prius tentatam, vni Eraſmo ita ſucceſſiſſe, vt iuxtà ab incepto me deterrere debuerit illorũ caſus, atque huius felicitas: qui præterquam quòd ad eam rem venerat tot bonarum artium præſidio inſtructus, etiam ſiqua erat in hac parte nouitatis gratia, eam præoccupauerat. Accedit & illud, quòd præter ſummam in choris obſcuritatem (quæ huic ſcriptori adeo familiaris eſt vt eam de induſtria ſectatus eſſe videatur) hæc ipſa quondam fabula ab Ennio prius verſa fuerat, cuius non pauci verſus adhuc in veterum commentariis paſſim leguntur: quorum comparatio his noſtris, alioqui obſcuris, plurimùm ſuæ luce officere poſſet. Ego verò, tantum abeſt vt hus à ſcribendo rebus fuerim deterritus, vt in vtriuſque fortunæ qualemcunque euentum non mediocre præſidium hinc fore iam animo præceperim, atque mihi ipſi quodammodo ſpoponderim. Nam tametſi plauſum à ſtudioſorum theatro hæc fabula non accipiat, ſi vtcunque tamen ſteterit, nec ignominioſè explodatur, nunquam quòd moleſtè feram, Ennij atque Eraſmi autoritate mihi tenebras effundi, quàm me poſt tam præclara nomina*

ualemcunque saltem locum tenuisse. Hoc verò quic-
uid est operæ, nos tibi princeps clariss. potissimùm cen-
uimus dicandum, non modò vt grati saltem animi pro-
ssione tuam erga me summam testarer humanitatem,
ut à vestræ familiæ nobilissimæ splendore contra ca-
mniantium inuidiam præsidium mihi peterem, sed
t meliori spe reliquorum doctorum suffragijs me com-
itterem; si tui iudicii prærogatiuo subnixus essem, qui
uum in omni disciplinarum genere principatum te-
eas, ac in hoc poeticæ studio singulari quadam felici-
te versaris, soles tamen (vt inquit ille) meas esse aliquid
utare nugas.

ARGVMENTVM.

IAson Medea comite Corinthum profe-
ctus, cum Glauca Creontis Corinthio-
rum regis filia nuptias paciscitur. Medea
verò indicto à Creonte exilio, vnius diei
moram exorat. Idque beneficium vt re-
uneraretur, dono per filios ad Glaucam mittit ve-
em & coronam auream, quibus illa induta extingui-
r: Creon quoque filiæ adhærens perit. Medea quum
os interfeciſſet liberos, currum quem à Sole acceperat,
atis draconibus iunctum, conscendit, atque Athenas
ofugit. Ibique AEgeo Pandionis filio nubit. Pherecydes
item & Simonides aiunt, Iasonem à Medea recoctum,
uenem denuo factum. De patre verò eius AEsone, is
ui de Argonautarum reditu scripsit, ita inquit,

Atque iterum blanda fecit reuirere iuuenta
Æsona, subtili distringens arte senectam,
Plurima quũ labris coxisset pharmaca in aureis.

Æschylus in fabula quæ nutrices Bacchi inscribitur,
t Bacchi nutrices earúmq; uiros, iuuenes ab eo denuo

factos. Staphylus autem inquit Iasonem quodammodo à Medea peremptum. Nam quum eius suasu sub Argus puppe obdormiret, nauisque iamiam uetustate solueretur, ruina puppis oppressus periit.

Aliter per Aristophanem Grammaticum.

Medea odio aduersus Iasonem concepto propter nuptias Glaucæ Creontis filiæ, Glaucam, Creonta, ac suos etiam liberos interemit: relictóque Iasone, AEgeo nupsit.

Fabula Corinthi fingitur agi. Chorus est è mulieribus Corinthiis. Docuit eum Pythodoro prætore circiter octogesimamseptimam Olympiadem.

Personæ.

NVTRIX *Medeæ.*

PAEDAGOGVS.

MEDEA.

CHORVS *mulierum Corinthiarum.*

CREON, *rex.*

IASON.

AEGEVS, *rex Athenienſium.*

NVNTIVS.

PILII *Medeæ.*

EVRIPIDIS POETÆ TRAgici Medea, Georgio Buchanano Scoto, interprete.

NVTRIX.

Tinã Pelasgis littus Argo ad Colchicum.
Non transuolasset Cyaneas Symplegadas:
Nec strata saltu pinus olim Pelio
Cecidisset: acta nec virorum fortiũ
Dextris, tulisset arietis spoliũ aurei
Pelia imperante: non hera excelsam mea
Medea Iolcon appulisset, Iasonis
Amore sæuo pectus ægrum saucia:
Autor puellis nec trucidandi patrem
Peliam, Corinthi degeret cum liberis,
Viróque, gentis cuius exul incolit
Solum, fauorem demereri sedula,
Et ipsa vbique morem Iasoni gerens.
FELICITATEM quam suprẽmam existimo,
Concors marito mulier vbi degit suo.
Nunc odia feruent. dissident charissimi
Nuper. suorum liberorum proditor
Heræque Iason, nuptiis regalibus
Fruitur, tyranni filiam Corinthii
Creontis arcto coniugem amplexu fouens.
At misera miseris habita ludibrio modis
Medea, pactam clamat infelix fidem:
Pignúsque fidei dexteram inuocat dati:
Testésque pacti conscios facit deos,
Non ita merenti quam rependat gratiam
Fallax Iason. inedia se macerans
Iacet: doloris magnitudine obruta,
Flumine perenni lacrymarum liquitur.

Ex quo mariti sensit in se iniuriam,
Immota vultus, mœsta terræ lumina
Figit: procellæ similis, aut scopulo, adnuit
Surdis amicorum auribus solamina:
Nisi quòd subinde colla flectens candida,
Secreta secum expostulat, deflens patrem,
Patriam, penates patrios quos prodidit,
Virum sequuta, cui modò contemnitur.
At misera tandem iam suis didicit malis
Quàm sit paternum suaue non linquere solũ.
Infensa natos odit, aspectu frui
Non gaudet. illud vereor vt ne quid noui
Excogitet. NAM quum patitur iniuriam
Elatus animus, haud facilè sibi temperat.
Hãc noui ego probè: trepidáq; exanimor me-
Ne ferrum acutũ condat in præcordia, (tu
Ingressa furtim tectum vbi torus sternitur:
Aut ne maritum perimat ac sponsam simul,
Dein maius ipsa subeat infortunium.
Metuenda sanè est, nec facilè victoriam
Refert, in illam siquis odia exerceat.
At cursu omisso iam reuersi liberi,
Non mente voluunt matris infaustæ mala.
PVERILI sanim⁹ grauib⁹ haud curis patet.

Ped. Antiquum herilis familiæ peculium,
Quid sola stabas conquerens propter fores?
Abs te relinqui sola, Medea vt ferret?

Nut. Senex minister liberorum Iasonis,
MANCIPIA frugi, siquid euenerit heris,
A Equè dolere suo decet vt incommodo.
Vis me doloris eò redegit, vt solo
Cælóque cogar euomere dominæ mala.

Ped. Quid? misera nondum luctui statuit modum?

Nut. A fine tantum luctus ô bone vir abest,
Vt hæc doloris sola sint primordia.

Ped. O stulta (siquidem sic decet de heris loqui)
Vt nil malorum comperit recentium!

. Quid istud est? ne pigeat effari senex.
. Nil. extulisse me priora pœnitet.
. Amabo, me conseruus haud celaueris.
Nam si necesse est, spondeo silentium.
. Sacras ad vndas abeo Pyrenes, vbi
Sedere soliti sunt ad aleam senes.
Colloquia dum clàm capto secreta, audio
Exigere pueros vt Corintho cogitet
Cum matre, regni sceptra qui hîc tenet Creõ:
Verúsne rumor hic sit, haud certò scio.
Falsum esse mallem: ac falsus vt sit cõprecor.
. Et hæc Iason liberis fieri sinet,
Iratus etsi diffidet cum coniuge?
. Affinitati vetus amor cedit nouæ:
Nec huic amicus perstat ille familiæ.
. Perimus igitur, si malum accedit malo
Nouum vetusto, donec exhaustum hoc erit.
. At tu quiesce, & comprime hæc silentio.
Nam tẽpus hauddũ est, hoc heræ vt fiat palã.
. Audite pueri, qualis in vos sit parens.
Perire nolim, dominus est enim meus:
Verùm erga amicos perfidus deprẽditur.
. Publica querela est ista, iam dudum ipsa scis
SIBI malle cũctos esse bene quàm proximo:
Hũc iure, at alium commodo adductum suo.
Si charitati liberûm sponsam pater
Præfert Iason, nil facit certè noui.
. Intrò ite pueri, cuncta succedent bene.
At tu seorsum hos contine quantum potes,
Néue ad parentem propius accedere sinas.
Ira fremẽtem nuper, oculis flammeis
Vidi minantem nescio quid istis: neque
Imponet iræ frena, donec quempiam
Feriat. in hostes potius vtinam hunc impetum
Fortuna, amicis incolumibus, transferat.
. Infelix ego, miseris curis

Confecta, hei mihi quomodo perij!
Nut. Hoc, hoc ipsum est, chari pueri,
Æstuat ira animus genitricis.
Turget bilis, properate citò,
Tecta subite:
Néve accedite lumina propius,
Néve adieritis, sed vitate
Animúmque ferum, ac triste ingenium
Mentis præcipitis. iamiam ite,
Intrò abscedite celeri passu.
Nam luctus dubio procul olim
Nubes surgens subitò ardebit
Maiore furore: ac patrabit
Aliquid mentis vis infrenis,
Et serie stimulata malorum.
Med. Heu, heu, toleraui misera, tole-
raui mala magnis deflenda
Luctibus. O nati scelerati
Vos malè perdat miseranda parens
Cum patre, ac tota domus pereat.
Nut. Me miseram, cur natos patris
Peccato adscribis? cur illos
Odisti? hei mihi pueri miserè
Metuo ne quid secus eueniat.
GRAVIS est regum fastus, & iræ
Nimium memoris, qui dare leges
Sunt soliti aliis, lege soluti
Ipsi. iudice me libertas
Par, & vitæ æquatio præstat,
Séque assuescere legibus æquis.
Si non regifico splendore, at
Tutò consenuisse licebit.
Nam popularius æqui iuris
Primum est nomen, & experiundo &
Vsu longè præstabilius.
AT sublimia nunquam stabili
Perstant homini fixa pede diu, ac

Siquando sors læua intonuit,
Hoc ex fonte innumeræ luctus
Vndę in splendida tecta redundant.
Cho. Vocem audiui, audiui planctum
Miseræ Colchidos. animi nondum
Æstus composuit. fare age anus,
In vestibulo stans audiui
Intra atria clamorem. haud lætor
Vestræ mulier luctu domus,
Ac mihi minimè grata geruntur.
Nut. Domus heu periit.
Deserta omnia. detinet illum
Aula tyranni, ac contabescit
Luctu in thalamis hera, amicorum
Nullo mollita animum hortatu.
Med. Heu heu, ruat in caput hoc miserum,
Fulmen ab æthere, quis mihi supereſt
Dehinc vitæ vsus, viuere vt optem?
Eheu longis tristem curis
Parcę miseram abrumpite vitam.
Cho. Audisti ô Iuppiter, ô tellus,
O lux, quam vocem misera edat
Mulier? quod tandem immoderatum
Thalami desiderium cogit,
Stulta, accelerare horam fati?
Istud ne expete. quòd si coniux
Connubio tuus alio fruitur,
Id ne improperes illi crimen.
Hanc tibi iudex Iuppiter æquus
Dirimet litem. ne te afflictes
Socium lugendo tori.
Med. O magna Themi atque Artemi sancta,
Cernitis impius in me coniux
Quale patrarit facinus, sancto
Mihi iureiurando adstrictus?
Quem cum sponsa vrinam simul ipsis

Ædibus oppressos conspiciam,
Qui immeritam læsere priores.
O pater, ô patria à me inhonestè
Germano deserta perempto.

Nut. Quos vocet audis, quos imploret?
Themin augustam, cum Ioue, præses
Qui creditur esse sacramenti.
Nec cohibere hera poterit facilè
Pectoris æstus.

Ch. Quî fiet prodeat vt corám?
Auribus vt sermonis nostri
Vocem hauriat, vt, si pote fieri,
Acres animi leniat iras,
Ac violentum ingenium ponat?

Nut. Haud quaquam sedulitas nostra
Deerit amicis.

Ch. At abi mea tu, dominámque foras
Educatque alloquere. heus propera,
Ne designet quicquam asperius
Hos aduersum, quos habet intus:
Gliscit enim vis sæua doloris.

Nut. Effecta hæc dabo. Sed metuo vt heræ
Persuadere queam. ista labori
Gratia vestro à me referetur:
Etsi fœtæ more leænæ
Luminis acies flammea seruis
Triste minetur, siquis propius
Vt compellet, tentet adire.
NIL peccarit, veterum læua ac
Præpostera qui vocet ingenia,
Qui cantus ad sacra deorum,
Ad conuiuia festáque epulas
Instituêre, illecebras gratas
Auribus: at suauiloquum carmen
Nemo inuenit quo sedaret
Tristes animi curas, vnde

Mortes plurimáque mala erumpunt
Euersura domos. verùm istis
Cantu medicari vtilius erat.
Ad lautas epulas quid frustra
Ilia tendunt, copia vbi dapis
Præsente animum lætitia explet?
Mœsti luctus gemitus nostras
Perculit aures, clamat misera
Illa, quam dolor edere cogit,
Voce, malum compellans sponsum
Veteris desertorem thalami.
Læsa Themin Ioue natam implorat,
Arbitram iurisiurandi,
Quæ illexit miseram ad solum Achiuûm
Per mare sæuum, Scythiæ aduersum,
Per ponti immensi spumantes
Cano sale fauces angustas.
Egressa tecto sum, Corinthiæ nurus,
De me querendi ne sit vlli occasio,
Plerosque noui, quòd seorsum degerent.
Habitos superbos. hos frequens præsentia
Fecit molestos: alius ingressus viam
Vitæ quietæ, ignauiæ subit notam:
Quia iudicandi certa veritas abest
Oculis ab hominum, qui priusquam pectoris
Norint recessus intimos, visos modò
Odere, nullis prouocati iniuriis.
Ergo vrbis hospes moribus se accommodet.
Nec laudo ciuem, contumax qui ciuibus,
Aspérque agresti degit insolentia.
Atenim inopinũ hoc quod mihi euenit malũ,
Vitam abstulit viuæ, pereo. vitæ exui
Iamdudum amorem, amore mortis percita.
In quo reposita cuncta habebam, pessimus
Planè virorum me reliquit vir meus.
NIHIL miserius fœminis, terra, omnium

tius, quo fabula vel Poeta commendatur. ἀναφορικὸς, relatiu⁹, quo aut aduersario maledicta, aut gratiæ populo referuntur. ὑποθετικὸς, argumentatiuus, fabulæ argumẽtum exponens. μικτὸς, mistus, omnia hæc in se continens. Inter prologum & prologium quidam hoc interesse voluerunt, quia prologus est vbi Poeta excusatur aut fabula commendatur: prologium autem est, quũ tantùm de argumento dicitur. Protasis est primus actus fabulæ, quo pars argumenti explicatur, pars reticetur. ad populi expectationem tenendam. Epitasis, inuolutio argumenti cuius elegantia connectitur. Catastrophe, explicatio fabulæ per quam euentus eius approbatur. In plerisque fabulis ipsarũ nomina priora ponebantur quàm Poetarum: in nonnullis Poetarum, quàm fabularũ. cuius moris diuersitatem antiquitas probat. Nam quum primùm aliqui fabulas ederẽt, ipsarum nomina pronuntiabantur antequam Poetæ pronuntiarentur, ne aliqua inuidia à scribendo deterreri possent. Quum autem per editionem multarum Poetæ iam esset authoritas acquisita, rursus priora Poetarum nomina proferebantur, vt per ipsorum vocabula fabulis attentio acquireretur. Actas diuersis ludis manifestum est inscribi. Nam ludorum quatuor sunt species, quos Curules Ædiles munere publico curant. Megalenses, magnis diis consecrati, quos Græci μεγαλησίους appellant. Funebres, ad retinendum populum instituti dum pompa funeri decreta in honorem patricii viri plenè instruitur. Plebei qui pro salute plebis, eduntur. Apollinares, Apollini consecrati. In scena duæ aræ poni solebant, dextra Liberi, sinistra eius dei cui ludi fiebant: vnde Terent. in Andria ait,

Ex ára hac sume verbenas.

Hinc Vlyssem palliatum semper inducunt: siue quòd aliquando insaniam simulauit: quo tempore detectum

se esse voluit, ne agnitus cogeretur in bella prodire: seu ob singularem sapientiam, qua tectus munitúsque plurimùm sociis profuit. Huius enim virtutis erat, animi semper decipientis ingenium. Nonnulli Ithacæ incolas, sicut Locros, palliatos fuisse commemorant. Achillis & Neoptolemi personæ diademata habent: quanuis regalia sceptra nunquam tenuerint. cuius argumenti probatio talis inducitur, quòd nunquam cum reliqua Græciæ iuuentute ad gerenda cum Troianis bella, sacramenta coniurationis inierunt, nec vnquam sub Agamemnonis imperio fuerunt. Comicis senibus candidus vestitus inducitur, quòd is antiquissimus fuisse memoratur. Adolescentibus discolor attribuitur. Serui comici a nicto exiguo conteguntur, paupertatis antiquæ gratia vel quo expeditiores agant. Parasiti cum intortis palliis veniunt. Læto, vestitus candidus: ærumnoso, obsoletus: purpureus, diuiti: pauperi, phœniceus datur: militi, chlamys purpurea: puellæ habitus peregrinus inducitur. Leno pallio varii coloris vtitur. Meretrici ob auaritiam luteum datur. Syrmata dicta sunt ab eo quòd trahuntur: quæ res ab scenica luxuria instituta est. Eadem in luctuosis personis incuriã ui per negligentiã significant. Aulæa quoque in scena in terra sternũtur, quòd pictus ornat⁹ erat ex Attalica regia Romã vsq; perlatus, pro quibus sparia tas posterior accepit. Est autè minutũ velũ quod populo obsistit dum fabularũ actus cõmutãtur. Diuerbia histriones pronuntiabant: Cãtica verò tempebantur modis nõ à Poeta, sed à perito artis multifactis. Ne que enim omnia iisdẽ modis in vno cãto agebantur, sed sæpe mutatis: vt significant qui numeros in comœdiis ponunt, qui tres cõtineãt ratos modos cantici illius. Qui huiusmodi modos ebant, nomen in principio fabulæ & scriptoris toris supponebant. huiusmodi adeo carmina ad

tibias fiebant, vt his auditis multi ex populo antè discerent quam fabulam acturi scenici essent, quàm omnino spectatoribus ipsis antecedens titulus pronũciaretur. Agebantur autem tibiis paribus aut imparibus, & dextris aut sinistris. Dextræ autem tibiæ sua grauitate seriam comœdiæ dictionem pronunciabant. sinistræ & serranæ, acuminis leuitate iocũ in comœdia ostendebant. Vbi autem dextra & sinistra acta fabula inscribebatur, mistim ioci & grauitates denunciabantur.

MEDEA

Euripidis poetæ tragici, Georgio Buchanano Scoto, interprete.

AD ILLVSTRISSIMVM PRINcipem Ioannem à Lucemburgo, Iueriaci Abbatem, Georgii Buchanani præfatio.

NON *dubito plerosque futuros, Princeps clarissime, qui statim vbi hæc in manus sumpserint, meam admirentur impudentiam, vel potius temeritatem, quòd in tanto bonorum ingeniorum prouentu, id ego potissimùm sim ausus aggredi quod aliorum vel pudor refugerat, vel reformidarat audacia, atque Euripidi vertendo manum admoliri non pertimuerim: præsertim quum non ignorarem hanc à plerisque rem prius tentatam, vni Erasmo ita successisse, vt iuxtà ab incepto me deterrere debuerit illorũ casus, atque huius felicitas: qui præterquam quòd ad eam rem venerat tot bonarum artium præsidio instructus, etiam siqua erat in hac parte nouitatis gratia, eam præoccupauerat. Accedit & illud, quòd præter summam in choris obscuritatem (quæ huic scriptori adeo familiaris est vt eam de industria sectatus esse videatur) hæc ipsa quondam fabula ab Ennio prius versa fuerat, cuius non pauci versus adhuc in veterum commentariis passim leguntur: quorum comparatio his nostris, alioqui obscuris, plurimùm sua luce officere posset. Ego verò, tantum abest vt his à scribendo rebus fuerim deterritus, vt in vtriusque fortunæ qualemcunque euentum non mediocre præsidium hinc fore iam animo præceperim, atque mihi ipsi quodammodo spoponderim. Nam tametsi plausum à studiosorum theatro hæc fabula non accipiat, si vtcunque tamen steterit, nec ignominiosè explodatur, nunquam quòd molestè feram, Ennij atque Erasmi autoritate mihi tenebras offundi, quàm me post tam præclara nomina*

nalemcunque ſaltem locum tenuiſſe. Hoc verò quic
uid eſt operæ, nos tibi princeps clariſſ. potiſſimùm cen-
imus dicandum, non modò vt grati ſaltem animi pro-
ſſione tuam erga me ſummam teſtarer humanitatem,
ut à veſtræ familiæ nobiliſſimæ ſplendore contra ca-
mniantium inuidiam præſidium mihi peterem, ſed
t meliori ſpe reliquorum doctorum ſuffragijs me com-
itterem, ſi tui iudicii prærogatiuo ſubnixus eſſem, qui
uum in omni diſciplinarum genere principatum te-
eas, ac in hoc poeticæ ſtudio ſingulari quadam felici-
te verſeris, ſoles tamen (vt inquit ille) meas eſſe aliquid
utare nugas.

ARGVMENTVM.

IAſon Medea comite Corinthum profectus, cum Glauca Creontis Corinthiorum regis filia nuptias paciſcitur. Medea verò indicto à Creonte exilio, vnius diei moram exorat. Idque beneficium vt remuneraretur, dono per filios ad Glaucam mittit vestem & coronam auream, quibus illa induta extinguitur: Creon quoque filiæ adhærens perit. Medea quum duos interfeciſſet liberos, currum quem à Sole acceperat, draconibus iunctum, conſcendit, atque Athenas profugit. Ibique AEgeo Pandionis filio nubit. Pherecydes item & Simonides aiunt, Iaſonem à Medea recoctum, iuuenem denuo factum. De patre verò eius AEſone, is qui de Argonautarum reditu ſcripſit, ita inquit,

Atque iterum blanda fecit reuirere iuuenta
Æſona, ſubtili diſtringens arte ſenectam,
Plurima quũ labris coxiſſet pharmaca in aureis.

Æſchylus in fabula quæ nutrices Bacchi inſcribitur, Bacchi nutrices earúmq; uiros, iuuenes ab eo denuo

EVRIPIDIS POETÆ TRAgici Medea, Georgio Buchanano Scoto, interprete.

NVTRIX.

VTinã Pelasgis littus Argo ad Colchicum.
Non transuolasset Cyaneas Symplegadas:
Nec strata saltu pinus olim Pelio
Cecidisset: acta nec virorum fortiũ
Dextris, tulisset arietis spoliũ aurei
Pelia imperante: non hera excelsam mea
Medea Ioleon appulisset, Iasonis
Amore sæuo pectus ægrum saucia:
Autor puellis nec trucidandi patrem
Peliam, Corinthi degeret cum liberis,
Viróque, gentis cuius exul incolit
Solum, fauorem demereri sedula,
Et ipsa vbique morem Iasoni gerens.
FELICITATEM quam suprẽmam existimo,
Concors marito mulier vbi degit suo.
Nunc odia feruent. dissident charissimi
Nuper. suorum liberorum proditor
Heræque Iason, nuptiis regalibus
Fruitur, tyranni filiam Corinthii
Creontis arcto coniugem amplexu fouens.
At misera miseris habita ludibrio modis
Medea, pactam clamat infelix fidem:
Pignúsque fidei dexteram inuocat dati:
Testésque pacti conscios facit deos,
Non ita merenti quam rependat gratiam
Fallax Iason. inedia se macerans
Iacet: doloris magnitudine obruta,
Flumine perenni lacrymarum liquitur.

Ex quo mariti sensit in se iniuriam,
Immota vultus, mœsta terræ lumina
Figit: procellæ similis, aut scopulo, adnuit
Surdis amicorum auribus solamina:
Nisi quòd subinde colla flectens candida,
Secreta secum expostulat, deflens patrem,
Patriam, penates patrios quos prodidit,
Virum sequuta, cui modò contemnitur.
At misera tandem iam suis didicit malis
Quàm sit paternum suaue non linquere solũ.
Infensa natos odit, aspectu frui
Non gaudet. illud vereor vt ne quid noui
Excogitet. NAM quum patitur iniuriam
Elatus animus, haud facilè sibi temperat.
Hãc noui ego probè: trepidáq; exanimor me-
Ne ferrum acutũ condat in præcordia, (tu
Ingressa furtim tectum vbi torus sternitur:
Aut ne maritum perimat ac sponsam simul,
Dein maius ipsa subeat infortunium.
Metuenda sanè est, nec facilè victoriam
Refert, in illam siquis odia exerceat.
At cursu omisso iam reuersi liberi,
Non mente voluunt matris infaustæ mala.
PVERILIS animꝰ grauibꝰ haud curis patet.

Ped. Antiquum herilis familiæ peculium,
Quid sola stabas conquerens propter fores?
Abs te relinqui sola, Medea vt feret?

Nut. Senex minister liberorum Iasonis,
MANCIPIA frugi, siquid euenerit heris,
A Equè dolere suo decet vt incommodo.
Vis me doloris eò redegit, vt solo
Cælóque cogar euomere dominæ mala.

Ped. Quid? misera nondum luctui statuit modum?

Nut. A fine tantum luctus ô bone vir abest,
Vt hæc doloris sola sint primordia.

Ped. O stulta (siquidem sic decet de heris loqui)
Vt nil malorum comperit recentium!

t. Quid istud est? ne pigeat effari senex.
l. Nil. extulisse me priora pœnitet.
t. Amabo, me conseruus haud celaueris.
Nam si necesse est, spondeo silentium.
d. Sacras ad vndas abeo Pyrenes, vbi
Sedere soliti sunt ad aleam senes.
Colloquia dum clàm capto secreta, audio
Exigere pueros vt Corintho cogitet
Cum matre, regni sceptra qui hîc tenet Creõ.
Verúsne rumor hic sit, haud certò scio.
Falsum esse mallem: ac falsus vt sit cõprecor.
t. Et hæc Iason liberis fieri sinet,
Iratus etsi dissidet cum coniuge?
d. Affinitati vetus amor cedit nouæ:
Nec huic amicus perstat ille familiæ.
t. Perimus igitur, si malum accedit malo
Nouum vetusto, donec exhaustum hoc erit.
d. At tu quiesce, & comprime hæc silentio.
Nam tẽpus haud dũ est, hoc heræ vt fiat palã.
t. Audite pueri, qualis in vos sit parens.
Perire nolim, dominus est enim meus:
Verùm erga amicos perfidus deprẽditur.
ed. Publica querela est ista, iam dudum ipsa scis
SIBI malle cũctos esse bene quàm proximo:
Hũc iure, at alium commodo adductum suo.
Si charitati liberûm sponsam pater
Præfert Iason, nil facit certè noui.
t. Intrò ite pueri, cuncta succedent bene.
At tu seorsum hos contine quantum pores,
Néue ad parentem propius accedere sinas.
Ira fremebtem nuper, oculis flammeis
Vidi minantem nescio quid istis: neque
Imponet iræ frena, donec quempiam
Feriat. in hostes potius vtinam hunc impetum
Fortuna, amicis incolumibus, transferat.
ed. Infelix ego, miseris curis

Confecta, hei mihi quomodo perij!
Nut. Hoc, hoc ipsum est, chari pueri,
Æstuat ira animus genitricis.
Turget bilis, properate citò,
Tecta subite:
Néve accedite lumina propius,
Néve adieritis, sed vitate
Animúmque ferum, ac triste ingenium
Mentis præcipitis. iamiam ite,
Intrò abscedite celeri passu.
Nam luctus dubio procul olim
Nubes surgens subitò ardebit
Maiore furore: ac patrabit
Aliquid mentis vis infrenis,
Et serie stimulata malorum.
Med. Heu, heu, toleraui misera, tole-
raui mala magnis deflenda
Luctibus. O nati scelerati
Vos malè perdat miseranda parens
Cum patre, ac tota domus pereat.
Nut. Me miseram, cur natos patris
Peccato adscribis? cur illos
Odisti? hei mihi pueri miserè
Metuo ne quid secus eueniat.
GRAVIS est regum fastus, & iræ
Nimium memoris, qui dare leges
Sunt soliti aliis, lege soluti
Ipsi. iudice me libertas
Par, & vitæ æquatio præstat,
Séque assuescere legibus æquis.
Si non regifico splendore, at
Tutò consenuisse licebit.
Nam popularius æqui iuris
Primum est nomen, & experiundo &
Vsu longè præstabilius.
AT sublimia nunquam stabili
Perstant homini fixa pede diu, ac

Siquando sors læua intonuit,
Hoc ex fonte innumeræ luctus
Vndę in splendida tecta redundant.
Vocem audiui, audiui planctum
Miseræ Colchidos. animi nondum
Æstus composuit. fare age anus,
In vestibulo stans audiui
Intra atria clamorem. haud lætor
Vestræ mulier luctu domus,
Ac mihi minimè grata geruntur.
Domus heu periit.
Deserta omnia. detinet illum
Aula tyranni, ac contabescit
Luctu in thalamis hera, amicorum
Nullo mollita animum hortatu.
Heu heu, ruat in caput hoc miserum,
Fulmen ab æthere, quis mihi supereſt
Dehinc vitæ vsus, viuere vt optem?
Eheu longis tristem curis
Parcę miseram abrumpite vitam.
Audisti ô Iuppiter, ô tellus,
O lux, quam vocem misera edat
Mulier? quod tandem immoderatum
Thalami desiderium cogit,
Stulta, accelerare horam fati?
Istud ne expete. quòd si coniux
Connubio tuus alio fruitur,
Id ne improperes illi crimen.
Hanc tibi iudex Iuppiter æquus
Dirimet litem. ne te afflictes
Socium lugendo tori.
O magna Themi atque Artemi sancta,
Cernitis impius in me coniux
Quale patrarit facinus, sancto
Mihi iureiurando adstrictus?
Quem cum sponsa vrinam simul ipsis

Ædibus oppressos conspiciam,
Qui immeritam læsere priores.
O pater, ô patria à me inhonestè
Germano deserta perempto.

Nut. Quos vocet audis, quos imploret?
Themin augustam, cum Ioue, præses
Qui creditur esse sacramenti.
Nec cohibere hera poterit facilè
Pectoris æstus.

Ch. Quî fiet prodeat vt corám?
Auribus vt sermonis nostri
Vocem hauriat, vt, si pote fieri,
Acres animi leniat iras,
Ac violentum ingenium ponat?

Nut. Haud quaquam sedulitas nostra
Deerit amicis.

Ch. At abi mea tu, dominámque foras
Educatque alloquere. heus propera,
Ne designet quicquam asperius
Hos aduersum, quos habet intus:
Gliscit enim vis sæua doloris.

Nut. Effecta hæc dabo. Sed metuo vt heræ
Persuadere queam. ista labori
Gratia vestro à me referetur:
Etsi fœtæ more leænæ
Luminis acies flammea seruis
Triste minetur, siquis propius
Vt compellet, tentet adire.
NIL peccarit, veterum læua ac
Præpostera qui vocet ingenia,
Qui cantus ad sacra deorum,
Ad conuiuia festásque epulas
Instituêre, illecebras gratas
Auribus: at suauiloquum carmen
Nemo inuenit quo sedaret
Tristes animi curas, vnde

Mortes plurimáque mala erumpunt
Euerſura domos. verùm iſtis
Cantu medicari vtilius erat.
Ad lautas epulas quid fruſtra
Ilia tendunt, copia vbi dapis
Præſente animum lætitia explet?
Mœſti luctus gemitus noſtras
Perculit aures, clamat miſera
Illa, quam dolor edere cogit,
Voce, malum compellans ſponſum
Veteris deſertorem thalami.
Læſa Themin Ioue natam implorat,
Arbitram iuriſiurandi,
Quæ illexit miſeram ad ſolum Achiuûm
Per mare ſæuum, Scythiæ aduerſum,
Per ponti immenſi ſpumantes
Cano ſale fauces anguſtas.
Med. Egreſſa tecto ſum, Corinthiæ nurus,
De me querendi ne ſit vlli occaſio,
Pleroſque noui, quòd ſeorſum degerent.
Habitos ſuperbos: hos frequens præſentia
Fecit moleſtos: alius ingreſſus viam
Vitæ quietæ, ignauiæ ſubit notam:
Quia iudicandi certa veritas abeſt
Oculis ab hominum, qui priuſquam pectoris
Norint receſſus intimos, viſos modò
Odere, nullis prouocati iniuriis.
Ergo vrbis hoſpes moribus ſe accommodet.
Nec laudo ciuem, contumax qui ciuibus,
Aſpérque agreſti degit inſolentia.
At enim inopinũ hoc quod mihi euenit malũ,
Vitam abſtulit viuæ, pereo. vitæ exui
Iamdudum amorem, amore mortis percita.
In quo repoſita cuncta habebam, peſſimus
Planè virorum me reliquit vir meus.
NIHIL miſerius fœminis, terra, omnium

Quæcunque viuunt mentéque vigent, edidit.
Primùm necesse est opibus immensis virum
Emere, susque accipere dominum corporis.
Accedit aliud huic malo grauius malum,
In quo periclum maximum, frugi vir, an
Nequam: mulieri repudium infame est, neque
Sponsæ maritum ius recusandi est suum.
In iura morésque venientem opus est nouos
Planè ariolari: quippe quæ haud didicit domi
Quali marito seruiendum sibi foret,
Et ista rectè cuncta quum curaueris,
Si degat vnà spontè vir patiens iugi,
Beata vita est: sin secus, præstat mori.
Domésticorum siquis offendat virum,
Foras profectus sedat ægritudinem,
Charis amicis iunctus aut æqualibus:
At nos, necesse est vnius ab arbitrio
Pendére, in vnúmque intueri: & interim
Vitam periclis nos carentem degere
Domi asseuerant, ferre sese lanceam:
Errore ducti. nam ter in acie prius
Armata certem, liberos quàm edam semel.
Sed non vtrasque hæc spectat æquè oratio:
Hæc nanque patria tibi, hîc penates patrii,
Præsidia vitæ, grata conuersatio
Inter sodales. contrà inops ego, patria
Extorris, aspra læsa contumelia,
A coniuge solo aduecta præda barbaro.
Non hîc propinquus, mater, aut germanus est,
Ad quos malorum afflicta tempestatibus
Me veluti portum recipere in tutum queam,
Tantisper igitur impetrare abs te velim,
Dum mihi facultas aliqua ratióve suppetet,
Qua de marito expetere supplicium queam,
Ob quæ patrauit inmerenti, & plectere
Illi locatam cum parente filiam,

Sis tacita. PLENA mulier ali oqui metus,
Infirma, ferrum contueri haud sustinet:
At in torum si quispiam peccauerit,
Nullum cruoris pectus est sitientius.
Id fiet. etenim iure pœnas expetis
Medea, sortem nec dolere te tuam
Miror. Creonta sed video regem gradum
Ferre huc, nouorum consiliorum nuntium.
Te, torua, vultu tetrico, iratam viro,
Medea, monui, regno, vt extorris meo
Comitata geminis hinc abires liberis.
Vetui morari. quando decreti arbiter
Istius ego sum. non reuertar hinc prius
Domum, exulem quàm finibus protrusero.
MED. Hei pereo penitus vndecunque miserrima.
Omnes rudentes explicant hostes mei:
Mali nec vsquam commodus datur exitus.
Afflicta quanuis pessi nè, id quæram tamen,
Quæ causa regno me exigere cogit, Creon?
Te metuo (quorsum falsa opus prætendere?)
Letale gnatæ ne exitium struas meæ.
Causæ timorem suggerunt hunc plurimæ.
Sagax es, artes gnara longè pessimas,
Grauitérque tædis orba fers dinortium.
Et nunc minari fama te refert malum
Sponsóque sponsæque, & nouæ nuptæ patri.
At id prius quàm fiat, anteuortere
Volo, cauendo. præstat autem odium tuum
Nunc ferre, sera quàm peracto facinore,
Hanc lenitatem luere pœnitentia.
CREON. Non fama primùm nunc nocet Creon mihi
Miseræ, sed antè damna non semel dedit.
QVI CVNQVE vera præditus prudentia est,
Ne disciplinis liberos impensius
Erudiat æquo, nec sapere doceat nimis.
Nam pigra præter quæ sequuntur otia,

Obliquus vrget liuor illos ciuium.
Apud imperitos scita si sophiæ noua
Promas, ineptum rentur atque inutilem.
At si putere denuo præcellere
Hos qui sophorum autoritatem vendicant,
Eris molestus. idque adeo mihi euenit.
Perita quum sim, hos vrit inuidentia:
His otiosa dicor: illis displicet
Diuersa vitæ ratio: nec desunt quibus
Obesse videar mediocri hac sapientia.
Tu quoque vereris ne quid in te perpetrem.
Non hic mearum, ne time, rerum est status,
Reges vt à me metuere deceat Creon,
At tu quid in me perpetrasti iniquius?
Natam elocasti cui tibi lubitum est viro:
At ego maritum prosequor odiõ meum.
Nec temere opinor ista gessisti: neque
Rebus secundis inuideo: quin nuptias
Facite, beati viuite: latebras fugæ
Permitte tantùm hîc. læsa licet, iniurias
Mussabo: discam cedere melioribus.
Cr. Speciosa sunt hæc, blandáque auribus, tamen
Vereor reposcum ne coquas animo malum.
Atque adeo tanto credo quàm pridé minus.
PRAECIPITIS iræ mulieré aut cuã virũ
Vites facilius quàm modestum atque tacitũ.
Desine morandi fando causas nectere.
Abi: statutum est ita: nec ars vlla faciet
Isthic vt habites, me perosa hostiliter.
Med. Per genua quæso, pérque desponsam recén.
Cr. Ah, verba perdis. neutiquam persuaseris.
Med. Et me repelles, haud reueritus supplicem?
Cr. Equidem familiæ non meæ te præfero.
Med. O patria, subiit nunc recordatio tui.
Cr. Qua nil secundum liberos mihi charius.

ed. O amor, hominibus pestis exitiabilis.
. Perinde opinor, res vti sese dabit.
ed. Quis autor horum, tu memento Iupiter.
. Abscede inepta, méque curis libera.
ed. Curæ premunt me, nec egeo curis nouis.
. Hinc exigêre subito seruili manu.
ed. Noli obsecro, sed id te sine exorem Creon.
Adhuc molesta mulier eris, vti video.
ed. Abibo. non hoc vt precibus impetrem, ago.
. Quorsũ igitur vrges, nec meo abscedis solo?
ed. Vnum instruendæ modò fugę indulge diem:
Et quando curam hanc genitor abiecit, sine
Me comminisci liberis opem vltimam.
Miserescat horum: nam & tibi sunt liberi.
Parens parentis calamitatibus faue.
Nam nulla cruciat cura me exilii mei,
Sed liberorum miseriæ me macerant.
Haud impotenti mente sum & tyrannica:
Quin sæpe damno mihi meus pudor fuit.
Et nunc apertè mulier errarum meum
Præuideo. verùm vince, quod vis accipe.
Præmoneo tamen id, si morantem crastinus
Hîc te videbit Phœbus, ac natos tuos,
Actum est, periisti: fixa stat sententia.
Nunc, si necesse est, lucis vnius moram
Permitto. nam nil interim patraueris
Horum, timore quæ me habent nunc anxiũ.
Infelix mulier, misera, malis
Miseris obnoxia quò tandem
Te vertes? cuius amicitiam,
Cuius tectum aut terram inuenies
Portum malis?
Traxit ineluctabile fatum
In mare te Medea malorum.
. Malè cuncta cedunt vndecunque. quis neget?
Sed ne putetis pessimè hac succedere,

Spõsis adhuc mihi pugna supereſt cum nouis:
Ingens futurus eſt labor cum affinibus,
Credis tyranno quiſſe me palparier,
Ni ſubfuiſſet ſpes lucri vel ſpes doli?
Supplex fuiſſem? contigiſſem illi manum?
At ille tanta præditus vecordia eſt
Vt quum liceret obuiam conatibus,
Si me expuliſſet, ire, permiſit diem
Hunc me manere, tres ego hoſtes qua meos
Mactabo, patrem, filiam, meum virum.
Sed tanta leti quum facultas ſuppetat,
Vnde inchoabo, dubia, amicæ, fluctuo.
Subdámne thalamis nuptialibus faces?
An ferro acuto rupta fodiam pectora,
Ingreſſa furtim tectum vbi torus ſternitur?
Sed me moratur vna res: ſi capta ſim
In tecta ſcandens, per dolum dum rem gero,
Perempta riſus exhibebo maleuolis.
At vſitatam præſtat inſiſtere viam,
Cuius perita ſum, necandi pharmacis.
Eſto: perierint, quod recipiet me oppidum?
Quod erit aſylum? fida quæ fidi hoſpitis
Domus patebit, protegétve perfugam?
Nuſquam eſt. manebo paululum dũ ſtabilia
Alicunde nobis præſidia ſeſe offerent.
Dolis adoriar, clámque perfungar nece.
Si pellat hinc me fors ineluctabilis,
Mucrone peragam facinus ipſa vel palám.
Lubens peribo, modò queam illos perdere.
Ad culmen imus præcipitis audaciæ.
Regina nobis culta ſemper vnicè
Hecate triformis, artis adiutrix meæ,
Te iuro, noſtra quæ colis penetralia,
Noſtro è dolore nemo referet gaudium.
His luctuoſas atque acerbas nuptias,
Affinitatem funebrem, & meam fugam

Reddam eia cunctis vtere simul artibus
Medea, cuncta conuoca consilia. age,
Aggredere facinus. nunc opus constantia,
Animoque forti. quæ feras vides. caue
Vt ne propines risui nepotibus;
Te Sisyphæis, nuptiisque Iasonis,
Te patre claro Soléque proauo editam.
Perita es ipsa, deinde nata fœmina.
IGNAVA quibus est mês honesta ad omnia,
Ad turpe supereſt facinus omne audacia.
Retrò ad fontes sacra feruntur
Flumina, ius & fas vertuntur.
Hominum plena dolis consilia.
Nec pacta fides diis sat certa est,
Audiet ex hoc muliebre bene
Genus. accrescet gloria nobis.
Non iam deinceps fama siniſtra
Traducet fœmineum sexum.
Ex hoc mutabit musa modos
Vatum priscorum, qui cantu
Muliebrem celebrant perfidiam.
At si cæleste melos citharæ
Nos docuisset carminis author
Phœbus, paria audisset
Progenies virûm.
Sed multa potest longior ætas
Nobis exprobrare, viríque.
Ac tu patriam deseruisti
Animi vecors, vecta gemellos
Trans scopulos ponti, ac peregrinam
Habitas terram, orbata cubilis
Tædis vidui, ac misera hinc exul
Eiiciere ignominioſé.
Periit reuerentia iurisiurandi. nullus superest Graiis
Pudor, in cælum sed reuolauit.

Tibi verò nec patria domus est.
Infelix, in quam ceu portum
Perfugias è thalami curis.
Sed regina potentior
Occupat aulam.

Iaſ. Non nunc, ſed antè ſæpe perſpectum eſt mihi
QVAM ſit malum impotens & immedicabile
Ira aſpra. licitum fuerat & terra & domo
Hîc tibi frui, ſiquidem tuliſſes molliter
Potentiorum imperia, quæ nunc exulas,
Ob vana verba, quæ moleſtiam mihi
Minimè faceſſunt. perge, vti facis, dicere,
Longè virorum peſſimum eſſe Iaſonem.
At quæ in tyrannos blatteraſti, ſi exul es
Ob hæc, recenſe pro lucro iuſſam fugam.
Ego ſæuientum mollichar principum
Animos feroces, ne exularet: tu tamen
Stulta eſſe pergis, prodigens conuitia.
Diríſque reges deuouens: itaque exulas.
Nec iſta amicos me mouent vt deſeram.
Adſum, tuíſque commodis mulier vaco,
Vt ne recedas hinc inops cum liberis,
Egénſve rerum. MVLTA ſecum incõmo da
Ferre fuga ſuauit. ſed nec indignè fero,
Nec velle poſſum malè tibi, etſi me oderis.

Med. O peſſime vndiquaque. nam imbecillitas
Conuitiari me ſinit tantùm mea.
Me adiſti, adiſti, maximè mortalium
Exoſe diíſq; miſíque cunctíſque hominibus.
NON fortitudo eſt iſta, non fiducia,
Læſos amicos contueri comminus,
Sed morbus vnus omnium grauiſſimus
Additus hominibus, impudentia. Id tamen
Abs te ꝓbè actũ eſt, quod adieris: ego vt leuẽ
Animum dolore, iurgia in te congerens:
Et tu viciſſim ſentias moleſtiam.

Et primùm (vt à primis initiis ordiar)
Salutis autor tibi tui, vt Graii sciunt
Quoscunque tecum vexit Argo Pelias.
Flammam vomentes iussus es tauros iugo
Supponere, & letale sulcis condere
Semen, draconem sæpe in orbes nexilem,
Circumuolutum vellus auro fulgidum, &
Sopore nunquam fella victum lumina
Fallere: perempto tibi dedi illo cernere
Vitale lumen: prodito patre & domo,
Applicui Iolcon te sequuta, tibi nimis
Hîc obsecundans, ac mihi parum prouidens.
Peliam peremi, morte qua nulla grauior,
Manu suorum liberorum. sustuli
Tibi metum omnem. tu tot ob beneficia
Nos prodidisti, prædo perfidissime,
Nouas sequutus nuptias, post liberos
De me creatos. orbus etenim si fores,
Veniam dedissem coniugis cupido nouæ:
Dein peieratis diis fides fluxa: ac satis
Statuere nequeo quos putabas tum deos
Regnare, credas nunc quoque, an poti⁹ nouũ
Ius esse fásque traditum mortalibus,
Vt qui tibi ipsi es conscius periurii.
O tacta sæpe dextera, ô sæpe genua
Frustra prehensa tibi manu infidissima,
Vt spes fefellit! age, velut amicum alloquar,
Sperantis instar aliquod abs te commodum.
Etenim rogando detegam scelus tuum.
Quò nunc reuertar? Ipseta quo me cõferam?
An ad penates patrios, ac patriam,
Quam, te sequuta prodidi? an potius petam
Peliæ miserias filias, quæ me hospitem
Tractent benignè patris ob necem suã?
Sic est, amicos perdidi domesticos:
Quos non deceat afficere me iniuria,

Orbis habitares, mentio haud fieret tui.
Mihi nec aurum sit domi aggestum, neque
Orphea canendo suauitas quæ vicerit,
Splendore si non sortis hæc decoret fauor.
Hæc dicta nostris sint super laboribus,
Contentionem quando ad hãc me prouocas.
At quæ exprobrasti regiis de nuptiis,
Primùm, reperies hîc sapere me, dein virum
Et temperantem, & tibi meísque liberis
Fidelem amicum. sed quiesce tu interim.
Vt me Corinthon ex loco contuli,
Cumulo malorum inexplicabili obrutus,
Quid comminisci commodum potui magis,
Quàm si puellam regiam exul ducerem?
Nõ (quod tibi ægrè est) quòd torũ odissẽ tuũ,
Sponsæque amore saucius forem nouæ,
Nec numero vt v li liberûm contenderem:
Sat liberorum est: de sobole nil conqueror:
Sed quod putandum plurimi est, vt splendidè
Æuum exigamus néve penuria premat.
Quippe indigentes qui fugere procul sciam
Cunctos amicos: vtque familiæ meæ
Pro dignitate, liberos educerem,
Ex téque natis gignerem fratres, pares
Quos simul honorum per gradus produceré,
Meámque postquam constabiliissem domũ,
Felix vt essem. liberis sanè tibi
Haud opus est aliis: mihi verò vtile est
Consulere natis per futura pignora.
Num cogitasse videor absurdè? totus
Modò ne angat animũ, haúd istud ipsa dixeris?
AT eò mulierum creuit impotentia:
Si coniugalis salua sit fides tori,
Tum cuncta rectè creditis succedere:
Sin hac sinistrè parte quidquam euenerit,
Quæ chara fuerant, sunt statim inimicissima.

At quàm fuisset procreasse liberos
Aliunde melius, nec fuisse fœminas?
Exempta quantis vita foret hominũ malis!
Ch. Hæc pulchrè Iason perpolita oratio est,
At mihi videre (inuita quanuis, proloquar)
Egisse iniquè, coniugem quum proderes.
Med. Quàm nostra vulgò dissidet sententia!
ORATIONIS qui probus erit artifex
Factísque iniquis, hunc reor grauissima
Pœna esse dignum. nam quæ iniqua comere
Se gloriatur lingua, non maleficio
Vllo abstinebit, ac vacua sapientiæ est.
Igitur omitte splendidis coloribus
Fucare verum, & eloquendi viribus:
Verbo quidem vno te subitò confecero.
Siquidem fuisses vir bonus, te oportuit
Non hæc amicis clam peregisse, at prius
Me persuasa nuptias facere nouas.
Iaſ. Quin paruisses mihi suadenti probè,
siquidem indicassem nuptias, quæ nec modò
Tumidi minuere pectoris bilem potes.
Med. Non hæc mouebat causa te, sed barbaras
Tædas senectam aduſque, fore putaueras
Parum decoras. Iaſ. Tibi velim id persuadeas
Non me sequutum regiis his nuptiis
Cupidinem vxoris: sed (vti dixi prius)
Tuæ saluti consulebam, ac liberis
Meis, vti de stirpe fratres regia
Domui futuros præsidia progignerem.
Med. Ne mihi dolori iuncta sit felicitas,
Opésque quæ cor triste curis vleerent.
Iaſ. Hæc vota vertes, tibíque melius consules
Precando, ne quod vtile est, triste id putes:
Nec quum secũdæ res erunt, te esse miseram.
Med. Illude. perfugium tibi inuentum est. ego
Deserta cogor his profugere finibus.

Iaſ. Tibi autor ipſa es, ne alteri id des crimini.
Med. Quînam? nouis quòd prodidi te nuptiis?
Iaſ. Diris tyrannos execrandis deuouens.
Med. Et execratur veſtra me inuicem domus.
Iaſ. Quot his ſupſunt plura, quæ haud redarguo?
At ſi qua poſcis præſidia tuæ fugæ,
Natíſue, noſtris ex opibus accipere, age
Profer, parato liberali dextera
Donare, noſtros teſſeras ad hoſpites
Dare, vt exulantem recipiant humaniter.
Hæc ſi recuſes mulier, haud rectè ſapis.
Iram remitte: conſules tibi melius.
Med. Tuis nec vti volumus hoſpitibus, neque
Accipere quicquam, nec dederis aliquid mihi.
NAM quæ mali dant dona, proſunt nemini.
Iaſ. At ego deorum ſancta teſtor numina,
Natis paratum cuncta me dare, tibíque.
Sed tu recuſas optima, & ferocia
Fugas amicos, ac malo id quidem tuo.
Med. I, ſponſam amatam viſe. nimium demoror
Ab eius oculis te procul. agite, nuptias
Facite. fauentes fortè ſi reſpexerint
Nos dii, pigebit apparaſſe nuptias.
Ch. Si iuſto amores acrius
Humana corda vulnerent,
Virtus faceſſit, deperit
Famæ decus. ſed ſi Cypris
Gradu modeſto venerit,
Nemo deorum eſt gratior.
Regina Cypris, aureo
Ex arcu ineuitabilem
In me ſagittam haud torſeris,
Amoris vnctam nectare.
Migrata temperantia,
Munus deûm pulcherrimum:
Infrenis iracundia,
Rixoſáque æmulatio,

Mentem mihi ne faucient,
Vlla dolentem pellice,
O sancta Cypris quæ toros,
Amas carentes litibus:
Parata promptè expendere
Lecti iugalis crimina.
O patria, ô ædes meæ,
Nunquam exul, & consilii inops
Æuum molestè transigam,
Confecta miseris luctibus.
O fata, fata tollite
Ex hoc prius me lumine.
INTER molesta cuncta nil
Molestius cognouimus,
Pelli solo quàm patrio.
Nec id relatu didicimus
Alterius. haud te ciuitas
Miseratur aut æqualium
Quisquam grauissimis malis
Prestam. MALE pereat miser
Miserabilisque nemini,
Qui, quum licet, nullo colit
Officio amicos, nec aperit
Sincera claustra pectoris.
Mihi quidem amicus nunquam erit.

Æg. Medea salue. hoc pulchrius proœmium
Nemo hab. t, amicos quo salutarit suos.

Med. Salue propago prouidi Pandionis
Ægeu. vnde in istud contulisti te solum?

Æg. Phœbi vetustum deserens oraculum.

Med. Cur vmbilicum faticanum adisti soli?

Æg. Prolis cupido consulere adegit deum.

Med. Et sobolis orbus, per deos, an um exigis?

Æg. Orbus, voluntas quando sic tulit deum.

Med. Cœlébsne, vinctus an iugali copula?

Æg. Haud nuptialis fuimus expertes tori.

Med. Quid tandem Apollo retulit de liberis?
Æg. Carmen facultatem supra humani ingeni.
Med. Responsa nobis nosse num fas est dei?
Æg. Fas est: peritæ nanque mentis indiget.
Med. Quid ergo dixit? scire si fas est, refer.
Æg. Viri eminentem soluere vetuit pedem.
Med. Nempe antequam facias quid aut quem adeas locum.
Æg. Prius paternam quàm adiero rursus domum.
Med. Tu, cuius ergò ad hancce tellutem venis?
Æg. Pittheus tyrannus quispiam est Trœzenius.
Med. Pelopis (vt aiunt) filius sanctissimus.
Æg. Communicare oraculum cum illo volò.
Med. Sanè peritus talium & gnarus vir est,
Æg. Mihíque amicos inter acceptissimus.
Med. Sit auspicatum quicquid animo destinas.
Æg. Cur corpus, oculúsque ita tuus contabuit?
Med. Ægeu, maritus pessimus hominum est meus.
Æg. Quid ais? apertè profer ægritudinem.
Med Immeritam Iason afficit me iniuria.
Æg. Quînam? profare quidquid est apertius.
Med. Habet supra me coniugem domus heram.
Æg. Nempe ausus istud facinus est fœdissimũ?
Med. Sic est. priores nunc amicos despicit.
AEg. Amore captus, an torum exosus tuum?
Med. Ingenti amore, nec suis fidus manet.
AEg. Valeat, malitia si modò est qua prædicas.
Med. Affinitatem concupiuit regiam.
AEg. Quis coniugem illi dederit, hoc edissere.
Med. Is qui Corinthi sceptra moderatur Creon.
AEg. Veniam meretur, mulier, iste tuus dolor.
Med. Ad hæc & exul hoc misera pellor solo.
AEg. A quo? recens hoc denuo narras malum.
Med. Regno exulare me Creon isto iubet.
AEg. Sinit hoc Iason? nec equidẽ hoc facinus probo.
Med. Verbo repugnat, exigi re non vetat.

Sed te per istud oro mentum, per tua
Te genua supplex, supplices tendo manus,
Miserere, miserere mulieris miserrimæ:
Nec orbam amicis, exulémque despice
Regno domóque contubernalem excipe.
Sic efficacem sortiantur exitum
Quæ à diis petisti liberis super, ipséque
Moriare felix. comminisci haud alteram,
Qualis reperta est spontè, potuisses viam.
Dehinc faxo ne sis sterilis, & sobole domum
Fundabo vestram. tale noui pharmacum.
Aeg. Permulta sunt cur facere tibi gratũ hîc velim.
Primùm deorum, liberûm dein gratia
Quos polliceris. muneri nanque huic ego
Inefficax sum totus. ita profectò habet.
Tu si Cecropium aduenieris solum, hospitem
Recipere nitar, cultor vt iusti vnicé.
Præmoneo tantum id te mulier, ex hoc solo
Te duco: verũ spontè si peruéneris (haud
Nostras ad ædes, tuta mecum manseris
Nec vim time, te neutiquam dimisero,
Quin effer ipsa spontè gressum hinc. nam id
Me criminãdi ne sit hospitibus locus. (velim,
Med. Id fiet: at si dederis ita fore hæc fidem,
Votis abundè satis erit factum meis.
Aeg. Mihí ne parum credis? quid hîc est scrupuli?
Med. Credo: sed odit me domus Peliæ & Creon,
Nec me vt reuellant hi tuo fines solo,
Iuratus ac vinctus sacramento mihi.
Verbis ligatus testibúsque diis, meus
Fies amicus, nec fidem præconibus
Qui me reposcent, facilè habebis. nanque ego
Infirma sum: illis regna, vires oppida
Largè supersunt, acopes tyrannicæ.
Aeg. Probè eloquuta es mulier atque prouidè:
Et quandò visum est sic tibi, non abnuo.

Aduersus hostes hunc tuos prætendere
Potero colorem: tutiúsque istud reor.
Præsidia muni, verbáque ac deos præi.
Med. Iura solum terræ, patrémque mei patris
Solem, deorúmque vniuersum adiice genus.
Æg. Quid præbiturum vel negaturum? refer.
Med. Quòd non repelles exulem regno tuo,
Nec si meorum quispiam velit hostium.
Educere, haud id viuus & volens sines.
Æg. Tellurem & almum deiero Solis iubar,
Deosque cunctos, firma fore quæ postulas.
Med. Sat est. quid autem pœnæ erit si peieres?
Æg. Quæ peierantes pœna consequi solet.
Med. Auibus secundis perge, cuncta rectè habent.
Ego te reuisam protinus vbi fecero
Quæ destinaui, & quæ volebã vbi assequar.
Ch. At te pacifer hinc Mercurius
Incolumem ad tua tecta educat.
Quæque agitas animo perficere
Det tibi. nam generosus
Mihi vir visus es Ægeu.
Med. O Iupiter, Iouisque fas, fáxque aurea
Phœbi, trophæum nunc feram illustrissimũ.
Nunc rectà ad ipsam tendimus victoriam.
Spes expetendi de hoste supplicii datur.
Nam quà pericli supererat vel plurimum,
Portus repertus natus est Pandionis.
Posthac rudentem principem ligabimus,
Cursum tenentes rectà ad vrbem Palladis.
Nunc cuncta prodam, mente quæ celauerã,
Aè dicta, crede, seriò quæ proloquar.
Mittam è ministris quempiam qui Iasonem
Accersat ad me. pòst vbi peruenerit,
Oratione blandiore colloquar,
Rectè videri nuptias & ordine
Factas, quibus me bene merentem prodidit,

Nec parua secum ferre dicam commoda
Petánique natis hîc licere viuere:
Non quòd relinqui liberos velim meos,
Et hostium hîc exponier ludibrio:
Sed vt puellam regiam perimam dolo.
Nam dona sponsæ quæ ferant, natis dabo,
Subtile peplum, cum corona nexili
Ex auro: vt istoc munere redimant fugam.
Quòd si recepta dona corpus tetigerint,
Peribit ipsa, & quisquis admorit manum.
Sic imbuentur efficaci pharmaco.
Atque hîc loquendi de his mihi statuã modũ:
Sed corda mœror obruit, quum cogito
Quantum supersit perpetrãdam dehinc scel⁹.
Mactabo natos: nec mianu quisquam mea
Hos liberabit. pòst vbi turbauero
Penitus Iasonis domum, vertam solum
Profuga peremptis liberis charissimis,
Cæde inquinata dexteram nefaria.
Non est ferendum, fœminæ charissimæ.
Risus vt hosti materia sim, sic eat.
Quid enim relictũ est cur iuuet dehinc viuere?
Nam nec patria, nec mihi domus, nec miseriæ
Perfugia restant vlla. tunc insanii,
Patrios penates quum reliqui, credula
Homini Pelasgo, qui fauente numine,
Pœnas rependet. nam nec ex me liberos
Viuos videbit dehinc, nec è sponsa noua
Gignet, venenis sed mala peribit malis.
Me nemo posthac insimulet iguauiæ,
Aut imbecillem desidémve censeat:
Quin cõtrà amicis beneuolã, hostibus graué.
Nam qui squis istis præditus erit moribus,
A Eunm perenni laude clarum transiget.
Arcana nobis quando credis pe ctoris,
Prodesse cupio tibi, ac tueri publicum

Mortalium ius, fásque. quare suadeo
Ne tam nefando scelere te contamines.
Med. Hæc fixa perstant. ac tibi ignosci potest
Isthæc loquéti, quæ pari haud premeris malo.
Ch. Mactare sobolem mulier audebis tuam?
Med. Id nempe coniux maximè indigne feret.
Ch. Et tu miseris maximis cumulaberis.
Med. Sic est. inanis omnis est oratio,
Ab instituto quæ refrenet. verùm age,
Opera fideli semper vtimur tua
Ad cuncta, tectam quæ fidem desiderant.
Adduc maritum. at ne reuela regibus
Consilia nostra, si sapis & es fœmina.
Ch. Cecropidæ, quondam felices
Et sancta deûm soboles
Arua inuicta ac sacra colentes,
Aurea quos sapientia pascit
Lucida puræ per spatia Æthræ
Traducentes molliter æuum.
Vbi castas quondam Pieridas
Fama nouem peperisse
Narrat flauam, Harmonien,
Vbi pulchri fluui flumina propter
Cephisi Venerem aiunt fessam
Mollibus exhalando flabris,
Et blandum spirantibus auris
Campos afflauisse beatos,
Dum nectit purpuream roso ac
Suaueolenti è flore coronam
Ambrosiæ comæ:
In quam, vt referunt comites sophiæ,
Misit amores, omnigenæ essent
Vt virtutis opitulatores.
Quî nam sacrorum fluuiorum
Vrbs, & cunctis hospita tellus
Te venientem accipiet sobolis.

Execranda cæde cruentam?
Quin expende hîc inter amicos
Quantum aggrediare nefas.animum
Refer ad trittia funera prolis.
Ne,per genua oramus pariter
Cunctæ,ne progeniem perimas.
Vnde hæc cruda audacia cordi?
Vnde hæc cæca temeritas?natis
Nempe inferre manum pote propriis?
Quînam immunes fletibus oculos
In natorum funere habebis?
Quum procumbet soboles supplex
Inter cædem,miseranda animi
Sanguine poteris tingere dextram.
Iaſ. Aduenio iussus.quamlibet succenseas,
Hîc tibi deesse nolui:sed expedi
Ecquid requiras modò nouæ ex nobis rei.
Med. Iason,oro,quicquid in te dixerim,
Ignosce.nostra siquid ira cundia
Asperius egit,te remittere id decet
Beneficiorum memoriæ communium.
Nanque ipsa mecum sola dum ratiocinor,
Meme reprendi,misera,cur insanio?
Infensa cursum recta consulentibus?
Hostis tyrannis sum,viróque qui facit
Quod vtilissimum est mihi,sociam tori
Dum rege natam ducit,ac natis meis
Fratres creabit.non furoris impetum
Frenare par est?quid fero,quum præbeant
Dij cuncta abundé?non mihi sunt liberi?
Orbos amicis video nos & exules.
Hæc mente volucns,quanta vis insaniæ
Me tenuit,irámque immerentem intelligo.
Quin laudo nunc te,prouidúmque iudico,
Qui tam potentem affinitatem adiunxeris.
Ego stulta certè,consili quæ particeps

Istius esse, quæ ministra debui
Astare lecto coniugis nouæ, atque ei
Gratum quod esset, facere. verùm nos sumus
Non dico pestis quanta certè fœminæ.
Sed te malorum non decet fieri æmulũ
Et stulta stultis dicta dictis reddere.
Insaniebam, fateor, anté: cedo nunc.
Consultius deliberaui. ô liberi,
O liberi, huc accedite, exite huc, domo
Prodite, complectamini, alloquamini
Cum matre patrem: pristinum deponite
Odium in amicos cum parente pristinos,
Iam fœdus ictum est. ira cessit. dexteram
Prehendite. hei mihi subit animum mali
Memoria tecti. O liberi an superstites
Exporrigetis dexteras charas diu?
Hei misera, lacrymis nuper obsita & metu
Odium paternum tempus vbi iam leniit,
Rigare fletu cogor ora denuo.
Ch. Et nostra liquidis ora fletibus madent,
Præsente maius ne quod accidat nefas.
Ias. Hæc laudo mulier: illa nec grauiter fero.
PAR est profectò fœmina vti succenseat
Nouas marito contrahenti nuptias.
At saniora consilia tuus animus
Admisit: ipsique admonente tempore
Fideliorem percipis sententiam:
Quod esse munus fœminæ arbitror probæ.
Nec oscitanter, filii charissimi,
Vestræ salutis inita ratio est à patre,
Siquidem fauentes habeat inceptis deos.
Nam spero terræ vos adhuc Corinthiæ
Olim futuros principes cum fratribus.
Sed crescite modò: cętera expediet pater,
Diuúmque quisquis nos benignus aspicit.
Vtinam ex ephebis exuntes vos probè

Videam inſtitutos ſuperioréſque hoſtibus.
Sed cur tenellas vda lacrymis genas
Mœres retrorſum flexa vultus candidos?
Nec hæc libenter auribus verba imbibis?
Med. Nil liberorum memoria animum perculit.
Iaſ. Bono animo es. iſtis ego probè proſpexero.
Med. Fiet: tibi parebo. verùm fœmina
Sum. NATVS autem ſexus hic ad lacrymas.
Iaſ. Cur tantopere verò ingemiſcis pignora?
Med. Ea nempe peperi. quum precarer proſperè
His, me ſubibat tacita commiſeratio,
An certa ſint hæc vota. Sed qua gratia
Huc te vocaui, ex parte dictum: cætera
Ego in memoriam ſuggeram. quũ regibus
Viſum ſit iſto me relegare è ſolo,
Id eſſe video commodiſſimum mihi,
Principibus vt ne ſim impedimento & tibi
Hîc commorando: quippe quũ infenſa videar
Aulæ. exulatum propero. verùm liberi
Vt educari patria poſſint manu,
Roga Creontem ne iubeat eſſe exules.
Iaſ. Certum experiri, at neſcio an perſuaſero.
Med. At tu iubeto ſponſa genitorem vt roget,
Hinc exulatum ne releget liberos.
Iaſ. Fiet. & opinor impetraturam, niſi
A cæterarum diſcrepabit moribus.
Med. Et ego laboris huius adiutrix ero.
Nam dona mittam, pulchrius quibus nihil
Nunc inter homines eſt, ſat id ſcio: peplum
Tenue ferentes filios, & aureum
Orbem coronæ. Sed miniſtrorum illico
Aliquẽ neceſſe eſt ferre mẽ dũ hunc muliebrẽ.
Felicitate non fruetur ſimplice,
Sed mille ſanè commodis cumulabitur,
Te nacta thalamo coniugem, virum optimũ,
Adepta cultus quos patris mei pater

Phœbus,

Phœbus, ferendos posteris dedit suis.
Hæc capite manibus dona nuptialia
Nati, ac beatæ ferte sponsæ regiæ.
Non respuenda capiet vtique munera.
Ias. Cur ipsa tete stulta spolias his? putas.
Vllis egere regiam peplis domum,
Auróne? serua, ne dederis hæc. sat scio,
Alicuius esse si putabit me preti,
Auro maritum sponsa longè præferet.
Med. Omitte: flecti muneribus aiunt deos.
ORATIONE qualibet potentius
Apud homines aurum est. fouet felicior
Illam aura sortis. cuncta fortunat deus
Illi. puella regnat, ego fugam haud modò
Auro sed anima liberûm redimam lubens.
At vos propinquas filii ingressi domos,
Nouam parentis coniugem, dominam meam,
Orate, deprecamini ne vertere
Solum necesse sit, offerentes in manum
Hæc dona: multùm nanque nostra id interest,
Illius isthæc munera accipi manu.
Ite, & peracta re probè ex sententia,
Matri referte nuntium qualem cupit.
Cho. Nulla dehinc supereſt spes pueros
Victuros, ad cædem properant.
Sponsa coronam fuluam accipiet,
Misera accipiet miserum exitium,
Flauæque comæ dirum ornatum
Acceptum, capiti imponet.
Gratia pepli, & nitor ambrosius
Auro tempora cingere coget,
Sponsa ornabitur orco.
Tales cadet in laqueos,
Misero & fato defungetur:
Nec mortis patet exitus vsquam.
Tu verò, ô miser, ô infelix

Sponſe, affinis dum vis regum
Eſſe, calamitatem imprudens
Accerſis natis, ac ſponſæ
Miſerum exitium. O miſeranda parens
Puerorum, tua lugeo fata,
Quæ thalamos geniales propter,
Dulcia priues pignora vita.
Quos tibi vir linquens, iniuſtè
Nuptæ thalamo alterius fruitur.

Pæd. Natis remiſſum eſt ô hera exilium tuis.
Regina munus in manum accepit lubens.
Tranquilla pueris cuncta ſunt illinc tuis.

Med. Hei. *Pæd.* Quid gemiſcis, cuncta quũ feliciter
Cedant? quid ora vertis illuc candida?
Meum nec audis mente læta nuntium?

Med. Æ, æ.

Pæd. Hæc cum relatis nuntiis haud congruunt.

Med. Væ denuo, væ. *Pæd.* Num fefellit opinio
Mea me, malúmque nuntium inuitus fero?

Med. Quæ nuntiata, nuntiata. haud culpo te.

Pæd. Deiecta vultus ergo quid fletu mades?

Med. Huc multa cogunt, ô ſenex. nanque & dei
Huc impulere, & ſtultitia ſimul mea.

Pæd. Animo bono es, per liberos potentiæ
Adhuc prioris magna ſupereſt portio.

Med. Alios quidem prius miſera deducam ego.

Pæd. Non ſola natis ſegregaris. CALAMITAS
Modicè ferenda eſt tibi, genita quũ ſis homo.

Med. Id fiet. at tu protinus in ædes abi,
Puerísque ſolitum præpara diurium.
Iam parta vobis ciuitas, ô filij,
Filij, domúſque, quam colatis me ſine,
Orbi parente ſempiternùm. at exulem
Me capiet alia terra, fructus antequàm
Capiam expetitos, quàm beatos videro,
Lectos priuſquam nuptialéſque thalamos,

Spōſáſque vobis præparem ac tollam facem.
O iam ſiniſtram contumaciam meam.
Fruſtra educaui filij vos, pertuli
Fruſtra labores, anxia incaſſum fui,
Fruſtra dolores paſſa ſum puerperi.
O ſpes inanes ſæpe de vobis meas,
Fore vos ſenectæ præſidia noſtræ, & manu
Veſtra ſepulchro mortuam me contegi:
Quæ prima ferme vota ſunt mortalibus.
Extincta nunc eſt dulcis expectatio.
Nam mœſta, vobis orba vitam tranſigam,
Et luctuoſa: nec deinceps cernere
Vobis parentem ſuauibus oculis licet,
Ad inſtitutum tranſeuntibus nouum.
Eheu quid in me reſpicitis, ô filij,
Riſu renidentes mihi nouiſſimo?
Hei miſera, quid agam? mulieres, mihi deficit
Cor intuendo blanda lumina libertûm.
Nequeo. priora conſilia valeant. ſolum
Mecum relinquent. quid? dolore dum patrem
Afficio, duplo grauius accerſam malum
Mihi ipſa? minimé. conſilia valeant. mihi
Quid contigit cur torpeam: ludibrio
Me patiar eſſe meis, inutilis, hoſtibus?
Audenda ſunt hæc. Sed meæ eſt ignauiæ
Hoc crimen: animo molliora ſuggero
Verba. introite. ſiquis eſt cui non licet
His intereſſe ſacris, ipſe viderit:
Meam profectò dexteram non polluam.
Ah facinus anime ne iſtud admittas caue:
Ipſos omitte, miſera parce liberis.
Fugæ leuamen exulantes vnà erunt
Noſtræ. per atræ noctis vltores deos
Non ſic abibit, vt meorum ego hoſtium
Natos relinquam obnoxios libidini.
Vitare mortem non queunt. quò nos trahit

Fatum, ſequamur. ſortiantur terminum
Hinc lucis, vnde ceperint primordium.
Peracta ſunt hæc. fixa ſtat ſententia.
Hanc nemo reddet irritam. iam vertice
Hæret corona: ſponſa peplis regia
Perit inuoluta: ſat ſcio, ingrediar iter.
Miſerrimum iam, miſerius etiam meos
Miſſura natos per iter. alloqui lubet.
Date, date matri dexteram, amplectamini
Nati parentem. O mihi manus chariſſima, &
Chariſſimum os. O forma, gratáque facies.
Felicitatem, ſed ibi, vobis comprecor:
Nam quicquid hîc ſupererat, abſtulit pater.
O molle corpus, gratáque amplexatio,
Blandúmque ſpirans ſuauis oris halitus.
Abite, abite, contueri non queo
Vos iam. malorum cedo magnitudini,
Videóque quantum perpetrabitur nefas.
SED peſſimorum facinorum genitor furor
Ratione maior me retrorſum diſtrahit,
Cho. Mecum ſæpe exactius
Sum conata expendere, ac
Subtili librare examine,
Num deceat diſquirere fœminas
De rebus ſubtilibus anxiè.
NEC nobis muſarum aliena
Sunt commercia. Sunt ſapientiæ
Corda capacia, non tamen omnibus
Sed rara inter copia fœminas
Indulget ſtudiis ſapientiæ.
Illud verò auſim contendere,
His cum longè actum felicius,
Quibus æuum penitus tranſigere
Contigit orbis ſobolis,
Quàm quibus eſt numeroſa propago
Sorte data: orbi quòd inexperti

Ignorent an dulce an amarum
Sit genuisse: anxietatibus
Vacui innumeris viuant. soboles
Queis numerosa est, anxia curis
Degunt miserae tempora vitae.
Primùm vt honestè educent, vitae-
Que necessaria subsidia parent.
Deinde accedit ad alias curas
Illud, sintne futuri (incertum)
Malè compositis moribus, an boni.
Id quoque postremùm mortalium
Nulli non graue proloquar, etsi
Cætera vitae commoda suppetant,
Et pubentes iam perueniat
Corpus ad annos, moribus opti mis
Exculto ingenio, dea inutilis
Tum si illa incumbat Mors, dulces
Ac mittat sub tartara liberos:
Quî fuit vtile, pignora propter
Hunc adiectum à diis mortalibus
Intolerandum luctus cumulum?

Med. Iamdudum, amicae, opperior exitum rei,
Fortuna quò se vertat illic, praestolans.
Atqui è ministris cerno quendam Iasonis
Gressus ferentem ad nos anhelo spiritu.
Mali videtur fore recentis nuntius.

Nunt. O perpetratrix facinoris nefarij
Medea, fuge, fuge, classe seu cita licet,
Seu vecta curru corripe celerem fugam.

Med. Quae digna causa cogit ad properam fugam?

Nunt. Regia puella modò periit atque genitor
Creon, venenis illius pariter tuis.

Med. Gratum attulisti nuntium. deinceps meos
Inter beneuolos ac amantes nostri eris.

Nunt. Quid? mente sana mulier es? an desipis?
Domum tyranni funditus quum veteris,

Audire gaudes, nec facinus istud paues?
Med. Non deest ad ista quod queam rependere.
Sed ne grauere tantulum nobis moræ
Dare, pereundi donec explices modum.
Nam morte functos si sciam miserrima,
Cumulabis animum gaudio duplice meum.
Nunt. Vt gemina proles cum patre aduenit tua,
Et coniugalis attigit limen domus,
Famuli, dolori quibus erat tuus dolor,
Gaudemus, aures omnium citò peruolat
Rumor, maritum téque pacto fœdere
Consopiisse pristinam discordiam.
Hic tangere manus, ille flauum verticem
Mulcere pueris. ipse quoque præ gaudio
Pueros gynæceum vsque lætus prosequor.
At hera colenda quæ tui nobis loco
Successit, antequam puerulos viderat,
Vultu renidenti intuens Iasonem
Hærebat: at pòst mœsta tristis lumina
Abscondit, ora retro flectens candida,
Quippe puerorum grauiter aduentum ferens.
Sed leniebat molliter puellulæ
Iras Iason, differendo talibus:
Aduersum amicos ne fueris aspera. animum
Compone. rursus flecte vultus, ac puta
Hos esse amicos, quos maritus diligit.
Et dona suscipe, & patrem exora tuum,
Hinc ne releget pignora, meam in gratiam.
At illa mundum vt vidit, haud viro amplius
Negare quicquam sustinuit. ac antequam
Tectis abessent genitor & nati procul,
Ornata peplis ipsa versicoloribus,
Mollem corona pressit aurea comam,
Sese nitentis ante specli splendidum
Æquor refingens: ac renidens suauiter,
Spectabat vmbram corporis inanimem sui.

Dein sede sese subleuans è regia,
Per tecta graditur læta donis, molliter
Eburna terræ collocans vestigia,
Et colla fixo sæpe spectans lumine.
At triste post hæc incidit spectaculum:
Colore mutato subitus iterum tremor
Obliqua membra vexat: ac ægrè throno
Præoccupato potuit efficere ne humi
Prolapsa rueret. tum pedissequa quædã anus
Iram esse Panos, aut deûm cuiuspiam
Rata, eiulauit lugubre. antè candidis
Nam tincta spumis ora vidit, & oculis
Circunrotari pupulas, & sanguinis
Inane corpus. eiùlatum flebilem
Dein excipit ploratus. alia ipsum ad patrem
Festinat, alia calamitatem coniugis
Nouum ad maritum currit vt recenseat.
Tota in tumultus versa varios regia
Strepebat. & iam cursor accelerans gradum
Lassus citatum, ad terminum peruenerat.
Hæc muta, clauso quæ iacebat lumine,
Suspiria trahens grauiter, expergiscitur.
Misera gerebat cum duplice bellum malo.
Nam quæ premebat verticem auro tortili
Corona, mirum, flammeam scaturiginem
Voracis ignis euomebat. at pepli
Tenues tuorum liberorum munera,
Niueum exedebant corpus, & miseræ cutem.
Porrò illa surgens è throno comam igneam
Rotat, huc & illuc vsta iactans tempora,
Quærens coronam excutere: at insolubilis
Aurum tenebat nexus: & quoties comam
Quatiebat, ignis sæuiebat acrius
Duplo. mali tum victa magnitudine
Cecidit, parenti cognitu tantùm suo
Facilis: nec oculis forma constabat sua,

Decor nec oris.vertice è ſummo cruor
Stillabat igne mixtus.auulſa oſſibus
Caro venenis per genas tacitis fluit,
Ceu tædâ lentis læſa ſudat lacrymis.
Res dira viſu.terror omnes occupat,
Tangere cadauer nemo vt auſit.ſcilicet
Magiſtra ſors aduerſa nos erudierat.
Ignarus autem genitor infelix mali,
Vt tecta pri..ùm contigit,cadaueri
Infuſus ingemuit,& vlnis comprimens,
Atque oſculatus,ſoluit ora talibus:
O nata miſera,quis deorum perididit
Sic morte fœda te?quis orbauit ſenem
Capulo propinquum,triſtéque ſilicernium?
Vtinam liceret nata tecum commori.
Vt lacrymis & luctibus fecit modum,
Senile corpus alleuare dum cupit,
Peplis adhæſit tenuibus,vti laureis
Ramis adhæret hedera.tum certaminis
Horrenda facies oritur:ille tollere
Genua experitur,illa contrà nititur.
Sin vim parabat,viua vellens viſcera
Nudabat oſſa,deinde ſenſim languit.
Fugiente vita ſpiritum tandem miſer
Efflauit,impar inualeſcenti malo.
Iam iuncta genitor nataque cadauera iacent,
Dignum profectò lacrymis ſpectaculum.
De te quid opus oratione?ſenties
Pœnæ expetitæ iam viciſſitudinem.
HAVD primitus nunc eſſe res mortalium
Vmbras fugaces credo.nec dubitauerim
Hos qui videntur ſapere,verborum aucupes
Hos curioſos,aſſeuerare omnium
Iure eſſe habendos optimo ſtultiſſimos.
Certè beatus nullus eſt mortalium.
Vt affluunt res,ille fortunatior

Illo putetur, haud beatus sit tamen.
Cho. Iure, vt videtur, plurimum hodie congeret
Deus malorum in Iasonem infortunij
Tui miserum est, ô Creontis filia
Misella, thalamis quæ procul ab Iasonis
Ad tecta Ditis functa fato duceris.
Med. Certum est, amicæ fœminæ, celerrimè
Natis peremptis hoc solo discedere.
Nec otiosè desidendo dexteræ
Infestiori dare necandos filios.
Mori necesse est liberos penitus meos.
Quando id necesse est, nos trucidemus vtique
Qui progenuimus. verũ age anime, accingere.
Ecquid moramur dira patrare scelera,
Et quæ necesse est perpetrare? age ô manus
Mea misera ensem cape, cape, ac ad carceres
Progredere vitæ tristis, ac ne defice:
Nec subeat animum liberorum memoria
Quos edidisti, ô chara. & obliuiscere
Fuisse natos breuiculum hunc diem tuos.
Pòst deinde luge. nam tametsi occideris,
Chari fuerunt, mulier autem misera ego.
Ch. O terra, lucidúmque
Phœbi iubar, videte,
Aspicite pestilentem
Hanc fœminam, & cruentam,
Manum trucem priusquam
In liberos verterit,
Qui de tua stirpe aurea
Ducunt originem.
Quam metuo, deûm
Ne imbuat hominum sanguis dextram!
At tu cæliginæ moderator
Lucis, cóhibe, reprime, furiam
Pelle cruentam & miseram tectis
E feralibus. incassum labor

Deperit ob natos susceptus.
Pignora frustra chara genueras.
O Symplegadum inhospita saxa,
Quæ deseruisti, angustas fauces:
Misera vnde tibi furor hic animi?
Vnde atrox cædes cumulatur?
QVIS QVIS consanguinea terram
Imbuerit cæde, ac macularit
Sanguine dextram, vindicta comes
Vrget sæua, ac dii mala plurima
Hinc domibus cœlitus immittunt.

Puer. Quid agâ? parentis quomodo hei fugiã man^u?

Alter. Ignoro frater chare: periimus vtique.

Ch. Audis puerorum audis vocem
Omisera, ô infelix mulier,
Tectum ingrediar, pignora rapiam è
Cæde nefanda.

Puer. Per ô deorum numen opitulamini
Dum licet, in ipsis penè retibus sumus.

Ch. Misera aut ferrum aut silicem gestas
Pectore, quæ propria mactabis
Dextra, pignora quæ peperisti.
Vnam secula memorant, vnam
Ino, quam fœda sse cruore
Sui recensent pignoris charam manum,
Nec sponte, diro sed furore percitam,
Insanientem Iuno quum miseram domo
Exegit. oblita cæde natorum impia
Periit peremptis liberis mortis comes,
Progressa littus vltra, in æquor decidens.
Quid sceleris iam restat inausum?
O FOEMINEI thalami curæ
Pleni anxiferæ, quanta è vobis
Homines torquet lerna malorum!

Iaſ. Quę statis hasce propter ędes fœminę,

Est ne intus autor facinoris nefarii?
Medea, sese an abripuit aliò fuga?
Tellure sese ni recondat obrutam,
Pennáue liquidas ætheris findat plagas,
Domui rependet capta pœnas regiæ.
An se interempta stirpe regum, credidit
Impune tectis hisce posse euadere?
Nec illius me cura, sed sobolis coquit.
Nanque illa pœnas soluet his quos læserat,
Sed liberorum huc venio vitæ vt consulam:
Ne scelera matris vindicantes impiæ
Genere propinqui aduersus illos sæuiant.
Ch. Nescis malorum quò redactus sis miser
Iason, aliàs ista nunquam diceres.
Ias. Quid est? an etiam me interimere cogitat?
Ch. Cæsi occiderunt liberi matris manu.
Ias. Hei mihi, quid ais? vt me iugulasti fœmina!
Ch. Vt luce cassis cogita de liberis.
Ias. Vbi eos peremit? intus an foris? refer.
Ch. Foribus reclusis funera intuebere.
Ias. Auferte vectes, tollite hinc repagula
Statim ministri. scelus vt aspiciam duplex,
Illos peremptos, hanc, vti pœnam exigam.
Med. Quid frustra in istas arietas pulsans fores,
Cæsósque, méque cædis autorem petens?
Laborem omitte hunc méque, si qua in re est
Affare: manibus haud licebit tangere. (opus,
Talem parentis Sol pater currum mihi
Quo me tuerer è manu hostili, dedit.
Ias. O dira, diis ô mulier immortalibus
Exosa mihíque, & omnibus mortalibus:
Quæ sustinebas liberorum pectori
Inserere ferrum mater, orbum & perdere
Me! & his patratis intueri sustines
Solem, solúmque, facinus ausa pessimum?
Malè peri. ego resipisco nunc: insanii

Tum cùm paternis ædibus te barbaro
Graias ad vrbes è solo aduexi, malum
Pestémque, patris proditricem, & patriæ
Quæ te educauit. supplicia de me expetunt
Scelerum tuorum, vindices Erinnyes.
Nam fratre cæso, sanguinis socio, ratem
Mecum decoram ingressa es Argo Peliam.
Hinc orsa es: inde coniugali copula
Mihi iuncta, de me sustulisti liberos:
Offensa tædis quos peremisti nouis:
Quod Graia nulla perpetrasset fœmina,
Quibus ego spretis prætuli thalamos tuos,
Affinitate pestilente me illigans
Sæuæ leænæ, haud fœminæ: quæ pectore
Scyllæ cruentos ferreo vincis canes.
Sed nulla mentem commouent opprobria,
Ita impudenti obduruisti audacia.
Pereas, cruenta liberorum carnifex.
Lugere superest mihi meum infortunium,
Qui nec recenti perfruar connubio,
Nec quos creaui & educaui liberos,
Iam morte raptos, alloqui viuos licet.

Med. Quàm multa contrà suppetunt quæ redderem,
Si non vtrinque testis esset Iuppiter
Quam debuisti ac rettulisti gratiam.
Spretísne nostris nuptiis tu molliter
Vitam perageres, mihíque miseræ illuderes?
Regiáque virgo, & qui dedit nuptum hanc, Creon,
Impune an vnquam me expulissent hoc solo?
Igitur leænam me voca aut Scyllam (vt lubet)
Thuscum obsidentem littus. vt par est, tuum
Animum vicissim perculi molestiis.

Iaſ. Angeris & ipsa, & es malorum particeps.

Med. Modò ne dolentem irrideas, iuuat dolor.

Iaſ. O matre nati fili nepharia!

Med. O filii, vt vos perdidit scelus patris!
Iaſ. Non hos peremit noſtra certè dextera.
Med. Sed culpa, lectúmque in iugalem iniuria.
Iaſ. Torúmne propter auſa es illos perdere?
Med. An hunc dolorem mulieri reris leuem?
Iaſ. Siqua eſt modeſta: tu vndequaque es peſſima,
Med. Illi occiderunt: hoc habet te peſſimé.
Iaſ. Capiti imminebunt vindices vmbræ tuo.
Med. Diis primus autor notus eſt iniuriæ.
Iaſ. Diis nota mens eſt execrabilis tua.
Med. Mihi es moleſtus, & odioſa oratio.
Iaſ. Et tua viciſſim mihi. ſed hac moleſtia
Facilè carebis. *Med.* Quomodo? id nãque vnicè
Cupio. *Iaſ.* Remitte ſienda mihi cadauera,
Ac ſepeliẽda. *Med.* Minimé. eos nãq; hac manu
Iunonis alto ſepeliam ſanctæ ſacro,
Sepulchra ne fortè hoſtis inſolentia
Violet ſuperbi: Siſyphíque poſteris
Cædis nefandæ ſacra dabo piamina,
Feſtáque dicabo in poſterum ſolennia.
At ipſa Erechthei propero ad vrbẽ, vbi Ægeo
Iungar marito, filio Pandionis.
Tu verò, vt æquum eſt te, peribis peſſimè,
Argus reliquiis tempora effractus tua,
Finem nefaſtum ſentiens thalami mei.
Iaſ. At te cruentæ filiorum Erinnyes
Peridant, & vltrix Iuſtitia cædis feræ.
Med. Ecquis deorum te audiet vel dæmonum,
Periure, fallax, hoſpitúmque proditor?
Iaſ. Ah ah nefanda liberorum carnifex.
Med. Proficiſcere domum, conde tumulo coniugem.
Iaſ. Natis orbus geminis abeo.
Med. Nondum luges. ſenium expecta.
Iaſ. O chariſſima pignora. *Med.* Matri
Chara profectò, patri minimé.
Iaſ. Tamen extinxti. *Med.* Te vt cruciarem.

Iaſ. Heu me miſerum. tangere chara
Cupio natorum ora meorum.
Med. Nunc alloqueris, nunc amplecti
Optas, dudum quos repuliſti.
Iaſ. Per ô deorum numen id tribue mihi,
Vt molle corpus liberûm tangam manu.
Med. Minimè. incaſſum verba profundis.
Iaſ. Iuppiter hóene, vt ſpernimur, audis,
Quæque ſceleſta patrauerit in me
Lea, natorum cæde cruenta?
Quod licet vnum, fleo, vociferor,
Teſtésque deos aduoco, natos
Quòd me attingere manibus prohibes
Abs te occiſos, quòd mihi tollis
Funeris arbitrium. quos vtinam
Nunquam ego genuiſſem, abs te vt cæſos
Cernere cogerer ipſe ſuperſtes.
Ch. DISPENSAT mortalia cuncta
Cœlo Iuppiter, inopina dei.
Plurima peragunt, ſpes euentu
Fraudant ſæpe ſuo. quæ credas
Fieri haud poſſe, expediet deus, vt
Finem hæc nunc ſortita eſt fabula.

ALCESTIS

Euripidis poetæ tragici, Georgio Buchanano Scoto interprete.

AD ILLVSTRISS. PRINcipem D. Margaritam Henrici secundi Francorum regis sororem, in Alcestin Præfatio.

ALcestin Euripidis ante aliquot annos à me Latinam factam, ad te potissimùm, Margarita principum optima, censui mittendam. Nec id ea modò causa feci qua cæteri ferè solent, qui hoc tempore inscribendo aliquid aut possunt aut audẽt: ut uidelicet hac prærogatiua freti, aliorum iudicia minus reformident, & autoritate nominis tui aduersus ca lúmniantium malignitatem se tueantur: sed quòd huius fabulæ lectionem tibi multis de causis non ingratam fore sperabam. Est enim orationis genere leni & æquabili, & quod Euripidis proprium est, suaui: parricidij verò & ueneficij, & reliquorum quibus aliæ Tragœdiæ plenę sunt scelerum, nulla prorsus hic mentio, nullum omnino uestigium. Contrà uerò coniugalis amoris, pietatis, humanitatis, & aliorum officiorum adeo plena sunt omnia, ut non uerear hanc fabulam comparare cũ libris eorum philosophorũ qui ex professo uirtutis præcepta tradiderunt: ac nescio an etiam præferre debeam. Actio enim rerum sermõne & spiritu penè animata, acrius quàm nuda præcepta sensus impellit, & facilius in animos influit & illabitur, atque ubi illapsa fuerit, firmius hæret, & quasi radices egit. Quòd si quis minus ad te pertinere credat ista, quòd eo iam in omni uirtutis genere sis progressa, ut non sis alienis exemplis confirmanda, sed alios tuo exemplo ad uirtutem prouoces, fallitur uehementer, meo quidem iudicio: præcepta enim officiorum, & rerum præclarè gestarum memoria, aliis fortassis

fortassis vtiliora erunt, qui ea legent, vt velut ad normam suos mores eò dirigant: illis certè iucundissima esse debẽt, qui iam perfuncti discendi & imitandi laboribus, sub aliena persona suas laudes citra omnem adulationis suspicionem legunt. habet enim hæc fabula, quantum ego quidem iudicare possum, earum virtutũ quas in te non minus libenter agnoscimus, quàm in Alceste legentes miramur, adeo expressam imaginem, vt quoties eam in manus sumas, toties tuarum tibi virtutum in mentem veniat necesse est. eam quum laudari audies, de tuis moribus iudicium fieri existimes. Eam igitur ad te vt dixi mittimus. Quod si audacius à me factum videatur, eam tu potissimùm culpam præstes oportet: quæ me tua autoritate ad scribendum impulisti, & in arenam productum omni fauoris genere prosequeris, & foues. Vale.

ARGVMENTVM.

QVVM iã moriturus esset Admetus, Apollo à Parcis impetrauit ei vt quantum vixisset, alterum tantum viueret, si alium daret qui pro se moreretur. Parens autem vterque quum hanc pro filio moriendi cõditionem recusasset, Alcestis vxor se obtulit. Paucos verò post dies quum ea incidisset calamitas, Hercules aduenit. Is edoctus ab vno ministrorum quæ Alcestidi cõtigerant, ad sepulchrum profectus, Mortem abegit: mulierem veste obnubit: atque Admetum orat vt eam à se acceptam seruet. Affirmabat enim sibi, quũ lucta vicisset, eam præmio datam. Id quũ abnueret Admetus, detectam ei quam lugebat, ostendit vxorem.

Personæ.

APOLLO.
THANATOS.
CHORVS.
SEMICHORION.
ANCILLA Alcest:
ALCESTIS.
SERVVS.
ADMETVS
EVMELIVS.
HERCVLES.
PHERES

EVRIPIDIS POETÆ TRAgici Alceſtis, Georgio Buchanano Scoto, interprete.

APOLLO.



Tecta chara regis Admeti, in quib⁹
Conuictor eſſe pertuli ſeruis Deus.
Huc me coegit filium Æſculapium
Flammis triſulcis quum peremit Iuppiter.
Ego impotenti ſæuus ira fulminis
Fabros Cyclopas perimo: pœnas vt darem,
Mortalis eſſe me viri ſeruum pater
Voluit. Profectus igitur huc, pecus hoſpitis
Paui, domúmque præſtiti incolumẽ hactenus:
Vt ſancta ſancto quæ Pheretis filio
Pareret. Ipſum liberaui è faucibus
Leti imminentis, præoccupans Parcas dolo.
Nanque annuerunt mihi deæ vt ſubducerem
Admetum ab orco, & funus in præſentia
Aliud loco eius Manibus ſupponerem:
Quúmque ambiiſſet ille amicos, omnium
Expertus animos, patris ac matris ſenis
Quæ peperit ipſum, nemo præter coniugem
Inuentus vnam eſt, ſponte quæ prior mori
Voluit, nec alma luce poſtea frui.
Ea baiulatur nunc manus inter domi
Frigente ſenſim corpore: hæc etenim dies
Decreta fato eſt, morte vitam vt exuat.
Sed funus hîc ne polluat me, deſero
Charos penates. Mortuorum ſed prope
Thanatos ſacerdos aduenit, ſub tartara
Rapturus illam. Tempori verò huc adeſt,
Hunc præſtitutum mortis oberuans diem.

Th. Ha,ha,ha,ha.
Qui tibi tandem hîc Phœbe negotii?
Quid oberras hæc limina propter?
Iterum iniurius es diis ſtygiis,
Quorum aboles ac tollis honores.
Non ſat erat tibi,morti Admeti
Iniecisſe moram arte doloſa
Circumuentis Parcis? Iterum
Arcitenentem cur modò dextram
Armatus ades Peliæ obſeruans
Na am, quæ pro coniuge charo eſt
Pollicita mori?
Ap. Bono animo es,æquũ iúſque fáſque poſcim⁹.
Th. Quorſum igitur arcu,iuſta ſi petis,eſt opus?
Ap. Hæc arma ſemper ferre conſuetum eſt mihi.
Th. Opémque ferre præter æquum his ædibus?
Ap. Hominis amici mihi dolori eſt calamitas.
Th. Etiam hoc ſecundo fraudor abs te funere?
Ap. Atqui nec illud abſtuli inuito tibi.
Th. Cur viuit ergo,nec apud inferos agit?
Ap. Sponſæ redemptus morte,quam tu nũc petis.
Th. Et quam ſilentes mortuam ad manes agam.
Ap. Perge,aufer:etenim neſcio an perſuaſero.
Th. Mi? munus ipſum cuius eſt occidere.
Ap. Minimè:morantes morte ſed tollere ſenes.
Th. Quò verba ſpectent & voluntas tua,ſcio.
Ap. Alceſtidi ergo non licet ſenio frui,
Th. Non licet.honores,Phœbe,nos etiam iuuãt.
Ap. Nil præter animam poteris vnam tollere.
Th. Ex morte iuuenum maius accedet decus.
Ap. At vetula moriens ditius tumulabitur.
Th. Lex hæc rem habentes,Phœbe,,ſolos reſpicit.
Ap. Quid? tu ſophiſtes inſciis nobis eras.
Th. Res ampla quibus eſt,redimerét mortis moras.
Ap. Non ergo viſum eſt tibi facere gratũ hîc mihi?
Th. Minimé.ipſe morum non meorũ ignarus es.

Ap. Quos nec deorum nec hominum vllus dilígit.
Th. Haud cuncta poteris præter æquum cõsequi.
Ap. At reprimetur ista sæua immanitas
Quamlibet acerba: talis accedet domum
Pheretis hospes imperante Eurystheo,
Thrace ab niuosa quadriiugos abducere.
Acceptus hospes ille in Admeti domum
Vi tollet istam fœminam tibi, neque
Hanc à me inibis gratiam: & quum ingratiis
Eadem peregeris, odio esse haud desines.
Th. Vt multa dicas, nil tamen profeceris,
Hæc mulier Orci pallidam viset domum,
Properóque ad ipsam, vt ense delibem comã
Damnatus ille manibus deis erit,
Cuicunque ferrum hoc verticem libauerit.
Chor Quæ pro foribus taciturna quies?
Cur conticuit domus Admeti?
Sem. Nullus adest qui narret amicus?
An lugenda est filia Peliæ
Alcestis ceu mortua, an aura
Fruitur supera, quæ optima longè
Mihíque & cunctis fœmina visa est
In coniugem fuisse?
Sem. Audítne quisquam lacrymarum aut planctu[illegible]
[illegible]rum per ædes flentium aut suspiria?
Sem. Minimé. sed neque famul[illegible] quisquam
Ad vestibulum est. vtinam ô Pœan,
Auxiliator in hac clade adsis,
Atque salutifer aspiciare.
Sem. Nec tacita domus defuncta esset
Domina: nec clàm condita tumulo est.
Sem. Vnde? haud video quid te recreet.
Sem. Támne probam clam populo Admetus
Coniugem humasset funere vili?
Sem. Nec ante portas conspicor
Fontanæ aquæ lauacra, ceu

Ad mortuorum ianuas
Assueuit: aut propter fores
Abscissa coma est posita in luctu
Quæ funereo cæditur, vsquam,
Neque virgineum perstrepit agmen.
Sem. Atqui hæc fuerat præscripta dies,
Qua tenebrosum viseret orcum.
Sem. Quorsum hæc memoras?
Sem. Pupugisti cor, pupugisti animum.
Chor. Quum bonos Parcæ rapiant seueræ,
Qui bonus vixit teneris ab annis,
Iure eos luget. Neque enim Chimeræ
Arua si remis adeas, vel æstu
Semper arentes Garamantum arenas,
Templáque Ammonis miseræ, prece vmbras
Faucibus tetri rapies ab orci.
Mors gradu tristis properat citato:
Nec focos iuxta video deorum,
Quem sacerdotum precibus fatigem.
Si modò argutis oculis decorus
Filius phœbi hac frueretur aura,
Illa desertis Stygiis tenebris,
Noctis & portis Acheronte ab ipso
Viua rediret.
[illegible] defunctos [illegible]
Antequam ter trisido timendus
Iuppiter sæuos iaculatus ignes,
Perculit illum.
Nulla spes vitæ reliqua est. peregit
Cuncta rex: omnes pecudum cruentis
Stragibus diuûm cumulantur aræ,
Nec mali est vsquam fuga certa certi.
Sed vda lacrymis quæpiam egreditur domo
Ancilla. Miserum me, quid afferet noui?
Veniam meretur luctus hic si quicquam heris
Accidit acerbum. Scite at illud gestio,

Vita fruatur mulier, an iam pericrit.
Anc. Viuam vocare, & mortuam pariter licet.
Ch. Quî poterit idem viuus esse & mortuus?
Anc. Vix ducit ægra spiritum ad thalami fores.
Ch. Vxore quali qualis orbabere misei?
Anc. Iam coniuge orbus dominus istud sentiet.
Ch. Nec spes salutis vlla restat amplius.
Anc. Fati prementis instat illi terminus.
Ch. Ergo apparantur iusta ritè funeri?
Anc. Mundus paratus est, quê humo condat simul.
Ch. Præstante sese coniuge orbatum sciat,
Sub orbe cæli nulla qua melior fuit.
Anc. Quid ni? quis aliter sentiat? quî fœmina
Potuisset vlla facere glorioſius,
Suûmque amorem prodere manifestius
Erga maritum, quàm suam si impenderit
Vitam illi? at ista cuncta nouit ciuitas.
At obstupesces, si modò audies domi
Quæ perpetrarit. destinatum quum diem
Adesse sensit, lauta viuo flumine
Corpus decorum, cedrino ex armario
Effert amictum: compta deinde splendidè
Mundo superbo constitit domesticam
Vestam ante, tales ora soluens in preces:
O dea, ego tristes abeo ad vmbrarum domos?
Tibi aduoluta te precor nouissimùm
Orbos tuere liberos: huic coniugem
Charam, maritum filiæ da splendidum.
Nec, velut acerbo rapta mater funere est,
Præcipitet illos Parca præcox: sed sua in
Patria beati transigant, ac suauiter
Iucunda vitæ spatia. cunctas regiæ
Accessit aras, supplicauit, singulas
Festa corona myrteæ cinxit comæ:
Nec ora fletu madida, nec suspirio
Indice doloris, vis nec instantis mali

Vultus decori pristinum carpsit decus.
At coniugalem vt attigit thalamum, ac totũ
Lacrymis profusis soluit ora talibus:
O lecte, vbi mihi morte quem redimo mea
Soluit pudorem virginalem vir, vale.
Nec te quidem odi, me tametsi extinxeris.
Nam dum recuso coniugem & te prodere,
Morior. At alia te tenebit fœmina
Non castior, fortasse fortunatior.
Tum deuoluta exosculatur lectulum,
Totúmque inundat lacrymarum flumine.
Vbi tandem abundè fletuum profuderat,
Reuoluta strato ex ædibus se proripit,
Ac sæpe thalamo egressa rediit denuo
Suptáque lectum denuo incubuit. peplos
Flebant tenentes liberi: illa amplexibus
Modò hunc, modò illam cõprimebat, scilicet
Moritura iamiam: flebili tota domo,
Famuli tumultu fata lugebant heræ.
At illa dextram singulis dedit, neque
Quisquam inter omnes adeo cõtemptus fuit,
Quem affata non sit mutuis sermonibus.
Atque ista turbant nunc domũ Admeti mala,
Quæ morte poterat fugere: mortem dũ fugit,
Nũc sempiternum sibi dolorem accersit.

Ch. His ingemiscit igitur Admetus malis,
Quem fata nupta diuidunt ab optima.

Anc. Luget profectò, coniugem charam tenens
Vlnis, rogánsque morte ne se deserat,
Absurda poscens, quæque fieri non queant.
Tabescit illa, & languidum manus onus
Proiecta inertis debilem etsi spiritum
Vix fessa ducat, intueri solem auet,
Almæque lucis vltimo aspectu frui.
Visura nunquam splendidum posthac iubar.
Sed abeò téque adesse nuntiauero.

Nec ſemper omnes regibus ciues fauent,
Nec rebus adſunt turbidis alacriter:
At tu vetuſtus amicus es meis heris.
Ch. O dii, quæ fuga ſupereſt cladis?
Quæ fuga ſortis, quæ imminet aulæ?
Exítne aliquis? lacerémne comam?
Pullóne tegam corpus amictu?
Anc. Certa res eſt, certa amici:
Sed precemur numina.
Nam poteſtas eſt deorum,
[illegible] longè maxima.
O Apollo ſancte, [illegible]
Exitum huius inueni:
Affer, affer remedium nunc,
Vt prius commentus es.
Nunc ades ſalutifer:
Pelle fatum lugubre.
Ditis implacabilis
Pectus atrox mitiga.
Ch. Heu, heu. væ, væ.
O nate, nate Pheretis: Admete ô miſer,
Qua clade premeris orbus iſta coniuge?
Pateris ferro rem fugandam,
Et grauiori clade piandam
Quàm ſi laquei de trabe celſa
Tereti nectas vincula collo.
Non enim charam modò, at
Coniugem chariſſimam
Hac morientem luce videbis.
Sed iam maritus ipſe progreditur domo.
Pherea tellus ingemiſce, illacryma.
Optima longè fœmina, morbo
Contabeſcens Ditis ad vmbras
Sub caua rapitur viſcera terræ.
Nunquam thalamos plus lætitiæ,
Quàm triſtitiæ ferre fatebor:

Partim id veteris casibus æui
Doctus, partim hac clade recenti
Regis, quem longè optima coniux
Morte relinquens, non sinet vnquam
Dehinc vitalem viuere vitam.

Alc. O sol, lúxque diurna,
Cœlestésque rotatæ
Celeri turbine nubes.

Ad. Me, téque miseros aspicit duos, tua
Nil promerentes morte dignum cælitus.

Alc. O tellus, ô atria, thalami
O genialis parentis [illegible]olci.

Ad. Sustolle teipsam ô misera, neu me deseras,
Sed flecte precibus omnium dominos deos.

Alc. Biscalmam video, video ratem,
Atque vmbrarum portitor hærens
Conto accersit me properè Charon.
Age festina. quæ causa moræ?
Præstò cætera cuncta: moraris
Nos sola, gradu celeri propera.

Ad. Heu nauigationem acerbam istam mihi
Memoras: malorum quãta nos moles premit!

Alc. Eripit, eripit quidam tibi me
(Nónne vides) ad tecta silentum.
Fronte subnigra lumina Pluto intentat celer huc. Quid facis? aufer
Quod miserabilis iter insisto?

Ad. Acerbum amicis, ac mihi, atque liberis,
Queis luctus hic est proprius, miserrimum.

Alc. Iam dimittite, dimittite me.
Genua labant. iam deponite me.
Oculos densæ condunt tenebræ.
Pueri, ô pueri, iam vestra parens
Nulla est, nulla est iam vestra parens.
Valete nati, & lumen almum cernite.

Ad. Hei mihi: tristis vox ferit aures,

Ac morte mihi durior omni.
Ne me desere, ne per superos
Tolera. nam te lumine cassa
Viuere acerbum est. pendet ab vna
Te mea mors, ac vita. ita nobis
Tui amor penitus fixus inhæret.
Alc. Admete, cernis quo in loco res sint meæ.
Quæ sentit animus, ante mortem proloqui
Volo. salutem prætuli meæ tuam,
Per fata lucem quum liceret cernere:
Morior, fuisset quũ integrũ haud pro te mori:
Sed mihi maritum, quem luberet Thessalum
Eligere, sedes & beatas regio
Incolere luxu: abs te reuulsa viuere
Renui orphanis cum liberis. vitæ meæ
Minimè peperci ætate quanuis integra:
Quum qui genuerat te pater, quæque peperit
Te prodidisset mater, auras linquere,
Quibus decorum iam per ætatem foret,
Et glorioſa morte vitam filio
Suo redimere, quippe quibus vnicus eras.
Nec spem [illegible] procreandi liberos
[illegible] iuncto haberent. Viueremus tu, ac ego
Nec tu doleres solitudinem tori
Vidui, nec orbos educares liberos.
Sed hæc deorum quando quispiam gradu
Hoc ire voluit, sic eant. at gratiam
Hãc tu referto, quam peto, haud meritis paré:
(NAM par repẽdi pretiũ animæ nullũ potest)
Sed quam ipse iustam dixeris: quum diligas
Æquè atque ego istos (si sapis) pueros, meæ
Domini face isti sint domus: nec liberis
Induc nouercam fœminam minus probam
Parente, natis quæ manum impingat meis,
Tuisque, liuor tristis vbi stimulos ciet.
Vtique caue istud faxis oro. prioribus

Inimica natis quum nouerca inducitur,
Nihilo cruenta vipera est clementior.
In patre magnum filius præsidium habet,
Sermone cum quo mutuo possit frui.
Tu nata verò quomodo educaberis
In virginali ætate honestè? quam tuo
Nuptam parenti sors dabit, quæ nec nota
Te fœdet vlla, nec tuas ipso in aditu
Florentis æui nuptias contaminet?
Neque elocabit mater vnquam te, neque in
Dolore partus assidens solabitur,
Vbi nil parentis charitate est suauius.
Mori necesse est me: timoti nec malum
Cras istud, aut in tertium est mensis diem:
Iamiam inter vmbras luce crassas censeor.
Valete, læti viuite: at tu vir potes
Te gloriari coniugem nactum optimam,
Et vos, parentis optimæ vos filios.

Chor. Bono animo es: huius polliceri hoc nomine
Ego nil verebor, mente ni prorsus caret.

Adm. Ne metue, fient ista, fient. Nam mea
Viua vt fuisti [illegible] mortua
Dicêre coniux: nec tuo vlla me loco
Suum vocabit sponsa Thessalis virum:
Quanuis superbos generis enumeret auos,
Formæ decore quamlibet præfulgeat.
Sat liberorum est. liceat istis modò frui
Deos precamur, quando te frui haud licet.
Nec finietur luctus hic spatio annuo,
Sed omne in æuū, quod supererit dehīc mihi,
Lugebo. Matrem, quæ peperit, odio, ac patrē
Habebo, amici quando verbo, non re erant.
Tibi ego salutem debeo, quæ pro mea
Anima dedisti quod homini est charissimum.
Non iure, tali quando priuor coniuge,
Dura inter æuum transigam suspiria?

Nec cœtus aut æqualium conuiuia
Post me iuuabunt: nec coronæ floreæ,
Cantúsue dulces: nostra nec citharam manus
Deinc tanget vnquam, nec Libyssæ ad tibiæ
Sonos canoros animus oblectabitur.
Nam cuncta vitę tu abstuliſti gaudia.
Quin & periti dextera artificis, tua
In lecto imago ficta collocabitur.
Amplectar illam manibus, illi procidens
Tuum vocabo nomen, vlnis coniugem
Charam tenere, non tenens, fingam tamen.
Est ea voluptas frigida: ac moleſtiam
Animi leuabit. vmbra me per somnia
Vtinam reuersa oblectet. ETIAM lurida
Sub nocte amicos suaue vultus cernere,
Quocunque sese in tempore offerent. Mihi
Si lingua adesset Orphei, & blandum melos
Furuæ canendo pectus vt Proserpinæ,
Duri vel Orci flecterem, ac reducerem
Te, promptus irem: centiceps nec me canis,
Nec qui silentes portitor manes vehit,
Prohiberet, almum viua per me denuo
Donec videres lumen. Illic mortua
Nunc præstolare, donec illuc mortuum
Me fata mittent, ac domum ambobus para
Vnà vt habitemus. Nam sepulchro corpora
Vno imperabo collocari, & conseri
Lateri latus te propter extensum meum:
Nec ipsa mors me poterit abs te auellere,
Quæ sola nobis vsque fida inuenta sis.
Mœrore digna est. itaque luctus particeps
Chor. Huius ero, amicum velut amico conuenit.
Alc. Ipsi hæc loquentem filii audistis patrem.
Nullam deinceps spondet aliam coiugem
Sibi fore, nec me luce cassam negliget.
Adm. Nunc asseuero id, atque perfectum dabo.

AD ILLVSTRISS. PRINcipem D. Margaritam Henrici secundi Francorum regis sororem, in Alcestin Præfatio.

ALcestin Euripidis ante aliquot annos à me Latinam factam, ad te potissimùm, Margarita principum optima, censui mittendam. Nec id ea modò causa feci qua cæteri ferè solent, qui hoc tempore in scribendo aliquid aut possunt aut audẽt: ut nidelicet hac prærogatiua freti, aliorum iudicia minus reformident, & autoritate nominis tui aduersus ea lúmniantium malignitatem se tueantur: sed quòd huius fabulæ lectionem tibi multis de causis non ingratam fore sperabam. Est enim orationis genere leni & æquabili, & quod Euripidis proprium est, suaui: parricidij verò & ueneficij, & reliquorum quibus aliæ Tragœdiæ plenæ sunt scelerum, nulla prorsus hic mentio, nullum omnino uestigium. Contrà uerò coniugalis amoris, pietatis, humanitatis, & aliorum officiorum adeo plena sunt omnia, ut non uerear hanc fabulam comparare cũ libris eorum philosophorũ qui ex professo uirtutis præcepta tradiderunt: ac nescio an etiam præferre debeam. Actio enim rerum sermõne & spiritu penè animata, acrius quàm nuda præcepta sensus impellit, & facilius in animos influit & illabitur, atque ubi illapsa fuerit, firmius hæret, & quasi radices agit. Quòd si quis minus ad te pertinere credat ista, quòd eo iam in omni uirtutis genere sis progressa, ut non sis alienis exemplis confirmanda, sed alios tuo exemplo ad uirtutem prouoces, fallitur uehementer, meo quidem iudicio: præcepta enim officiorum, & rerum præclarè gestarum memoria, alijs fortassis

fortassis vtiliora erunt, qui ea legunt, vt velut ad normam suos mores eò dirigant: illis certè iucundissima esse debẽt, qui iam perfuncti discendi & imitandi laboribus, sub aliena persona suas laudes citra omnem adulationis suspicionem legunt. habet enim hæc fabula, quantum ego quidem iudicare possum, earum virtutũ quas in te non minus libenter agnoscimus, quàm in Alceste legentes miramur, adeo expressam imaginem, vt quoties eam in manus sumas, toties tuarum tibi virtutum in mentem veniat necesse est. eam quum laudari audies, de tuis moribus iudicium fieri existimes. Eam igitur ad te vt dixi mittimus. Quod si audacius à me factum videatur, eam tu potissimùm culpam præstes oportet: quæ me tua autoritate ad scribendum impulisti, & in arenam productum omni fauoris genere prosequeris, & foues. Vale.

ARGVMENTVM.

QVVM iã moriturus esset Admetus, Apollo à Parcis impetrauit ei vt quantum vixisset, alterum tantum viueret, si alium daret qui pro se moreretur. Parens autem vterque quum hanc pro filio moriendi cõditionem recusasset, Alcestis vxor se obtulit. Paucos verò post dies quum ea incidisset calamitas, Hercules aduenit. Is edoctus ab vno ministrorum quæ Alcestidi cõtigerant, ad sepulchrum profectus, Mortem abegit: mulierem veste obnubit: atque Admetum orat vt eam à se acceptam seruet. Affirmabat enim sibi, quũ lucta vicisset, eam præmio datam. Id quũ abnueret Admetus, detectam ei quam lugebat, ostendit vxorem.

Personæ.

APOLLO.
THANATOS.
CHORVS.
SEMICHORION.
ANCILLA Alcest:
ALCESTIS.
SERVVS.
ADMETVS
EVMELIVS.
HERCVLES.
PHERES

EVRIPIDIS POETÆ TRAgici Alceſtis, Georgio Buchanano Scoto, interprete.

APOLLO.

Tecta chara regis Admeti, in quib⁹
Conuictor eſſe pertuli ſeruis Deus.
Huc me coegit filium Æſculapium
Flammis triſulcis quum peremit Iuppiter.
Ego impotenti ſæuus ira fulminis
Fabros Cyclopas perimo: pœnas vt darem,
Mortalis eſſe me viri ſeruum pater
Voluit. Profectus igitur huc, pecus hoſpitis
Paui, domúmque præſtiti incolumẽ hactenus:
Vt ſancta ſancto quæ Pheretis filio
Pareret. Ipſum liberaui è faucibus
Leti imminentis, præoccupans Parcas dolo.
Nanque annuerunt mihi deæ vt ſubducerem
Admetum ab orco, & funus in præſentia
Aliud loco eius Manibus ſupponerem:
Quúmque ambiiſſet ille amicos, omnium
Expertus animos, patris ac matris ſenis
Quæ peperit ipſum, nemo præter coniugem
Inuentus vnam eſt, ſponte quæ prior mori
Voluit, nec alma luce poſtea frui.
Ea baiulatur nunc manus inter domi
Frigente ſenſim corpore: hæc etenim dies
Decreta fato eſt, morte vitam vt exuat.
Sed funus hîc ne polluat me, defero
Charos penates. Mortuorum ſed prope
Thanatos ſacerdos aduenit, ſub tartara
Rapturus illam. Tempori verò huc adeſt,
Hunc præſtitutum mortis obeuuans diem.

Th. Ha,ha,ha,ha.
Qui tibi tandem hîc Phœbe negotii?
Quid oberras hæc limina propter?
Iterum iniurius es diis stygiis,
Quorum aboles ac tollis honores.
Non sat erat tibi, morti Admeti
Iniecisse moram arte dolosa
Circumuentis Parcis? Iterum
Arcitenentem cur modò dextram
Armatus ades Peliæ obseruans:
Nam, quæ pro coniuge charo est
Pollicita mori?
Ap. Bono animo es, æquũ iúsque fásque poscim⁹.
Th. Quorsum igitur arcu, iusta si petis, est opus?
Ap. Hæc arma semper ferre consuetum est mihi.
Th. Opémque ferre præter æquum his ædibus?
Ap. Hominis amici mihi dolori est calamitas.
Th. Etiam hoc secundo fraudor abs te fuere?
Ap. Atqui nec illud abstuli inuito tibi.
Th. Cur viuit ergo, nec apud inferos agit?
Ap. Sponsæ redemptus morte, quam tu nũc petis.
Th. Et quam silentes mortuam ad manes agam.
Ap. Perge, aufer: etenim nescio an persuasero.
Th. Mi? munus ipsum cuius est occidere.
Ap. Minimè: morantes morte sed tollere senes.
Th. Quò verba spectent & voluntas tua, scio.
Ap. Alcestidi ergo non licet senio frui.
Th. Non licet. honores, Phœbe, nos etiam iuuãt.
Ap. Nil præter animam poteris vnam tollere.
Th. Ex morte iuuenum maius accedet decus.
Ap. At vetula moriens ditius tumulabitur.
Th. Lex hæc rem habentes, Phœbe,, solos respicit.
Ap. Quid? tu sophistes insciis nobis eras.
Th. Res ampla quibus est, redimerét mortis moras.
Ap. Non ergo visum est tibi facere gratũ hîc mihi?
Th. Minimé. ipse morum non meorũ ignarus es.

Ap. Quos nec deorum nec hominum vllus diligit.
Th. Haud cuncta poteris præter æquum cõsequi.
Ap. At reprimetur ista sæua immanitas
Quamlibet acerba: talis accedet domum
Pheretis hospes imperante Eurystheo,
Thrace ab niuosa quadriiugos abducere.
Acceptus hospes ille in Admeti domum
Vi tollet istam fœminam tibi, neque
Hanc à me inibis gratiam: & quum ingratiis
Eadem peregeris, odio esse haud desines.
Th. Vt multa dicas, nil tamen profeceris,
Hæc mulier Orci pallidam viset domum,
Properóque ad ipsam, vt ense delibem comã
Damnatus ille manibus deis erit,
Cuicunque ferrum hoc verticem libauerit.
Chor Quæ pro foribus taciturna quies?
Cur conticuit domus Admeti?
Sem. Nullus adest qui narret amicus?
An lugenda est filia Peliæ
Alcestis ceu mortua, an aura
Fruitur supera, quæ optima longè
Mihique & cunctis fœmina visa est
In coniugem fuisse?
Sem. Audítne quisquam lacrymarum aut planctu
[illegible] aut suspiria
Sem. Minimé. sed neque fámula quisquam
Ad vestibulum est. vtinam ô Pœan,
Auxiliator in hac clade adsis,
Atque salutifer aspiciare.
Sem. Nec tacita domus defuncta esset
Domina: nec clàm condita tumulo est.
Sem. Vnde? haud video quid te recreet.
Sem. Támne probam clam populo Admetus
Coniugem humasset funere vili?
Sem. Nec ante portas conspicor
Fontanæ aquæ lauacra, ceu

Vita fruatur mulier, an iam pericrit.
Anc. Viuam vocare, & mortuam pariter licet.
Ch. Quî poterit idem viuus esse & mortuus?
Anc. Vix ducit ægra spiritum ad thalami fores.
Ch. Vxore quali qualis orbabere misci?
Anc. Iam coniuge orbus dominus istud sentiet.
Ch. Nec spes salutis vlla restat amplius.
Anc. Fati prementis instat illi terminus.
Ch. Ergo apparantur iusta ritè funeri?
Anc. Mundus paratus est, quę humo condat suum.
Ch. Præstante sese coniuge orbatum sciat,
Sub orbe cæli nulla qua melior fuit.
Anc. Quid ni? quis aliter sentiat? quî fœmina
Potuisset vlla facere glorioſius,
Suûmque amorem prodere manifestius
Erga maritum, quàm suam si impenderit
Vitam illi? at ista cuncta nouit ciuitas.
At obstupesces, si modò audies domi
Quæ perpetrarit. destinatum quum diem
Adesse sensit, lauta viuo flumine
Corpus decorum, cedrino ex armario
Effert amictum: compta deinde splendidè
Mundo superbo constitit domesticam
Vestam ante, tales ora soluens in preces:
O dea, ego tristes abeo ad vmbrarum domos:
Tibi aduoluta te precor nouissimùm
Orbos tuere liberos: huic coniugem
Charam, maritum filiæ da splendidum.
Nec, velut acerbo rapta mater funere est,
Præcipitet illos Parca præcox: sed sua in
Patria beati transigant, ac suauiter
Iucunda vitæ spatia. cunctas regiæ
Accessit aras, supplicauit, singulas
Festa corona myrteæ cinxit comæ:
Nec ora fletu madida, nec suspirio
Indice doloris, vis nec instantis mali

Vultus decori pristinum carpsit decus.
At coniugalem vt attigit thalamum, ac totũ
Lacrymis profusis soluit ora talibus:
O lecte, vbi mihi morte quem redimo mea
Soluit pudorem virginalem vir, vale.
Nec te quidem odi, me tametsi extinxeris.
Nam dum recuso coniugem & te prodere,
Morior. At alia te tenebit fœmina
Non castior, fortasse fortunatior.
Tum deuoluta exosculatur lectum,
Totúmque inundat lacrymarum flumine.
Vbi tandem abundè fletuum profuderat,
Reuoluta strato ex ædibus se proripit,
Ac sæpe thalamo egressa rediit denuo
Supráque lectum denuo incubuit. peplos
Flebant tenentes liberi: illa amplexibus
Modò hunc, modò illam cõprimebat, scilicet
Moritura iamiam: flebili tota domo,
Famuli tumultu fata lugebant heræ.
At illa dextram singulis dedit, neque
Quisquam inter omnes adeo cõtemptus fuit,
Quem affata non sit mutuis sermonibus.
Atque ista turbant nunc domũ Admeti mala,
Quæ morte poterat fugere: mortem dũ fugit,
Nũc sempiternum sibi dolorem accersit.
Ch. His ingemiscit igitur Admetus malis,
Quem fata nupta diuidunt ab optima.
Anc. Luget profectò, coniugem charam tenens
Vlnis, rogánsque morte ne se deserat,
Absurda poscens, quæque fieri non queant.
Tabescit illa, & languidum manus onus
Proiecta inertis debilem etsi spiritum
Vix fessa ducat, intueri solem auet,
Almæque lucis vltimo aspectu frui.
Visura nunquam splendidum posthac iubar.
Sed abeo téque adesse nuntiauero.

Nec semper omnes regibus ciues fauent,
Nec rebus adsunt turbidis alacriter:
At tu vetustus amicus es meis heris.
Ch. O dii, quæ fuga supereſt cladis?
Quæ fuga sortis, quæ imminet aulæ?
Exítne aliquis? lacerémne comam?
Pullóne tegam corpus amictu?
Anc. Certa res est, certa amici:
Sed precemur numina.
Nam potestas est deorum,
[illegible] longè maxima.
O Apollo sancte, cla[illegible]
Exitum huius inueni:
Affer, affer remedium nunc,
Vt prius commentus es.
Nunc ades salutifer:
Pelle fatum lugubre.
Ditis implacabilis
Pectus atrox mitiga.
Ch. Heu, heu. væ, væ.
O nate, nate Pheretis: Admete ô miser,
Qua clade premeris orbus ista coniuge?
Pateris ferro rem fugandam,
Et grauiori clade piandam
Quàm si laquei de trabe celsa
Tereti nectas vincula collo.
Non enim charam modò, at
Coniugem chariſſimam
Hac morientem luce videbis.
Sed iam maritus ipse progreditur domo.
Pherea tellus ingemisce, illacryma.
Optima longè fœmina, morbo
Contabescens Ditis ad vmbras
Sub caua rapitur viscera terræ.
Nunquam thalamos plus lætitiæ,
Quàm tristitiæ ferre fatebor:

Partim id veteris casibus æui
Doctus, partim hac clade recenti
Regis, quem longè optima coniux
Morte relinquens, non sinet vnquam
Dehinc vitalem viuere vitam.

Alc. O sol, lúxque diurna,
Cœlestésque rotatæ
Celeri turbine nubes.

Ad. Me, téque miseros aspicit duos, tua
Nil promerentes morte dignum cælitus.

Alc. O tellus, ô atria, thalami
O genialis [illegible] lolci.

Ad. Sustolle teipsam ô misera, neu me deseras,
sed flecte precibus omnium dominos deos.

Alc. Biscalmam video, video ratem,
Atque vmbrarum portitor hærens
Conto accersit me properè Charon.
Age festina. quæ causa moræ?
Præstò cætera cuncta: moraris
Nos sola, gradu celeri propera.

Ad. Heu nauigationem acerbam istam mihi
Memoras: malorum quãta nos moles premit!

Alc. Eripit, eripit quidam tibi me
(Nonne vides) ad tecta silentum.
Fronte subnigra lumina Pluto in-
tentat celer huc. Quid facis? aufer
Quod miserabilis iter insisto?

Ad. Acerbum amicis, ac mihi, atque liberis,
Queis luctus hic est proprius, miserrimum.

Alc. Iam dimittite, dimittite me.
Genua labant. iam deponite me.
Oculos densæ condunt tenebræ.
Pueri, ô pueri, iam vestra parens
Nulla est, nulla est iam vestra parens.
Valete nati, & lumen almum cernite.

Ad. Hei mihi: tristis vox ferit aures,

Ac morte mihi durior omni.
Ne me desere, ne per superos
Tolera. nam te lumine cassa
Viuere acerbum est. pendet ab vna
Te mea mors, ac vita. ita nobis
Tui amor penitus fixus inhæret.
Alc. Admete, cernis quo in loco res sint meæ.
Quæ sentit animus, ante mortem proloqui
Volo. salutem prætuli meæ tuam,
Per fata lucem quum liceret cernere:
Morior, fuisset quũ integrũ haud pro te mori:
Sed mihi maritum, quem luberet Thessalum
Eligere, sedes & beatas regio
Incolere luxu: abs te reuulsa viuere
Renui orphanis cum liberis. vitæ meæ
Minimè peperci ætate quanuis integra:
Quum qui genuerat te pater, quæque peperit
Te prodidisset mater, auras linquere,
Quibus decorum iam per ætatem foret,
Et glorioſa morte vitam filio
Suo redimere, quippe quibus vnicus eras,
Nec spem [illegible] procreandi liberos
[illegible] iuncto haberent. Viueremus tu, ac ego
Nec tu doleres solitudinem tori
Vidui, nec orbos educares liberos.
Sed hæc deorum quando quispiam gradu
Hoc ire voluit, sic eant. at gratiam
Hãc tu referto, quam peto, haud meritis parẽ:
(NAM par repẽdi pretiũ animæ nullũ potest)
Sed quam ipse iustam dixeris: quum diligas
Æquè atque ego istos (si sapis) pueros, meæ
Domini face isti sint domus: nec liberis
Induc nouercam fœminam minus probam
Parente, natis quæ manum impingat meis,
Tuisque, liuor tristis vbi stimulos ciet.
Vtique caue istud faxis oro. prioribus

Inimica natis quum nouerca inducitur,
Nihilo cruenta vipera est clementior.
In patre magnum filius præsidium habet,
Sermone cum quo mutuo possit frui.
Tu nata verò quomodo educaberis
In virginali ætate honestè? quam tuo
Nuptam parenti sors dabit, quæ nec nota
Te fœdet vlla, nec tuas ipso in aditu
Florentis æui nuptias contaminet?
Neque elocabit mater vnquam te, neque in
Dolore partus assidens solabitur,
Vbi nil parentis charitate est suauius.
Mori necesse est me: timori nec malum
Cras istud, aut in tertium est mensis diem:
Iamiam inter vmbras luce crassas censeor.
Valete, læti viuite: at tu vir potes
Te gloriari coniugem nactum optimam,
Et vos, parentis optimæ vos filios.

Chor. Bono animo es: huius polliceri hoc nomine
Ego nil verebor, mente ni prorsus caret.

Adm. Ne metue, fient ista, fient. Nam mea
Viua vt fuisti ista, [illegible] mortua
Dicere coniux: nec tuo vlla me [illegible]
Suum vocabit sponsa Thessalis virum:
Quanuis superbos generis enumeret auos,
Formæ decore quamlibet præfulgeat.
Sat liberorum est. liceat istis modò frui
Deos precamur, quando te frui haud licet.
Nec finietur luctus hic spatio annuo,
Sed omne in æuū, quod supererit dehīc mihi,
Lugebo. Matrem, quæ peperit, odio, ac patrē
Habebo, amici quando verbo, non re erant.
Tibi ego salutem debeo, quæ pro mea
Anima dedisti quod homini est charissimum.
Non iure, tali quando priuor coniuge,
Dura inter æuum transigam suspiria?

Nec cœtus aut æqualium conuiuia
Post me iuuabunt: nec coronæ floreæ,
Cantúsue dulces: nostra, nec citharam manus
Deinc tanget vnquam, nec Libyssæ ad tibiæ
Sonos canoros animus oblectabitur.
Nam cuncta vitę tu abstuliſti gaudia.
Quin & periti dextera artificis, tua
In lecto imago ficta collocabitur.
Amplectar illam manibus, illi procidens
Tuum vocabo nomen, vlnis coniugem
Charam tenere, non tenens, fingam tamen.
Est ea voluptas frigida: ac moleſtiam
Animi leuabit. vmbra me per ſomnia
Vtinam reuerſa oblectet. ETIAM lurida
Sub nocte amicos ſuaue vultus cernere,
Quocunque ſeſe in tempore offerent. Mihi
Si lingua adeſſet Orphei, & blandum melos
Furuæ canendo pectus vt Proſerpinæ,
Duri vel Orci flecterem, ac reducerem
Te, promptus irem: centiceps nec me canis,
Nec qui ſilentes portitor manes vehit,
Prohiberet, almum viua per me denuo
Donec videres lumen. Illic mortua
Nunc præſtolare, donec illuc mortuum
Me fata mittent, ac domum ambobus para
Vnà vt habitemus. Nam ſepulchro corpora
Vno imperabo collocari, & conſeri
Lateri latus te propter extenſum meum:
Nec ipſa mors me poterit abs te auellere,
Quæ ſola nobis vſque fida inuenta ſis.
Mœrore digna eſt. itaque luctus particeps

Chor. Huius ero, amicum velut amico conuenit.

Alc. Ipſi hæc loquentem filii audiſtis patrem.
Nullam deinceps ſpondet aliam coiugem
Sibi fore, nec me luce cariam negliget.

Adm. Nunc aſſeuero id, atque perfectum dabo.

Alc. Cape pignus horum de mea pueros manu.
Ad. Accipio charum pignus è chara manu.
Alc. His tu puellis mater esto meo loco.
Ad. Te morte rapta cogit id necessitas.
Alc. Intereo, nati, par fuit quum viuere.
Ad. Quænam futura est vita mihi superstiti?
Alc. Te mitigabit te impotis longinquitas.
Qui periit autem, in posterum iam fit nihil.
Ad. Duc, duc me ad orcum per deos tecum simul.
Alc. In morte nostra sat supérque cladis est.
Ad. Sors sæua, quali viduor abs te coniuge?
Alc. At at tenebræ iamiam oboriuntur oculis.
Ad. Perii profectò, si modò abs te deseror.
Alc. Nil me putaris iam, velut nusquam forem.
Ad. Attolle vultus, liberos neu deseras.
Alc. Non spontè certè, sed valete, liberi.
Ad. Oculós ad illos tolle, tolle & aspice.
Alc. Sũ nulla posthac. *Ad.* Quid agis? ita me deseris?
Alc. Valeto. *Ad.* Miseris heu pereo miser modis.
Ch Periit, nec vsquam est vxor Admeti amplius.
Eum. Hei mihi misero, periit mater.
O pater, adiit manes: neque iam
Dulci fruitur lumine solis.
Me deseruit, me orbum infelix:
Languidulos cerne oculos, rigidas.
Cerne manus. ô genitrix audi,
Audi genitrix, ego te appello:
Tua procliuis ad oscula pullus.
Ad. Nil audientem, nil videntem affare ego,
Vósque ambo sæua clade per-ii si sumus.
Eum. Puer, ô genitor, matre orbatus,
Solus deseror. ô me miser.
Pressum ærumnis, téque sororem,
Quam premit eadem sors. ô genitor.
Infrugiferos, infru giferos
Thalamos nactus es: haud tetigisti.

Hac cum coniuge clauſtra ſenectæ.
Prius erepta eſt: te percunte
Genitrix, pariter domus euerſa eſt.
Chor. Admete, clades has neceſſe eſt perpeti:
Nec primùs es, nec vltimus mortalium
Vxore viduatu proba. Atque id cogita
Nos vniuerſos eſſe morti obnoxios.
Ad. Scio. nec iſta me repentè perculit
Ærumna: pridem præſcius malo premor.
Sed efferendæ funus huic parabitur.
Adeſte, & alternante planctu lugubri
Date iuſta. Diti dicite implacabili
Pæana. Sceptris Theſſalûm quiſquis meis
Paret, mulieris huius ergò publicè
Lugere iubeo raſili tonſos coma,
Pullóque amictu. Quadriiugóſque iungite
Currus: ſuperbam ſonipedum è collo iubam
Tondete ferro: tibiæ nuſquam ſonus
Strepat per vrbem, vel ſuauiloquæ lyræ,
Bis luna ſenos donec orbes impleat.
Nam neque cadauer hoc ſepeliam charius
Vllum, nec in me paribus officiis, neque
Honoribus eam proſequi dignis queam,
Quæ me redemit ſola morte vicaria.
Chor. O Peliæ mihi nata, vale,
Quæ orci habitas fine ſole domos.
At ſciat arbiter hoc Stygius
Nigricomans deus, atque ſenex
Portitor exanimem populum
Qui vehit, & ſubigit reſidens
Puppe ratem celetem, mulier
Optima longè Acherontis aquas,
Optima fœmina traſuehitur
Rate biſcalma.
Pieridum tu carmen alumnis

Decantabere diu: montigena
Te testudine septem neruis
Resonante canent, ac sine cithara
Memores repetent carmine laudes,
Quũ redeuntis circulus anni
Mensem Spartæ Carneium iterat,
Lunáque pernox vere benigno
Pleno pernitet orbe decora.
Inque beatis diuitis agri
Decantabere semper Athenis.
Tales mors tua sufficit hymnos
Vatibus. ô reuocare liceret
Si te superas rursus ad auras
E tenebrosis sedibus Orci,
E Cocyti fluctibus, alno
E fluminea, quæ vehit vmbras.
Tu fœminei gloria sexus
Sola reperta es, coniugis Orco
Quæ mutata anima animam eriperes,
Terra leuis tibi sit super ossa.
Quòd si tedis vir tuus aliis
Captus erit, mihi iure inuisus,
Natísque tuis deget, quando
Nec tua mater, nec qui genuit
Te senior pater, abdere vellent
Pro nato sua corpora terra,
Nec seruarent etsi seris
Candida sparsi tempora canis.
At tu primo in flore iuuentæ
Iuuenis redimens fata mariti
Deseris auras. ô mihi talem
Vitæ sociam dii date sponsam,
Quæ iucundum transigat æuum
Mecum: at vitæ cognita paucis
Est mortalibus ista voluptas.

Her. Ciues Pheræam qui colitis vrbem, an domi est

Admetus? *Chor.* Intus est Pheretis filius.
At quæ te ad vrbem causa adegit Thessalam,
Hospes Pheræas aduenires vt domos?
Her. Obeo laborem Eurystheo Tirynthio.
Ch. Quò tendis? error quis vagabundum trahit?
Her. Diomedis vt Thracis quadrigas huc agam.
Ch. Quî poteris? hospes an vetus forsan tibi est?
Her. Minimé. nec vnquam Bistonum attigi solum.
Ch. Potiare vt illis, ferro oportet cernere.
Her. Sed nec labores refugere, vt velim, licet.
Ch. Cæso redibis rege, vel cæsus cades.
Her. Discrimen istud non adeo nunc primitus.
Ch. Quid promouebis, dominum vbi deuiceris?
Her. Captos tyranno tradam equos Tirynthio.
Ch. Frænare captos alter haud facilis labor.
Her. An fortè flammas euomunt è naribus?
Ch. Auidis virorum membra laniant dentibus.
Her. Memoras ferarum, non equorum pabulum.
Ch. Præsepe tabo sordidum intuebere.
Her. Quo patre iactat educator se editum?
Ch. Marte, & opulentam frænat armis Thraciam.
Her. Fatis laborem debitum agnosco meis,
Per aspra semper quæ petunt sublimia.
Cum Marte natis optimum fuerat manum
Non contulisse, primitus Lycaone,
Ac deinde Cygno: tertius porrò hic mihi
Cum domino, equísque exhauriédus est labor.
Mortalium sed nullus intuebitur
Hostis pauentem dexteram Alcmena satum.
Ch. Atqui ipse dominus huius Admetus soli
Huc tecta linquens dirigit rectà gradum.
Ad. Ioue nate salue, Perséi clarum genus.
Her. Admete salue, rector inclyte Thessalûm.
Ad. Vtinam. Beneuolum te mihi certò scio.
Her. Tonsura verò quid sibi hæc vult lugubris?
Ad. Hodie cadauer efferendum est hinc mihi.

Her. Auertat istud fors malum à natis tuis.
Ad. Viuunt creati liberi de me domi.
Her. Maturus annis fortè genitor occidit?
Ad. Et ille superat atque mater, Hercules.
Her. An igitur vxor periit Alcestis tua?
Ad. De vxore nobis sermo sese offert duplex.
Her. Fatóne functam dicis, an superat adhuc?
Ad. Obiit, nec obiit: méque luctu conficit.
Her. Perplexus es iuxta atque pridem intelligo.
Ad. Fatíne nosti quæ premat necessitas?
Her. Pollicita mortem nempe pro te occumbere.
Ad. Si pepigit istud, quomodo hanc viuam putas?
Her. Lugendo clades interim ne præueni.
Ad. Cui mors propinqua est, iam periisse illũ puto
Qui periit autem, iure nusquam dixeris.
Her. Non esse & esse discrepant longissimé.
Ad. Sic tibi videtur, Hercules: aliter mihi.
Her. Quid ergo luges? quísnam amicorum occidit?
Ad. Mulier. Mulieris mentio facta est modò.
Her. Aliena, vobis an propinqua sanguine?
Ad. Aliena quanuis iuncta necessitudine.
Her. Quinam ergo vitam finiit domi tuæ?
Ad. Hic educata est orba patre mortuo.
Her. Vtinam dolore comperissem liberum.
Ad. Expecto quorsum tendat ista oratio.
Her. Alterius hospes hospitis domum petam.
Ad. Bona verba. facinus istud auertat Deus.
Her. Ingrata lugenti hospitis præsentia est.
Ad. Ingredere tu ædes, mortui sint mortui.
Her. Hospiti epulari turpe funesta in domo.
Ad. Ducam sursum te hospitum ad cœnácula.
Her. Sine abire, iubis gratiam à me maximam.
Ad. Minimé. nec alios hospes accedes lares.
Heus tu, præito, reclude posticum ædium.
Iube atrienses apparare largiter
Hospitibus epulas. Limen autem claudito

Quod medium ab aula separat cœnacula.
Non est decorum luctus vt conuiuio
Obstrepat,& aures hospitum offendat dolor.
Ch. Admete quid agis?tanta quum te calamitas
Premat,recipies hospites?ita desipis?
Ad. Atqui domo illum si expulissem, & mœnibus
Hospitii egentem,an id probares?neutiquam.
Minus hospitalis, non minus miser forem.
Ad calamitates illud etiam accederet,
Vt hospitum hostis mea vocaretur domus.
Nunc hospitem illum habebo rursus optimũ,
Siticulosum quando ad Argos venero.
Ch. Cur ergo amicus siquidem is est, vti tu ais,
Hunc esse passus nescium ærumnæ es tuæ?
Ad. Si quidem ille nostrum scisset infortunium,
Nunquam subisset atrium domus meæ.
At facere stultè me ille forsan rebitur,
Nec hæc probabit. Mea sed aula haud hospites
Huc ventitantes scit repellere turpiter.
Ch. O viri hospita liberi
Semper atria,quæ incola
Se dignatus Apollo
Est Phœbus citharæ sciens.
Nec deum puduit domus
Huius lanigeros greges
Curuis pascere vallibus:
Et per prata virentia
Pastoralia carmina
Blanda pangere fistula.
Quin & versicolorum
Lyncum turba suauibus
Emollita modis,gregi
Iunxit intrepido latus.
Armentúmque leonum
Venit fuluicomantum
Ex Othry nemoroso.

Ad tuæ ſtrepitum lyræ
Applauſit maculoſus
Pictorum hinnuleûm chorus
Pernici pede deſerens
Abietum alticomum nemus,
Docto carmine concitus.
Ergo tu pecoris domum
Fertiliſſimam colis
Limpidum propter lacum
Bœbiæ, arui & iugera:
Et patentibus ſoli
Terminos conuallibus,
Quà iubar ſolis cadens
Nube curtus induit,
Ad Moloſſos pertinet:
Et freta Ægei maris,
Æſtuoſa & littora
Celſum ad vſque Pelion.
Nunc apertis ædibus
Humidis fletu genis
Hoſpitem recipit tamen,
Coniugis modo mortuæ
Flens adhuc funus recens.
Nam pudori pronus eſt
Candor ingenuus, neque
Vlla pars ſapientiæ
Abeſt, quum probitas adeſt.
Et mentem bona ſpes habet,
Succeſſura homini pio
Omnia rectè.

Ad. Ciues Pheræi qui hîc adeſtis ſeduló,
Famuli cadauer ritè compoſitum ad rogum
Sublimè portant, ac ſepulchri ad aggerem.
At vos ſupremam prodeuntem iam viam
De more defunctam vltimùm alloquamini.

Ch. Atqui ſenili cerno genitorem gradu

Huc se ferentem, coniugi & mundum tuæ
Portare famulos manibus donatia.
Pher. Mœroris adsum particeps, fili, tui.
Proba & pudica sanè es orbus coniuge:
Sed ista quanuis dura perpessu, tamen
Feras necesse est. Accipe hũc mundũ, ac humi
Vnà reconde. Honore corpus prosequi
Illius æquum est, quæ prior pro te mori
Sustinuit: ac ne sobolis orbus degerem
Tristem senectam, & luctuosam te sine,
Perfecit vna: cæteríque fœminis
Tam illustre facinus ausa peperit gloriam.
O sospitatrix filii, quæ mortuos
Nos suscitasti, iam vale. Ac manes tibi
Placidos bonósque sub Acherõte imo precor.
TALES hominibus vtiles tedas reor,
Aut vincla nunquam nosse coniugalia.
Ad. Nec has rogatu nostro ad inferias ades.
Præsés amicûm nec mihi in numero es, neque
Hunc induetur illa mundum, aut indiga
Rerum tuarum sepelietur. Tum æquius
Dolere fuerat, fata quum me tollerent.
An qui stetisti tum eminus, quíque alteram
Senex puellam siueris pro te mori,
Illacrymabis funeri huic? Nec mihi pater
Verus fuisti, nec peperit ea me parens,
Falsò parentem quæ meam se dictitat:
Sed stirpe seruili editum in lucem tua
Me admouit vxor vberi furtim suo:
Et tu quis esses prodidit periculum.
Nam nec patrem te existimo verè meum:
Aut si es, pauore nemo te mortalium
Superat inerti, qui supremo in limine
Vitæ senecta languidus, nec volueris,
Nec fueris ausus emoti pro filio.
Sed has mulierem hanc exteram in se sumere

Partes tulistis, quam genitricem & patrem
Solam vocare iure possum æquissimo.
At te facinoris tam decori gloria
Ingens manebat, filium superstitem
Si morte genitor liberauisses tua,
Quum posset æui reliquus haud longus tibi
Restare cursus. Quod supererat temporis,
Mecum ista viuo viua consenescere,
Te dis nec orbus macerarer luctibus.
At tu beata vita quicquid parturit
Fructus, tulisti: sceptra qui florentibus
Tenueris annis, méque regni filium
Hæredem habueris orbus vt ne liberis
Vacuam alienis dissipandam linqueres
Domum. Nec illud dixeris, te à filio
Prodi, senectam quòd tuam contempserit,
Vt qui reueritus semper vnus maximè
Te sim. Rependis gratiam hanc contrà mihi
Cum matre genitor. sed nec alios liberos
Dehinc gignere potes, qui senectutem tuam
Alãt & ornẽt. Neque enĩ humabere hac manu.
Etenim quod ad te pertinet, sum mortuus
Iamdudum. At alium si salutis vindicem
Sum nactus, atque intueor eius munere
Hoc lumen almum, me illius natum puto,
Vicésque senij huic educandi debeo.
VANE profectò postulant senes mori,
Et de senecta longiore expostulant.
Si mors propinquet, nemo iam cupit mori,
Nemo senectam queritur amplius grauem.
Ch. Absque his malorum iam sat est. Quiescite:
Nec tu paternam nate bilem exaspera.
Pher. O nate, probris quem lacessis arrogans?
Venaliũmne de grege, aut Lydũ, aut Phryga,
An Thessalum me Thessalo nescis patre,
Planéque stirpe generis ingenui satum?

Nimis insolenter contumelioſus es:
Et verba iuuenis in patrem petulantia
Iactas. At istic haud procax gratis eris.
Dominus familiæ te edidi vt fores meæ:
Deinde educaui non prior vt extinguerer.
Nec hanc habemus traditam à maioribus
Legem, vt parentes morte seruent liberos.
Nec Graius hic mos. Siue felix seu miser,
Tibi natus vni es. Cuncta ego officia patris
Tibi cumulatè præstiti: latè imperas
Populis, & agri fusa latè iugera,
Quæ mihi reliquit genitor, hæc linquam tibi.
Qua fraudo te in re? quámue facio iniuriam?
Ne morere pro alio, nec ego pro te. Cernere
Tibi dulce lucem est, dulce patri itidem puta.
Nam reputo mecum, quot manendum secula
Sit inter vmbras, quàm breuibus angustiis
Sint clausa vitæ spatia, sed blandula tamen.
At tu recusas impudenter emori,
Vltráque fato destinatum terminum
Vxore cæsa viuis: ac redarguis
Dein me pauoris, fœmina, timidissime,
Inferior ipse, quæ tuam iuuenis vicem
Formose functa periit. Atenim callidè
Rationem inisti, qua perenne viueres,
Si vt quamque nactus coniugem sis, ne mori
Pro te recuset, persuadere potueris.
Deinde ipse timidus impetis conuitiis,
Qui facere renuant hæc, amicos. heus tace,
Tecúmque reputa, vita ceu dulcis tibi est,
Dulcem esse cunctis. si ingeras opprobria
Haud falsa rursum & plura forsan audies.

Ch. Iam fit malorum superiorum accessio
Senex, omitte exasperare filium.

Ad. Ceu me loquuto cuncta prome. veritas
Si audita te vrit, abstinendum iniuria.

Phe. Pro te fuisset grauius erratum mori.
Ad. Nil ergo refert iuuenis obeat an senex?
Phe. Vna anima oportet, non duabus viuere.
Ad. Quin viue, secla donec anteeas Iouis.
Phe. Sic immerentes hem parentes deuoues?
Ad. Te nempe vitæ longioris amor tenet.
Phe. At pro te opinor hoc cadauer efferunt.
Ad. Quod te pauoris arguit timidissime.
Phe. Pro me perisse hanc haud opinor dixeris.
Ad. Vtinam aliquando tibi opus opera sit mea.
Phe. Sæpe esto coniux, efferas vt plurimas.
Ad. Tibi hoc pudendum, qui recusaris mori.
Phe. Suaue lumen hoc, suaue cernere.
Ad. Ignauus animi es, nec viri quicquam tenes.
Phe. Non funus effers lætus ac tidens senis.
Ad. Vtcunque moriere, moriere inglorius.
Phe. Audire malè post fata non curæ est mihi.
Ad. Ohe, senectus plena vt impudentiæ est!
Phe. Haud impudens hæc, illa sed stolida fuit.
Ad. Abi, atque humare me cadauer hoc sine.
Phe. Abeo. ipse humabis, quippe qui ipse occideris.
At tu propinquis coniugis pœnas dabis.
Posthac Acastum nemo censebit virum,
Germanę inultam si ferat tacitus necem.
Ad. Nunc apage tũque & vxor orbi liberũm
Viuente nato: digni vt estis, carpite
Miseram senectam, nec eadem mecum domus
Vos capiet. Ite. Patrium præconio,
Siquidem liceret tibi larem interdicere,
Nihil moratus hunc tibi interdicerem.
At nos (ferendum quippe præsens est malum)
Eamus ignem mortuæ supponere.
Ch. Fortibus ô miserabilis ausis,
O generosa, atque optima longè
Salue. Sit tibi bonus ac placidus
Atlantiades, Plutóque facilis

Te ſuſcipiat.ſiqua bonorum
Illinc præmia,cum Perſephone
Vitæ fructus carpe bene actæ.
Ser. Pleroſque memini plurimarum gentium,
Domóque & epulis hîc ab Admeto hoſpites
Olim receptos:hoſpite iſto at nequior
Se in hos penates nullus vnquam contulit.
Funeſta primùm tecta non exhorruit
Intrare,luctu ſqualidum cernens herum.
Dein fortuitos apparatus inſolens
Non conſulebat,clade perſpecta, boni.
Siquid deeſſet,immodeſtè clamitans,
Id flagitabat.Cymbium & manibus capax
Tollens,meraco ingurgitat ſe ſanguine
Nigræ parentis,vſque dum affuſa vndique
Calfecit artus flamma vino exæſtuans.
Deinde impeditus fronde myrtea comam,
Agreſtè latrat:diſſonos licet ſonos
Audire pariter.Ille ſecurus animi
In clade noſtra cantitat: nos autem heram
Lacrymis profuſis flemus optimã. haud tamẽ
Spectante,fletu commadeſcimus,hoſpite,
Quando ita voluntas fert herilis.interim
Ego peregrinum hunc excipio dapibus domi,
Furem ſceleſtum & impium ſicarium.
Effertur illa,funeri nec prodii
Comes,manúve nuda planxi pectora,
Dominámve luxu,quæ parens fuerat mihi
Seruíſque cunctis,quæ mariti mollibus
Frangebat iras vocibus,mille & malis
Nos eruebat.Itaque iure hunc odero,
Qui tecta ſubiit in calamitate,hoſpitem.
Her. Heus tu, ſeuerùm cur tuere ac tetricúm?
HAVD eſſe toruo erga hoſpites vultu decet
Seruum,ſed animo excipere læto comiter.
Tu domino amicum ſuſcipis ſupercili

Seueritate triſti & ore turbido,
Intentus animum cladis in luctum exteræ.
Accede propius huc, vti ſapientior
Reddare. Noſti lege qua mortalia
Natura genuit? haud opinor: vnde enim
Id noſſe poſſes ſeruus? at de me accipe:
MORI neceſſe eſt omnibus mortalibus:
Nec vllus hominum nouit an ſit craſtinæ
Viſurus ortum lucis. etenim lubrica
Fortuna cæcas temperat rerum vices,
Quæ nec doceri aut arte comprendi queant.
Hæc doctus ex me, geniũ age exhilara. Bibe.
Quodcunque vitæ ſinguli afferunt dies,
Id crede noſtrum: ſortis eſſe cætera.
Præterea hominibus cælitum ſuauiſſimam
Longè Dionen cole: benigna etenim dea eſt.
Hæc alia omitte, & mihi monẽti obtempera:
Siquidem videntur vera quæ tibi conſulo.
Atque adeo opinor, exolutus his malis,
Comámque vinctus flore, nobiſcum bibes
Iſtius inanis liber ægritudinis.
Nec dubito quin ſi proluat ſemel ſcyphus
Inuerſus hic te, ex vultuoſo & tetrico
Effinget alium. Quando mortales ſumus,
Ex vſu opinor ſapere nos mortalia.
Nam tetricorum & triſtium ærumna potius
Quàm vita, vita me putanda eſt iudice.

Ser. Hæc ſcimus. Atquĩ familiæ præſens ſtatus
Nihil habet aptum riſui & conuiuiis.

Her. Mulieris obitum ne exterę ſupra modum
Defle: familiæ quando ſalui ſunt heri.

Ser. Salui? fugit te quanta clades nos premit?

Her. Niſi fortè dominus me fefellerit tuus.

Ser. Nimis ille nimis eſt hoſpitalis omnibus.

Her. Minimè: nec ad eum funus externum attinet.

Ser. Nimis hoc profectò familiare funus eſt.

Her. Fòrs me malorum quippiam celauerit.
Ser. Perge esse lætus: nos heri tangant mala.
Her. Hic sermo luctus exteræ haud exordium est.
Ser. Nec tibi epulanti mœstitudinem afferam.
Her. Iniuriam tuli haud ferendam ab hospite.
Ser. Alieno adisti hanc hospes aulam in tempore.
Nam luctuosa cuncta cernis, rasile
Caput & amictum lugubrem. *Her.* Nũ liberûm
Decessit aliquis, an grauis senio pater?
Ser. Extincta coniux, hospes, Admeti occidit.
Her. Quid ais? deinde me recepit hospitem?
Ser. Suis pudebat te repellere ab ædibus.
Her. O quali es orbus, ô miserrime, coniuge.
Ser. Quæ clade eadem pariter omnes perdidit.
Her. Quin sentiebam id vda cernens lumina,
Tristémque vultum rasilémque verticem.
Tamen exterum illi funus esse credidi:
Ac vi coactus hanc subiui ianuam:
Atque in statu isto turbidõ rerum bibi,
Et hospitalis hominis assedi in domo
Conuiua demens flore vinctus tempora:
Sed culpa, qui non indicaueris tua est,
Ærumna tanta quum familiæ incumberet.
Sed vbinam humatur? quà profectus reperiã?
Ser. Lariſſæ ad alta nobilis quà mœnia
Rectà itur, vrbis ante portam protinus
Tumulum videbis artifice factum manu.
Her. O anime, córque exercitum molestiis,
Ostende qualem Electryonis filia
Alcmena sobolem procrearit te Ioui.
Subtrahere fato fœminam extinctam est opus,
Snósque rursus ad penates ducere
Alcestin, Admeto vt rependam gratiam.
Ibo, & nigrantis squalido ferrugine
Stolæ tyranno manium insidias dabo.
Atque illum opinor deprehẽdam ad aggerem

Tumuli bibentem victimarum sanguinem.
Quòd si è latebris clanculum irruens eum
Prendam & lacertis strinxero circundatis,
Vtcunque latera verset, eripiet mihi
Hunc nemo, donec coniugem Admeti auferã.
Sin aucupantem hæc præda me fefellerit,
Nec ad cruoris adsit haustus, inferûm
Reges adibo & regna solis nescia,
Poscámque, necnon impetraturum reor
Alcestin, vt eam coniugi tradam in manum,
Qui me recepit hospitem nec reppulit,
Quanuis acerbo sauciatus vulnere,
Animo sed alto id me reueritus abdidit.
Quis Thessalûm est in hospites benignior,
Graiúmve? certè sordido non dixerit,
Generosus animi quum sit, beneficium datã
Ad. Heu mestum aditum, tristem aspectum
Vidui tecti. Quò feror? vbi sum?
Quid loquar, aut quid taceam?
Quî peream? ô me misero fato
Genitum! functos morte beatos
Duco. his gratulor. hos amo, cum illis
Degere dehinc libet. haud libet auras
Cernere superas. haud iuuat almæ
Dehinc vestigia figere terræ.
Obside tali despoliatum
Mors me sæuo pignerat Orco.
Chor. Subi, subi tenebras
Tecti, subi. tulisti
Digna lacrymis: tulisti
Calamitatem lugubrem.
Conditos nil lacrymæ
Coniugis manes iuuant.
Ad. Hoc, hoc verbo vulnera renouas.
QVAE magis homini est aspra calamitas
Quàm spoliari coniuge fida?

Vtinam tedæ thalamíque exors
Socia haud vlli tecta habitassem.
Lectos vacuos coniuge,& orbam
Sobolis vitam duco beatam.
Vnam in vitam impendere curas,
Est moderati sarcina luctus:
At languentia pignora morbo,&
Deformati funere thalami,
Intolerandi est cumulus luctus:.
Præsertim,quum coniugis orbam &
Sobolis liceat ducere vitam.

Chor. Sors,sors ineluctabilis
Premit,nec vllus lacrymis
Modus est.Acerba fers,tamen
Perfer.etenim nec coniuge
Tu primus orbus es.alios
Mortalium alia calamitas
Dolore sæuo conficit.

Ad. Longi ô luctus,ô amicorum
Desideria luce carentum.
Cur vetuisti me præcipitem
Triste sepulchri mittere in antrum,
Et cum coniuge fida pariter
Tumuli vnius mole recondi?
Accepisset geminas pro vna
Animas Pluto,tránsque fretassent
Duo fidissima pectora pariter
Stygias vndas.

Chor. Mihi vir quidam sanguine iunctus
Puerum amisit lacrymis dignum,
Solam generis spem,moderatè
Tamen æruminam hanc pertulit,etsi
Orbus sobolis vertice cano
Et præcipiti languidus æuo.

Ad. O mutati facies tecti.
Quinam ingrediar,quinam habitabo

Versis fatis? hei mihi quantum
Distat ab illa domus hæc, olim
Quam Peliacæ lumine tedæ,
Et festis vlulatam hymenæis
Ingrediebar dexteræ inhærens
Charæ coniugis, ac multisono
Conuiuarum strepitu à tergo,
Qui beatos dicerent
Méque & illam mortuam.
Quippe vtrosque nobiles,
Et vtrinque ex optimis
Editos maioribus
Coniugali vinculo
Copulatos. at modò.
Nuptialis carminis
Luctus occupat locum:
Próque candidis peplis
Pulla vestis ad toros
Me reducit cœlibes.

Chor. Mali inexperto tibi fortunæ
Dolor hic cursum rupit amicæ.
At seruasti vitam animámque:
Mortua coniux liquit amantem.
Quæ noua mentem turbat imago?
Multos coniuge mors orbauit,
Soluens socii taedera lecti.

Ad. Etsi aliter aliis visum, amici, coniugis
Feliciorem duco quàm sortem meam:
Erepta nanque plurimis molestiis,
Cum laude summa triste nihil dehinc sentiet.
At ego, perille quem fuerat æquum, meo
Fato superstes vitam agam illætabilem:
Quod adeo iam nunc sentio. Nam qui domum
Subire potero hanc? quê alloquar? cuius fruar
Sermone? mentê quo domi oblectê? gradum
Quò vertam? vbique solitudo in ædibus

Mœrore mentem conficit, quum coniugis
Vacuum cubile cerno, quum vacuam throni
Sedem relictam, & squalidum situ solum.
Circáque genua procidentes liberi
Deflent parentem lacrymantes: serui hera
Sese queiuntur destitutos optima.
Atque is domi rerum est status mihi. At foris
Me Thessalorum nuptiæ, me fœminis
Cœtus frequentes enecabunt, different
Dolore miserum vxoris æquales meæ:
Quas quo intuebor ore? Tum siquis malè
Animatus in me est, soluet ora talibus:
En quem cupido fœda vitæ detinet
Metúsque mortis, qui redemit coniugis
Se morte ab orco ignauus: ac vir postea
Sibi videtur. Tum parentes proprios
Infensus odit, ipse non ausus mori.
Hic rumor inter improbos mè differet.
Ecquam ergo vita mihi voluptatem feret,
Quem fama lacerat, & calamitas obruit?

Chor. EGO ignota profano
Per compendia vulgo
Musarum comes iui:
Et sermonibus aurem
Doctis applicui meam
Non raró. at remedii genus
Nondum vllum repperi, cui
Cedat dura necessitas.
Hanc contra medicamina
Docti nec dedit Orphei
Thressis in tabulis manus:
Nec cum Asclepiadis pater
Phœbus pharmaca proderet,
Vt mortalibus ægris
Morbo membra leuarent,
Hanc aduersus opem tulit.

Solas huius ad aras
Non est ire deæ, neque
Ad simulachra, nec vlla
Est placabilis hostia.
O diua, ô, violentior
Ad me ne solito veni.
Nam tu consiliis comes
Quicquid Iupp iter annuit,
Certum ducis ad exitum:
Tu dextra facili domas
Duri robora ferri.
Nec fastum tibi mentis
Infrænem cohibet pudor.
Et dextræ infragili suæ
Vinclo te implicuit dea.
Perfer. Nam neque fato
Functos æthereas trahes
Flendo iursus ad auras.
Mors etiam notha pignora
Diuûm falce metit sua.
Dum nobiscum erat omnibus
Chara, & mortua chara erit.
Tu lecti tibi comparem
Supra omnes generosam es
Sortitus. neque coniugis
Bustum vllus numeret tuæ
Inter funereas specus,
Aggere quæ tumuli premunt
Vita functa cadauera:
Diuinis sed honoribus
Æquet religio hospitum
Manes. Atque aliquis via
Flectens dixerit olim:
Hæc moriendo viri sui
Vitam sponte redemit:
Nunc auget numerum deûm.

Salue ô sancta.ope sospita
Nos præsens.Ita votis
Illam atque omnibus bonis
Longùm posteritas coler.
Sed visa fallunt me,nisi Alcmena satus
Admete ad ædes dirigit gressum tuas.
Her. Admete,amicos liberè eloqui decet,
Nec in recessu pectoris silentio
Abdere quod ægrè est.amici haberes me vt
loco,
Dignus videbar,clade quum in tua afforem:
At tu propinquo coniugis iam funere
Non indicato,me recepisti hospitem,
Ceu cura premeret te doloris exteri.
At ego coronis tempora euinctus, deis
Libaui apud te in lugubri lætus domo.
Irascor equidem,irascor hac iniuria
Affectus abs te,sed tuis iam luctibus
Acerbitatis nolo quicquam apponere.
Causámque cur huc sum reuersus,denuo
Narrabo.mulierem interim hanc serua mihi
Dum rego tæso Bistonum huc redux agam
Thraces quadriiugos.Sin quod absit,accidat,
(Nam me vt reducant sospitem precor deos)
Hanc dono,dicóque familiæ ancillam tuæ,
Quæ parta nobis est labore maximo.
Proposita nanque publico in certamine
Sudore digna deprehendi præmia,
Vnde hanc reporto victor. e certamine
Leuiore munus erant equi victoribus.
Maiora sed qui vicerant,vt cæstibus
Luctáve fortes,dona referebant boum
Armenta:post hæc vltimo fœmina loco.
Quúmque incidissem fortè,turpe sum ratus
Cum laude pariter præmium contemnere.
Sed(vt antè dixi)fœminam curæ tuæ

Commendo, quam nõ prædo per vim sustuli,
Sed comparatam maximis laboribus
Adduco. fòrs factum ipse pòst laudaueris.
Ad. Quòd clam te habuerim calamitatẽ coniugis,
Ne interpretere contumeliæ, Hercules,
Id ergò factum, aut quòd sinistrè sentiam
De te. Dolori sed dolorem adieceras,
Alterius ædes si subisses hospitis!
Nam flere clades sat mihi fuerat meas.
Sed hanc puellam, si pote, obsecro iube
Asseruet alius Thessalûm, quem non pari
Sors calamitate perculit. multi hospites
Tibi sunt Pheræi. Memoriam cladis meæ
Renouare omitte. non potero lacrymis domi
Oculis tueri hanc. vulneri vulnus nouum
Ne appone: satis est cladium, quod nunc pre
Qua parte poterit ædium seruarier (mit.
Castè puella? vestis adolescentulam,
Cultúsque loquitur: an virtûm in cõmercio?
Quî poterit inter assiduo iuuenes agens
Castam tueri se? nec in promptu, Hercules,
Regere iuuentam est: ac mihi cura est tui.
Functæne facto coniugis thalamo hanc alam
Et quî in cubili collocabo hanc illius?
Offensionem hîc metuo duplicem: & ciuium
Ne criminetur quispiam me, & optimè
De me merentis proditorem coniugis
Dicat puellæ alterius amplexus frui:
Sponsámque vereor mortuam, cuius mihi
Esse sacrosanctam memoriam meritò decet.
Me multa circunspicere par. O fœmina
Quæcunque tandem es, es profectò Alcestidi
Modo & statura corporis simillima.
Me miserum ab oculis per deos procul meis.
Apage mulierem hanc, néue perdas perditũ.
Nanque intueri coniugem videor meam
Quum intueor istam. pectus horror obsidet.

Fontes ab oculis lacrymarum profluunt:
Nunc calamitatis huius, heu miser, miser
Acerbitatem luctuosam sentio.
Ch. LAVDARE forté nõ equidem possum tuã:
Tamen ferendum, quisquis es, quod dãt Dei.
Her. Si mihi potestas esset hæc diuinitus
Concessa, ab vmbris coniugem vt reducerem,
Eámque possem tibi referre gratiam.
Ad. Scio referres promptus: at cuinam hoc datum?
Nec luce cassis luce póst frui licet.
Her. Perfer modestè néue te afflictes nimis.
Ad. Lenire verbis facile, quod durum est pati.
Her. Quid promouebis, perpetim si lugeas?
Ad. Scio. dolendi sed voluptas me huc rapit.
Her. Extinctam amare, lacrymandi occasio est.
Ad. Etiam miserius quàm loquor me perdidit.
Her. Vxore es orbus optima. quis id neget?
Ad. Nullo vt fruatur pectus hoc póst gaudio.
Her. Tempus leuabit, quod recens nunc est malũ.
Ad. Tempus profectò, si mori tempus vocas.
Her. Te mitigabit vxor, ac tedæ nouæ.
Ad. Au, quid ais? ex te haud istud expectaueram.
Her. Expers iugalis exiges vitam tori?
Ad. Nulla accubabit mulier vnquam huic pectori.
Her. Prodesse reris posse te sic mortuæ?
Ad. Vbi vbi sit, illam honore semper prosequar.
Her. Hæc laudo sanè, laudo. sed stultè facis.
Ad. Sponsum nec vlla me vocabit fœmina.
Her. Quin coniugem erga laudo nimirum fidem.
Ad. Si negligam etiam mortuam, peream malé.
Her. Nunc recipe tecto hanc stirpe nobili satam.
Ad. Per qui creauit te Iouem istud deprecor.
Her Hoc si recusas, perperam tibi consulis.
Ad. Hoc ni recuso, macerabor luctibus.
Her. Obsequere, & huius non pigebit gratiæ.

Ad. Vtinam haud tulisses præmiũ hoc certaminis.
Her. Et mecum es huius particeps victoriæ.
Ad. Probè es loquutus, sed recedat fœmina.
Her. Siquidem est necesse: at num necesse sit, vide.
Ad. Necesse: nisi ob id fortè tu succenseas.
Her. Non temere id à te tantopere contenderem.
Ad. Age, vince: quanuis gratã minimè postules.
Her. Factum probabis postea: pare modò.
Ad. Si quidem hanc subire tecta oportet, ducite.
Her. Seruis mulierem hanc neutiquam commisero.
Ad. Quin ipse in ædes ducito illam si lubet.
Her. Tibi profectò mulierem tradam in manum.
Ad. Ego haud tetigero. te[illegible] subeunti patent.
Her. Tuæ stat vni dexteræ [illegible]ac concredere.
Ad. Coactus istud atque nolens perpetro.
Her. Protende promptus dexteram, tange hospitã.
Ad. Protendo, veluti Gorgonis sectum ad caput.
Her. Tenésne? *Ad.* Sanè teneo. *Her.* Serua iã & Ioue
Natum fatebere generosum olim hospitem.
Ipsam intuere, similis vxori an tuæ
Sit, ac beatus, luctuum iam desine.
Ad. O dii boni, ô miraculum inopinum ac nouum.
Oculis profectò coniugem intueor meam:
Aut me deorum quispiam ludibrio
Recreat, inani corda lætans gaudio.
Her. Non ita: sed ipsam coniugem cernis tuam.
Ad. Ne larua ab vmbris missa sit, circunspice.
Her. Caue esse credas hospitem tuum magum.
Ad. Sed quam scpelii, coniugem intueor meam.
Her. Sic. Ât fidem tu, & iure sorti non habes.
Ad. Tango alloquórque coniugem vt viuã meam?
Her. Alloquere. votis quicquid optabas, habes.
Ad. O corpus. ocule ô coniugis charissimæ,
Spem præter habeo te, videre postea
Quã nõ putarã posse me? *Her.* Ne dubita: ha-
Modò ne deorum quispiã inuideat tibi. (bes

Ad. O clara soboles maximi Iouis, vtinam
Beatus ævum transigas, ac sospitem
Te seruet idem, qui creauit, Iuppiter.
Nam me iacentem solus erexti. è Styge
Quonam reduxti ad lumen hãc rursus modo?
Her. Depræliatus cum tyranno maniam.
Ad. Vbi nactus illum prælio congressus es?
Her. Propter sepulchri dexteram inieci aggerem.
Ad. Quid muta tandem perseuerat fœmina?
Her. Nondum tibi fas eius alloquio frui,
Diis antequam sese expiarit manibus,
Terrísque lucem tertia ostendet dies.
Duc coniugem intrò iam tuã, ac in posterum
Admete, iusti cultor, atque in hospites
Pius esse perstа. Vale. Ego Stheneli filio
Abeo imperatum mihi laborem vt exequar.
Ad. Mane, ac penates, & dapes adi sacras.
Her. Id fiet aliâs. nunc celeritate est opus.
Ad. Dii rem secundent, téque reddant sospitem.
Edico cunctis ciuibus regni mei,
Ob res secundas vt choris indulgeant,
Et victimarum sanguine aras imbuant.
Mutata vitæ in melius est facies modó.
Felicitatem nec tego ingratus meam.
Ch. Fortuna vices lubrica versat
Varias docilis sumere formas.
Inopina dei plurima peragunt,
Non succedunt quæ fore speras:
Quæ fore nemo posse putaret,
Sæpe expediunt numina. Qualem
Hæc sortita est fabula finem.

AIAX FLAGELLIFER Sophoclis, poetæ tragici, Georgio Rotallero interprete.

GENEROSISSIMO HEroi Ludouico à Flandria, domino de Praet, Equiti ſummi ordinis velleris aurei, &c.

Georgius Rotallerus.

QVVM *nulli penè ſcripto utilitate cedat tragœdia, heros & ſtemmate & eruditione nobilis, ſiue eloquentiam ſpectes ſiue rerum maximarum cognitionem conſideres, perquam mirũ mihi uideri ſolet, quid ſit quòd quũ tam præſtãtes in vtraq; lingua viri & ſuperiori & hac ętate extiterint, nulli aut ſanè ꝑquam pauci vllã nobis Latinè tragœdiã exhibuerint. Extant aliquot Æſchyli, extãt Sophoclis, Euripidis ꝑquam multę: apud Latinos, ſi Senecæ demas, nullę. Cogitãti itaq; ſæpenumero & cauſam mecũ inquirẽti, tędio & labore ab huiuſcemodi lucubrationibus abſterreri pleriq; mihi videri ſolẽt. Alios autẽ inuenias, q etſi laborẽ non defugiant, alienis tamen ingeniis aut accõmodare ſeſe nequeunt, aut certè alieno in fundo operã ſumere nolunt. Malunt ipſi, quod vetuſtatẽ ferat, è ſuo penu aliquid depromere, & tanquã per ſpatioſos cãpos liberè vagari, quàm trãſferendis aliorũ ſcriptis anguſtis ſe limitibus coarctare. Quorũ qdem conatus vt laudãdi ſunt, modò dignũ aliquid muſis & Apolline proferant: ita hac in parte reprehenſione, mea quidẽ ſententia, non omnino carent: quòd vtriuſque linguę cognitione prædditi, homines ſtudioſos qui magiſtrorũ aut negligentia aut inſcitia, Græcis literis à teneris imbuti nõ ſunt, iámque per ętatem prouectiorem occupationéſue grauiores, iis operam dare non poſſunt, tam egregiis veterum monimẽtis defraudãt. Etenim quũ ꝑ ſe quiſq; eniti ac con-*

tendere debeat vt omnia sua studia omnémque industriam ad reipubl. vtilitatem dirigat: non tam spectandũ est quid nobis maximam gloriam parere, quàm quid ex vsu reip. maximè possit esse. Ego autem ex quo iuris legúmque studijs deditus, verè reipsa didici quantum vtriusque linguæ cognitio ad eam professionem momenti haberet: quámque nemo, hoc præsertim tam erudito seculo, iurisconsulti nomen tueri posset nisi ex ipsis fontibus, hoc est politiori vtriusque linguæ literatura, philosophíque, ea potissimùm parte quam ἠθικὴν vocant, eam laudem haurirer: nihil neque prius habui neque antiquius quàm in iis perdiscendis, sine quibus solida legum cognitio parari non potest, sic me exercere, vt ipse tandẽ aliquãdo etiã aliquid in communẽ vsum proferre possem, quò me non omnino oleũ & operã (quod aiunt) in eo studiorum genere impensam perdidisse declararẽ. Itaque, quod huic meæ ætati, in qua imbecillitas iudicij grauiores res tractare prohibet, aptissimum congruentissimúmque visum est, tale argumentum delegi, quod & vtilitate & suauitate senes æquè ac iuuenes ad lectionem sui inuitare posset. Quid enim tragœdiarum lectione pulchrius? quid ad eloquentiam prudentiámque cõparandam vtilius? Quemadmodum enim in comœdiis imagines quædam & simulachra communem hominum vitam repræsentantia oculis subiiciuntur: sic in tragœdiis magnorum regum principúmque casus, regnorum mutationes, varietátsque fortunæ spectanda tanquam in speculo proponuntur. Adde quòd nusquam alibi vtilia de gubernanda bene repub. præcepta tam dextrè támque aptè mutua communicatione ac συζητήσει explicãtur: quæ vtinam diligenter legerentur, aut lecta abiis qui ad reip. gubernacula aspirant expenderentur: rectiùs se res humanæ haberent, neque tam variis fluctibus τῆς τῶν πολυπραγμόνων περιεργίας ἐκβλυσμένης sursum ac deorsum omnia voluerentur. Quàm suauis foret & personarum & rerum omnium ἁρμονία, si remp. sic con-

ſtitutã cernere liceret, vbi ſuo quiſque munere contẽt⁹, in ea quã nact⁹ eſſet Sparta exornãda præcellere potius quàm in alius quæ ab officio ſuo aliena ſunt, exercẽdis operã ponere pulchrũ duceret? Τῆς δὲ ἀναλογίας τῆς γεωμετρικῆς quã tãtopere õnes, reip. neceſſariã eſſe prædicant, quã Plato grauiter verè que non uno in loco δῶρον θεῶν appellat, uim atque utilitatem euidenter conſpiceremus. Atqui eò redierunt hominum mores, quod & quo tidie cernimus uſuuenire, & tragœdiarum ſcriptores graphicè depingunt, ut nil niſi magnum animo concipiant ut ſimul atque humo ſe ſuſtollere poſſunt, ſine alarum, quod dicitur, remigio ſidera affectent, ut Pygmæi onera quibus uix ipſe Atlas par ſit, ſubire non uereantur. Quæ quidem temeritas etſi quibuſdam interdum ex ſententia ſuccedat, alii tamen pœnas luunt, & Icarii in morem diffluentibus ſolis ardore alis præcipites ruunt, ac ſibiipſi exitium accerſunt: alij quorum periculum perniciéſque etiam in alios redundat, Phaethontis exẽplo & ſe & totas reſp. concutiunt ac ſubuertunt: neque ex aliis fontibus hæc peſtis promanat, quàm ex ea humanæ mentis ambitione, quæ non examinatis propriis uiribus nihil non temerario auſu & tentat & aggreditur: ea enim uerè quod de diuitiis quidam apud Ariſtophanem ait,

κᾀθάπερ ἰατρὸς κακὸς
τυφλὸς βλέποντας παραλαβὼν πάντας ποιεῖ.

Deinde quantam ruinam ſecum trahat neglecta illa ἀναλογίας τῆς γεωμετρικῆς τάξις quis non uidet⁹ ſine qua nullum remp. nec conſtitui feliciter, nec conſiſtere poſſe, etiã Vlyſſes apud Euripidẽ teſtatur. Vt autem hoc hominũ genus præſentem rebuſpub. perniciẽ affert, ita illud nituperandum quoque extremò grauiter monent, etiamſi nomini perinde ac ſibi noxium ſit, qui otio marceſcere uiuere demũ putant, in eóque ſummũ bonũ collocandũ ſibi perſuadent, nihil ad cõmunẽ hominum ſo-

cietatem tuendam ſtudii, nihil operæ in medium conferunt, ἀσύμβολοι in repub. uerſantes: homines non re ſed nomine. quę omnia etſi apud philoſophos grauiſſimè diſputentur: in tragœdiis tamen exẽplis uariis, & ὑποθετικῶς ita illuſtrantur ut neminem non mouere & flectere mirificę illæ uitę imagines poſſint. Quàm pulchra paſſim exempla obuia ſunt, quibus uitam princeps meliorẽ reddere, quibus alteram ſortẽ aduerſis ſperare, ſecũdis metuere diſcat? Quis adeo ferreo eſt animo, uel obſtinato ad ſcelera pectore, qui Œdipi ęrumnas, ęrumnarúmque cauſas legens non moueatur? nõ mutetur? cui non meridiana luce clarius eſſe uideatur, diuinitus ſic cõparatũ eſſe ut atrocia flagitia pœnæ etiã conſequãtur conſimiles? Nã quũ florentiſſimo regno præeſſet, propter parricidiũ & inceſtã cum matre conſuetudinẽ in luctuoſiſſimã fortunã præcipitatus, ipſi ſibi oculos eruit, & uictum ſenex regno pulſus ſibi quęrere coactus eſt. Neque uerò ipſe ſolus afflictus fuit, ſed in uniuerſam eius progeniem horribiles pœnę graſſatę ſunt. Mater eius Iocaſta, ac eadem uxor, laqueo ob flagitium quod imprudẽs cum filio cõmiſerat, ſe ſtrangulauit: filii de regno dimicantes, mutuis uulneribus occubuerunt: tandem uerò Antigone miſerabili fato interiit, ut latè in poſteriore tragœdia exponitur: in qua quid adumbrat aliud poeta, quàm pręſentẽ eſſe & reip. & ipſis principibus pernicicm τὴν ἀβελίαν? Nam Creon Thebarũ rex quũ pro ſua libidine omnia ageret, nec ſano conſilio locũ ullũ relinqueret, religionẽ contemneret, Tireſiam bene monentem reiiceret, ex alia in aliã pręcipitatus calamitatem, grauiſſimo tandẽ ſuo malo didicit ſapere. Quid de Atreo & Thyeſte? quid de miſerrima Priami fortuna? quid de aliis dicã? quorũ etſi ueteres hiſtorię meminerunt, tenacius tamen hęrent, magiſque animos hominum afficiunt quę in tragœdiis quaſi coràm geri uidentur. In Aiace autẽ Sophocles qd aliud ſibi uult quàm ex nimia ambitione καὶ φιλονεικίᾳ homines de ſtatu mẽtis ſuę detur-

bari, & tandẽ in magnas calamitates ruere? ut nidemus Aiacẽ armis Achillis frustratũ præcipuo cuique in exercitu necẽ moliri. Sed Deus, cui principum & reipublicæ salus curæ est, hanc impietatẽ animíque ferociã retudit, ac hominem in furorẽ actũ ad armenta conuertit: qui dum se putat flagris cędere & mactare principes, boues atque alia pecora iugulat: quod ad se reuersus quum resciuit, sibiipsi, doloris impatientia victus, manus attulit. At quàm egregia vbique præcepta asperſa sunt, quàm graues sententiæ de pietate erga Deũ, de referenda benemeritis gratia, de obedientia magistratui præstanda, de moderanda ira? Quàm prudens Vlysses introducitur, q inimicitias post mortẽ prorogari impiũ existimans, Agamemnonẽ cũ Teucro de Aiacis cadauere digladiantem monet vt cadauer, quod fas aquúmque postulat, terræ mãdari permitteret. Sed sentio me nunc epistolę metas egredi: quare ad tuam celsitudinẽ venio, sub cuius nomine hæ Sophoclis duæ tragœdiæ, quarũ altera AIAX, altera ANTIGONE inscribitur, in lucẽ prodeunt: in quibus quidẽ vertendis quantum præstiterimus, tuę celsitudinis (si quando lectioni aliquid tẽporis dare dignabitur) doctorúmq; hominũ iudiciũ esto. Sẽpsimus certè hoc quicquid est operæ eo libẽtius, quòd sperauimus fore vt nostro exẽplo prouocati eruditiores, in huius generis occupationes plusculũ laboris sint collocaturi. Nec enim vt rẽ paruã aspernari quis quã poterit, qui sciat olim regũ hoc opus principúmque fuisse: quẽadmodũ de Dionysio Siculorũ tyranno, de Octauio Augusto, & alijs multis proditũ est. Quin hic ipse Sophocles vnus ex principibus Atheniensis reip. fuit, ac tragœdias (vt autor est Suidas) centũ viginti tres: vt autẽ alij volunt, multo plures edidit. Lucubratiunculã igitur hanc cen προτέλεια quędã tibi dedico, cõsecróq; illustris princeps, vt q ſpter insignẽ antiquámq; generis nobilitatẽ, ſpter summũ dignitatis fastigiũ, præter alias eximias & corporis & ingenii dotes, qbus inter nostræ

ætatis heroas emines, eo nomine vel præcipuè commenderis quòd & ipse rara quadam eruditione, doctrinâque singulari præditus, eruditis hominibus impensè faueas, ac literarum te literatorúmque assertorem egregiũ præstes: qua quidem laude nulla potest esse amplior. Precor Deum Opt. Max. vt nostris te regionibus ac reip. quamdiutissimè seruet incolumẽ. Louanii Idib. Octob. Anno à Christo nato M. D. XLVIII.

AD CANDIDVM LEctorem idem Georgius Rotaller.

Si vacat vrgenteis lector seponere curas,
Et dare nunc tragicis tempora parua libris:
Excipe non duro iuuenilia carmina vultu,
Hócque cothurnati perlege vatis opus.
Quem nos, dum cupimus linguæ monimenta Latinæ
Scrutari, & Graios perdidicisse sonos,
Iussimus Ausonia redimitum exire lacerna,
Et trepidum vultus ante venire tuos.
Verba Sophocleis si non satis apta cothurnis
Fortè leges, tragicis atque minora sonis,
Pone supercilium, placidam neque contrahe frontem,
Scriptáque cum venia qualiacunque lege.
Non ea libertas alieno offertur in agro,
Quam quis habet propria quando laborat humo.
Carcere conclusus certis cohibetur habenis,
Præscriptáq; esibi cogitur ire via.
Sed quem nulla premit rigidæ custodia legis,
Per loca non aliis pervia liber abit.
Per iuga, per saltus, per amœna vireta vagatur:
Iam thyma, iam teneras subsecat vnque rosas.

Iam grandit ur lentè, curſu iam fertur anhelo,
Iam duro, molli iam pede calcat humum.
Denique diuerſas aſſumit dictio formas,
Materiæ eloquio conueniente ſuæ.
quòd ſi hæc non poterunt venia tibi digna videri,
Quæ ſunt præcipuo digna fauore tamen:
Et tyrocinium, veniámque merebitur ætas,
Quæ nondum quintam clauſit Olympiadem.
Præmia non aufert fulua gladiator arena,
Scuaa rudi primum qui capit arma manu.
Nec quæ nunc latè viridantem proiicit vmbram,
Quo poſita eſt arbor tempore talis erat.
Noſtráque adhuc edet meliores tibia cantus,
Tempora ſi vitæ ſint diuturna meæ.

ARGVMENTVM FABVLÆ ex Græco traductum.

FABVLA ad res Troianas ſpectat, quẽ admodum Antenoridæ, Captiuæ Helenæ raptus, & Memnon. Nam cæſo in pugna Achille, inter Aiacẽ & Vlyſſem de corpore ferendo incidit controuerſia, quod alter altero in hoc munere obeundo ſibi videretur præſtantior. Ac quum in iudicio de armis eius contenderent, Vlyſſes illa obtinuit. Vnde Aiax, quòd cauſa cecidiſſet, nimio dolore in furorem actus inuaſit gregem, exiſtimans ſe Græcos trucidare, ac alias quidem ex quadrupedibus iugulat, alias verò colligatas in tentoria abducit. Inter quas eximia quadam magnitudine aries eſt, quem Vlyſſem eſſe ſuſpicans, ligatum flagellat: vnde titulus huic tragœdiæ indictus eſt Aiax μαστιγοφόρος, id eſt flagellifer.

aut ad differentiam Locri. Dicæarchus autem titulum præfigit, Aiacis mors. Sed quum exhibetur fabula, Aiax ſimpliciter inſcribitur. Hæc igitur facit Aiax. Vlyſſem autem in tentoriis deprehendit Minerua ſpeculantem quídnam agat Aiax, ac quæcunque gesta ſunt ei narrat: vocátque tandem vt foras prodeat, Aiacem etiamnum furioſum & ſuperbe ſe efferentem gloriantémque de interfectis hoſtibus ſuis. Deinde ſe in ædes recipit, Vlyſſem flagris cæſurus. Accedit interea chorus ex nautis Salaminiis, ſciens quidem mactatum eſſe Græcorum gregẽ, autorem verò ignorans. Egreditur etiam Tegmeſſa, quam bello captam Aiax pro concubina habebat, ſciens quidem ad Aiace ſtragem gregis editã: verùm cuiuſnam gregis, ignara. Vterque igitur quod ignorabat ab vtroque edoctus: chorus quidem à Tegmeſſa, quòd Aiax cædis eſſet autor: Tegmeſſa viciſſim Græci exercitus eſſe gregem: lugent, maximè chorus. Deinde Aiax iam ad ſe reuerſus mentíſque compos egreditur, & ſua facta deplorat. Tegmeſſa eum, vt irã remittat, obſecrat. Ille verò iam ſe remiſiſſe ſimulans, exit tanquam ſe cædémque expiaturus, ac mortem ſibi conſciſcit. Sub finem fabulæ contentiones ſunt, Teucri aduerſus Agamemnonem non permittentem cadauer ſepeliri, tandé autem ſepultũ Teucer luget. Porro fabula hoc innuit, ex ira nimiáque vincendi cupiditate huiuſcemodi morbos exiſtere. Quemadmodum Aiax ſperans ſe armis potiturũ, & fruſtratus, ipſe ſibi manus adfert. Atque id genus contentiones ne ipſis quidem qui videntur ſuperiores euaſiſſe ſunt vtiles. Vide quid Homerus de hac Aiacis calamitate breuiter quidem, ſed patheticè ſcribat,

Sola ſed Aiacis reliquis procul vmbra receſſit,
Arma ob Pelidę magno commota furore.

Deinde audi quid victor dicat,

O vtinam haud essem tali in certamine victor.

Nihil igitur vtilitatis attulit ei victoria tãti viri mortẽ redempta.

Fabulæ actio constituitur prope tentoria Aiacis, in naualibus. Mirè autem inducit Mineruam initio loquentem. Absurdum enim fuisset Aiacem egressum narrare quæ à se fuerant gesta, & ipsum se reprehendere: neque quisquã alius potuisset rescire quæ secretò & noctu ab Aiace designata erant. Dei fuerat ista palàm facere, & quidẽ Mineruæ, quæ Vlyssis partes studiosè fouebat, vt in fabula est:

-Et hanc ideo prodii in viam
Custos tibi & tuo fauens venatui.

De morte Aiacis variant apud autores sententiæ. Alii aiunt à Paride vulneratum venisse in castra sua sanguine diffluentem: alii Troianis oraculum editũ, vt luto eum cœnòque peterẽt, (ferro enim vulnerari nõ poterat) & hoc modo obiisse: alii rursus, ipsum sibi mortem conscisse asserunt, quorum est in numero Sophocles. De latere verò quòd illud solùm vulnerabile esset, Pindarus meminit: Corpus quidẽ qua parte leonino tegebatur exuuio, vulnerari non potuisse: qua verò patebat, fuisse vulneribus obnoxium.

Personæ.

MINERVA.
VLYSSES.
AIAX.
CHORVS *senũ Salaminiorũ.*
TEGMESSA.
NVNTIVS.
TEVCER.
MENELAVS.
AGAMEMNON.

SOPHOCLIS AIAX flagellifer:

Georgio Rotallero interprete.

MINERVA.

SEMPER quidem Laerte nate conspicor
Id te studere, vt hostium vites dolos,
Tétoriis vt cerno núc in nauticis,
Extremum vbi tenet ferox Aiax locum,
Venari, & indagare sedulò, illius
Impressa terris iam recèns vestigia,
Domi sit an non, vt scias. at tempori
Tua huc Laconici vt canis sagacitas
Se contulit. nam nunc vir intus desidet
Sudore diffluens caput, manúsque habens
Cruore & atris taminatas cædibus.
Nec est in ædes quod ita figas lumina,
Sed qua laborem hunc gratia susceperis
Mihi refer, quæcunque scire postulas
Mox omnium ex me Vlysse hes certior.

Vl. O vox Mineruæ inter deas charissimæ
Quàm facilis agnitu, licet mihi haud eras
Conspecta: ea aures personat tamen meas,
Animíque prorsus, clarus vti Tyrrhenicæ
Sonus tubæ, pertransiit præcordia.
Et nunc virum scis propter aduersarium
Hic súsque déque solicitus obambulo.
Scutum ferentem maximũ Aiacem volo, húc
Iam quæro dudum, & præter illum neminẽ.
Nam nocte quoddam hac perpetrasse dicitur
Infame crimen. id quidem est patratum: anís
Sit autem haud dum liquidò constat, & animi
Pendemus omnes. vt igitur certus forem

His ſponte me nunc ſubdidi laboribus.
Nam perditam totam quidem deprendimus
Prædam, manúque feram necem illatã gregi
Cum ſedulis ſimul gregis cuſtodibus.
Omnes in illum conferunt facti ſcelus.
Quin ille qui ſpectator adfuit, ordine
Omnem mihi recenſuit cædis modum,
Per prata vt exultauerit dextra tenens
Enſem recèns cruore fuſo luridum.
Ac mox ſequutus illius veſtigia,
Aliã quidem agnoui, at aliis rurſus fui
Turbatus, atque ignoro cuius illa ſint.
Itaque peropportunè ades: etenim vt omnia
Alia priora, ſic futura quoque omnia
Tuo geram adiutus Minerua numine.

Min. Id Vlyſſe ſcio, & hanc ideò prodii in viam
Cuſtos tibi, & tuo fauens venatui.

Vly. Chariſſima mihi domina, dic, in tempore
Iſtum tibi videor laborem ſumere?

Min. Quid ni? viri quum illius hæc ſint facinora.

Vly. Quid ad inopinatum ſcelus manum impulit?

Min. Aeacidæ ob arma furore commotus graui.

Vly. Cur verò in armenta faciebat impetum?

Min. Veſtra ratus ſe cæde polluere manus.

Vly. Molitus iſta fuit in Argolicam manum?

Min. Ac rem peregiſſet niſi obſtitiſſem ego.

Vly. Qua audacia id tandem, cedo, aut ferocia?

Min. Vos noctu adortus ſolus inſidiis fuit.

Vly. Propiúsne ad ipſa caſtra promouit gradum?

Min. Iam ſtabat ad geminas fores exercitus.

Vly. Quînam furentem, à cæde cohibuit manum?

Min. Ego à nefando hominem repreſſi gaudio,
Oculósque falſa faſcinans imagine,
Conuerti in armentum, rapináque pecora
Abacta, quæ indiſtincta ibi à paſtoribus
Cuſtodiebantur pariter. huc irruens,

Cornigera grassabatur vndique cædibus
Inter animalia: ac iam Atridas dextera
Sua videbatur sibi dedere neci,
Iámque in alium ducum facere impetus.
At ego incitaui hominem furenti præditum
Morbo, ínque sæuam præcipité Erinnyn dedi,
Ac tandem vbi à cædendo conquieuerat,
Constrinxit arctis vinculis viuos boues,
Gregémque totum duxit in suam domum,
Haud aliter ac si comprehendisset viros,
Et non gerentes alta cornua pecudes:
Rigidísque nunc domi vinctas cædit flagris.
Atque efficiam oculis tuis morbum ferum
Coràm intuebere, vt Pelasgis indices:
Consiste fortiter, animúmque suscipe.
Néue moueare calamitatibus viri.
Ego siquidem auersos ita facilè radios
Dirigam oculorum, vt abs tui aspectu arceam.
Heus qui coerces vinculis captas manus
Accedito huc: te Aiax voco, prodi foras.
Vly. Quid agis Minerua? ne precor hominé euoces.
Min. Nunquid silebis, ac timere desines?
Vly. Ne per deos, intus sat est si remaneat.
Min. Cur non vocem? non ille & ante hac vir fuit?
Vly. Hostis quidem mihi fuit, & est etiam adhuc.
Min. RIDERE ob hostem risus est dulcissimus.
Vly. Satis mihi est vti remaneat in ædibus.
Min. Furoréne virum percitum aspicere times?
Vly. Non sic timerem si sui compos foret.
Min. At te quidem haud videbit, etsi adsis propé.
Vly. Qui sit? iisdem ille tamen vtitur oculis.
Min. Ego palpebris etiam illius vident bus
Caliginem offusura sum.
Vly. Quæ fausta sunt
Diis agantur omnia gubernantibus.
Min. Nunc subtice. locóque eodem, ubi es, mane.

AIAX FLAGELLIFER Sophoclis, poetæ tragici, Georgio Rotallero interprete.

GENEROSISSIMO HEROI Ludouico à Flandria, domino de Praet, Equiti summi ordinis velleris aurei, &c.

Georgius Rotallerus.

QVVM *nulli penè scripto utilitate cedat tragœdia, heros & stemmate & eruditione nobilis, siue eloquentiam spectes siue rerum maximarum cognitionem consideres, perquam mirũ mihi uideri solet, quid sit quòd quũ tam præstãtes in vtraq; lingua viri & superiori & hac ętate extiterint, nulli aut sanè ꝑquam pauci vllã nobis Latinè tragœdiã exhibuerint. Extant aliquot Æschyli, extãt Sophoclis, Euripidis ꝑquam multę: apud Latinos, si Senecæ demas, nullę. Cogitãti itaq; sæpenumero & causam mecũ inquirẽti, tędio & labore ab huiuscemodi lucubrationibus absterreri plerique mihi videri solẽt. Alios autẽ inuenias, q etsi laborẽ non defugiant, alienis tamen ingeniis aut accõmodare sese nequeunt, aut certè alieno in fundo operã sumere nolunt. Malunt ipsi, quod vetustatẽ ferat, è suo penu aliquid depromere, & tanquã per spatiosos cãpos liberè vagari, quàm trãsferendis aliorũ scriptis angustis se limitibus coarctare. Quorũ qdem conatus vt laudãdi sunt, modò dignũ aliquid musis & Apolline proferant: ita hac in parte reprehensione, mea quidẽ sententia, non omnino carent: quòd vtriusque linguę cognitione præditi, homines studiosos qui magistrorũ aut negligentia aut insciti a, Græcis literis à teneris imbuti nõ sunt, iámque per ętatem prouectiorem occupationésue graniores, ijs operam dare non possunt, tam egregijs veterum monimẽtis defraudãt. Etenim quũ ꝑ se quisq; eniti ac cun-*

tendere debeat vt omnia ſua ſtudia omnémque induſtriam ad reipubl. vtilitatem dirigat: non tam ſpectandũ eſt quid nobis maximam gloriam parere, quàm quid ex vſu reip. maximè poſsit eſſe. Ego autem ex quo iuris legúmque ſtudijs deditus, verè reipſa didici quantum vtriuſque linguæ cognitio ad eam profeßionem momenti haberet: quámque nemo, hoc præſertim tam erudito ſeculo, iuriſconſulti nomen tueri poſſet niſi ex ipſis fontibus, hoc eſt politiori vtriuſque linguæ literatura, philoſophíſque, ea potiſſimùm parte quam ἠθικὴν vocant, eam laudem haurirer: nihil neque prius habui neque antiquius quàm in iis perdiſcendis, ſine quibus ſolida legum cognitio parari non poteſt, ſic me exercere, vt ipſe tandẽ aliquãdo etiã aliquid in communẽ vſum proferre poſſem, quò me non omnino oleũ & operã (quod aiunt) in eo ſtudiorum genere impenſam perdidiſſe declararẽ. Itaque, quod huic meæ ætati, in qua imbecillitas iudicij grauiores res tractare prohibet, aptiſſimum congruentiſſimúmque viſum eſt, tale argumentum delegi, quod & vtilitate & ſuauitate ſenes æquè ac iuuenes ad lectionem ſui inuitare poſſet. Quid enim tragœdiarum lectione pulchrius? quid ad eloquentiam prudentiámque cõparandam vtilius? Quemadmodum enim in comœdiis imagines quædam & ſimulachra communem hominum vitam repreſentantia oculis ſubiiciuntur: ſic in tragœdiis magnorum regum principúmque caſus, regnorum mutationes, uarietáſque fortunæ ſpectanda tanquam in ſpeculo proponuntur. Adde quòd nuſquam alibi vtilia de gubernanda bene repub. præcepta tam dextrè támque aptè mutua communicatione ac συζητήσει explicãtur: quæ vtinam diligenter legerentur, aut lecta ab iis qui ad reip. gubernacula aſpirant expenderentur: rectiùs ſe res humanæ haberent, neque tam variis fluctibus τῆς τῶν πολυπραγμόνων περιεργίας ἐκβλυσμένης ſurſum ac deorſum omnia voluerentur. Quàm ſuauis foret & perſonarum & rerum omnium ἀμουσία, ſi remp. ſic con-

stitutã cernere liceret, vbi suo quisque munere contẽt⁹, in ea quã nact⁹ esset Sparta exornãda præcellere potius quàm in alijs quæ ab officio suo aliena sunt, exercẽdis operã ponere pulchrũ duceret? Ĩ ũ ucrò ἀναλογίας τῆς γεωμετρικῆς quã tãtopere õnes, reip. necessariã esse prædicant, quã Plato grauiter veré que non uno in loco δ' ὧν ρον θεῶν appellat, uim atque utilitatem euidenter conspiceremus. At qui eò redierunt hominum mores, quod & quo tidie cernimus usuenire, & tragœdiarum scriptores graphicè depingunt, ut nil nisi magnum animo concipiant ut simul atque humo se sustollere possunt, sine alarum, quod dicitur, remigio sidera affectent, ut Pygmæi onera quibus uix ipse Atlas par sit, subire non uereantur. Quæ quidem temeritas etsi quibusdam interdum ex sententia succedat, alii tamen pœnas luunt, & Icarii in morem diffluentibus solis ardore alis præcipites ruunt, ac sibiipsi exitium accersunt: alij quorum periculum perniciésque etiam in alios redundat, Phaethontis exẽplo & se & totas resp. concutiunt ac subuertunt: neque ex aliis fontibus hæc pestis promanat, quàm ex ea humanæ mentis ambitione, quæ non examinatis propriis uiribus nihil non temerario ausu & tentat & aggreditur: ea enim uerè quod de diuitiis quidam apud Aristophanem ait,

καθάπερ ἰατρὸς κακὸς
τυφλὸς βλέποντας παραλαβὼν πάντας ποιεῖ.

Deinde quantam ruinam secum trahat neglecta illa ἀναλογίας τῆς γεωμετρικῆς εὐταξία quis non uidet⁹ sine qua nullum remp. nec constitui feliciter, nec consistere posse, etiã Vlysses apud Euripidẽ testatur. Vt autem hoc hominũ genus præsentem rebus pub. perniciẽ affert, ita illud uituperandum quoque extremò grauiter monent, etiamsi nomini perinde ac sibi noxium sit, qui otio marcescere uiuere demũ putant, in eóque summũ bonũ collocandũ sibi persuadeant, nihil ad cõmunẽ hominum so-

cietatem tuendam ſtudii, nihil operæ in medium conferunt, ἀσύμβολοι in repub. uerſantes: homines non re ſed nomine. quę omnia etſi apud philoſophos grauiſſimè diſputentur: in tragœdiis tamen exẽplis uariis, & ὑποθετικῶς ita illuſtrantur ut neminem non mouere & flectere mirificę illæ uitę imagines poſſint. Quàm pulchra paſſim exempla obuia ſunt, quibus uitam princeps meliorẽ reddere, quibus alteram ſortẽ aduerſis ſperare, ſecũdis metuere diſcat? Quis adeo ferreo eſt animo, uel obſtinato ad ſcelera pectore, qui Œdipi ęrumnas, ęrumnarúmque cauſas legens non moueatur? nõ mutetur? cui non meridiana luce clarius eſſe uideatur, diuinitus ſic cõparatũ eſſe ut atrocia flagitia pœnæ etiã conſequãtur conſimiles? Nã quũ florentiſſimo regno præeſſet, propter parricidiũ & inceſtã cum matre conſuetudinẽ in luctuoſiſſimã fortunã præcipitatus, ipſi ſibi oculos eruit, & uictum ſenex regno pulſus ſibi quęrere coactus eſt. Neque uerò ipſe ſolus afflictus fuit, ſed in uniuerſam eius progeniem horribiles pœnę graſſatę ſunt. Mater eius Iocaſta, ac eadem uxor, laqueo ob flagitium quod imprudẽs cum filio cõmiſerat, ſe ſtrangulauit: filii de regno dimicantes, mutuis uulneribus occubuerunt: tandem uerò Antigone miſerabili fato interiit, ut latè in poſteriore tragœdia exponitur: in qua quid adumbrat aliud poeta, quàm præſentẽ eſſe & reip. & ipſis principibus pernicicm τὴν ἀβελίαν? Nam Creon Thebarũ rex quũ pro ſua libidine omnia ageret, nec ſano conſilio locũ ullũ relinqueret, religionẽ contemneret, Tireſiam bene monentem reiiceret, ex alia in aliã præcipitatus calamitatem, grauiſſimo tandẽ ſuo malo didicit ſapere. Quid de Atreo & Thyeſte? quid de miſerrima Priami fortuna? quid de aliis dicã? quorũ etſi ueteres hiſtoriæ meminerunt, tenacius tamen hęrent, magiſque animos hominum afficiunt quę in tragœdiis quaſi coràm geri uidentur. In Aiace antẽ Sophocles qd aliud ſibi uult quàm ex nimia ambitione καὶ φιλοτιμίᾳ homines de ſtatu mẽtis ſuę detur-

bari, & tandẽ in magnas calamitates ruere? vt uidemus Aiacẽ armis Achillis frustratũ præcipuo cuique in exercitu necẽ moliri. Sed Deus, cui principum & reipublicæ salus curæ est, hanc impietatẽ animique ferociã retudit, ac hominem in furorẽ actũ ad armenta conuertit: qui dum se putat flagris cędere & mactare principes, boues atque alia pecora iugulat: quod ad se reuersus quum resciuit, sibiipsi, doloris impatientia victus, manus attulit. At quàm egregia vbique præcepta aspersa sunt, quàm graues sententiæ de pietate erga Deũ, de referenda beneficiis gratia, de obedientia magistratui præstanda, de moderanda ira? Quàm prudens Vlysses introducitur, q inimicitias post mortẽ prorogari impiũ existimans, Agamemnonẽ cũ Teucro de Aiacis cadauere digladiantem monet vt cadauer, quod fas æquúmque postulat, terræ mãdari permitteret. Sed sentio me nunc epistolę metas egredi: quare ad tuam celsitudinẽ venio, sub cuius nomine hæ Sophoclis duæ tragœdiæ, quarũ altera AIAX, altera ANTIGONE inscribitur, in lucẽ prodeunt: in quibus quidẽ vertendis quantum præstiterimus, tuę celsitudinis (siquando lectioni aliquid tẽporis dare dignabitur) doctorúmq; hominũ iudiciũ esto. Sũpsimus certè hoc quicquid est operæ eo libẽtius, quòd sperauimus fore vt nostro exẽplo prouocati eruditiores, in huius generis occupationes plusculũ laboris sint collocaturi. Nec enim vt rẽ paruã aspernari quisquã poterit, qui sciat olim regũ hoc opus principúmque fuisse: quẽadmodũ de Dionysio Siculorũ tyranno, de Octauio Augusto, & alijs multis proditũ est. Quin hic ipse Sophocles vnus ex principibus Athenienſis reip. fuit, ac tragœdias (vt autor est Suidas) centũ viginti tres: vt autẽ alij volunt, multo plures edidit. Lucubratiunculã igitur hanc ceu προτέλεια quędã tibi dedico, cõsecróq; illustris princeps, vt q̃ piter insignẽ antiquámq; generis nobilitatẽ, q̃ piter summũ dignitatis fastigiũ, præter alias eximias & corporis & ingenii dotes, q̃bus inter nostræ

Iam granditur lentè, cursu iam fertur anhelo,
Iam duro, molli iam pede calcat humum.
Denique diuersas assumit dictio formas,
Materiæ eloquio conueniente suæ.
Quòd si hæc non poterunt venia tibi digna videri,
Quæ sunt præcipuo digna fauore tamen:
Et tyrocinium, veniámque merebitur ætas,
Quæ nondum quintam clausit Olympiadem.
Præmia non aufert fulua gladiator arena,
Sæua rudi primum qui capit arma manu.
Nec quæ nunc latè viridantem proiicit vmbram,
Quo posita est arbor tempore talis erat.
Nostráque adhuc edet meliores tibia cantus,
Tempora si vitæ sint diuturna meæ.

ARGVMENTVM FABVLÆ ex Græco traductum.

FABVLA ad res Troianas spectat, quēadmodum Antenoridæ, Captiuæ Helenæ raptus, & Memnon. Nam cæso in pugna Achille, inter Aiacē & Vlyssem de corpore ferendo incidit controuersia, quod alter altero in hoc munere obeundo sibi videretur præstantior. Ac quum in iudicio de armis eius contenderent, Vlysses illa obtinuit. Vnde Aiax, quòd causa cecidisset, nimio dolore in furorem actus inuasit gregem, existimans se Græcos trucidare, ac alias quidem ex quadrupedibus iugulat, alias verò colligatas in tentoria abducit. Inter quas eximia quadam magnitudine aries est, quem Vlyssem esse suspicans, ligatum flagellat. vnde titulus huic tragœdiæ inditus est Aiax μαστιγοφόρος, id est flagellifer.

aut ad differentiam Locri. Dicæarchus autem titulum præfigit, Aiacis mors. Sed quum exhibetur fabula, Aiax simpliciter inscribitur. Hæc igitur facit Aiax. Vlyssem autem in tentoriis deprehendit Minerua speculantem quídnam agat Aiax, ac quæcunque gesta sunt ei narrat: vocátque tandem vt foras prodeat, Aiacem etiamnum furiosum & superbè se efferentem gloriantémque de interfectis hostibus suis. Deinde se in ædes recipit, Vlyssem flagris cæsurus. Accedit interea chorus ex nautis Salaminiis, sciens quidem mactatum esse Græcorum gregẽ, autorem verò ignorans. Egreditur etiam Tegmessa, quam bello captam Aiax pro concubina habebat, sciens quidem ad Aiace stragem gregis editã: verùm cuiusnam gregis, ignara. Vterque igitur quod ignorabat ab vtroque edoctus: chorus quidem à Tegmessa, quòd Aiax cædis esset autor: Tegmessa vicissim Græci exercitus esse gregem: lugent, maximè chorus. Deinde Aiax iam ad se reuersus mentísque compos egreditur, & sua facta deplorat. Tegmessa eum, vt nã remittat, obsecrat. Ille verò iam se remisisse simulans, exit tanquam se cædémque expiaturus, ac mortem sibi conscisscit. Sub finem fabulæ contentiones sunt, Teucri aduersus Agamemnonem non permittentem cadauer sepeliri, tandé autem sepultũ Teucer luget. Porro fabula hoc innuit, ex ira nimiáque vincendi cupiditate huiuscemodi morbos existere. Quemadmodum Aiax sperans se armis potiturũ, & frustratus, ipse sibi manus adfert. Atque id genus contentiones ne ipsis quidem qui videntur superiores euasisse sunt vtiles. Vide quid Homerus de hac Aiacis calamitate breuiter quidem, sed patheticè scribat,

Sola sed Aiacis reliquis procul vmbra recessit,
Arma ob Pelidę magno commota furore.

Deinde audi quid victor dicat,

O vtinam haud essem tali in certamine victor.

Nihil igitur vtilitatis attulit ei victoria tãti viri mor te redempta.

Fabulæ actio constituitur prope tentoria Aiacis, in naualibus. Mirè autem inducit Mineruam initio loquentem. Absurdum enim fuisset Aiacem egressum narrare quæ à se fuerant gesta, & ipsum se reprehendere : neque quisquã alius potuisset rescire quæ secretò & noctu ab Aiace designata erant. Dei fuerat ista palàm facere, & quidẽ Mineruæ, quæ Vlyssis partes studiosè fouebat, vt in fabula est:

-Et hanc ideo prodii in viam
Custos tibi & tuo fauens venatui.

De morte Aiacis variant apud autores sententiæ. Alii aiunt à Paride vulneratum venisse in castra sua sanguine diffluentem: alii Troianis oraculùm editũ, vt luto eum cœnóque peterẽt, (ferro enim vulnerari nõ poterat) & hoc modo obiisse: alii rursus, ipsum sibi mortem conscisse asserunt, quorum est in numero Sophocles. De latere verò quòd illud solùm vulnerabile esset, Pindarus meminit : Corpus quidẽ qua parte leonino tegebatur exuuio, vulnerari non potuisse: qua verò patebat, fuisse vulneribus obnoxium.

Personæ.

MINERVA.
VLYSSES.
AIAX.
CHORVS *senũ Salaminiorũ.*
TEGMESSA.
NVNTIVS.
TEVCER.
MENELAVS.
AGAMEMNON.

SOPHOCLIS AIAX flagellifer:

Georgio Rotallero interprete.

MINERVA.

SEMPER quidem Laerte nate conſpicor
Id te ſtudere, vt hoſtium vites dolos,
Tétoriis vt cerno nũc in nauticis,
Extremum vbi tenet ferox Aiax locum,
Venari,& indagare ſedulò,illius
Impreſſa terris iam recèns veſtigia,
Domi ſit an non,vt ſcias.at tempori
Tua huc Laconici vt canis ſagacitas
Se contulit.nam nunc vir intus deſidet
Sudore diffluens caput,manúſque habens
Cruore & atris tam matas cædibus.
Nec eſt in ædes quod ita figas lumina,
Sed qua laborem hunc gratia ſuſceperis
Mihi refer,quæcunque ſcire poſtulas
Mox omnium ex me Vlyſſe hes certior.
Vl. O vox Mineruæ inter deas chariſſimæ
Quàm facilis agnitu,licet mihi haud eras
Conſpecta:ea aures perſonat tamen meas,
Animíque prorſus,clarus vti Tyrrhenicæ
Sonus tubæ,pertranſiit præcordia.
Et nunc virum ſcis propter aduerſarium
Hic ſúſque déque ſolicitus obambulo.
Scutum ferentem maximũ Aiacem volo, hũc
Iam quæro dudum, & præter illum neminẽ.
Nam nocte quoddam hac perpetraſſe dicitur
Infame crimen.id quidem eſt patratum: animis
Sit autem haud dum liquidò conſtat, & animi
Pendemus omnes.vt igitur certus forem

His ſponte me nunc ſubdidi laboribus.
Nam perditam totam quidem deprendimus
Prædam, manúque feram necem illatã gregi
Cum ſedulis ſimul gregis cuſtodibus.
Omnes in illum conferunt facti ſcelus.
Quin ille qui ſpectator adfuit, ordine
Omnem mihi recenſuit cædis modum,
Per prata vt exultauerit dextra tenens
Enſem recèns cruore fuſo luridum.
Ac mox ſequutus illius veſtigia,
Alià quidem agnoui, at aliis rurſus fui
Turbatus, atque ignoro cuius illa ſint.
Itaque peropportunè ades: etenim vt omnia
Alia priora, ſic futura quoque omnia
Tuo geram adiutus Minerua numine.

Min. Id Vlyſſe ſcio, & hanc ideò prodii in viam
Cuſtos tibi, & tuo fauens venatui.

Vly. Chariſſima mihi domina, dic, in tempore
Iſtum tibi videor laborem ſumere?

Min. Quid ni? viri quum illius hæc ſint facinora.

Vly. Quid ad inopinatum ſcelus manum impulit?

Min. Aeacidæ ob arma furore commotus graui.

Vly. Cur verò in armenta faciebat impetum?

Min. Veſtra ratus ſe cæde polluere manus.

Vly. Molitus iſta fuit in Argolicam manum?

Min. Ac rem peregiſſet niſi obſtitiſſem ego.

Vly. Qua audacia id tandem, cedo, aut ferocia?

Min. Vos noctu adortus ſolus inſidiis fuit.

Vly. Propiúsne ad ipſa caſtra promouit gradum?

Min. Iam ſtabat ad geminas fores exercitus.

Vly. Quînam furentem, à cæde cohibuit manum?

Min. Ego à nefando hominem repreſſi gaudio,
Oculósque falſa faſcinans imagine,
Conuerti in armentum, rapináque pecora
Abacta, quæ indiſtincta ibi à paſtoribus
Cuſtodiebantur pariter. huc irruens,

Cornigera grassabatur vndique cædibus
Inter animalia: ac iam Atridas dextera
Sua videbatur sibi dedere neci,
Iámque in alium ducum facere impetus.
At ego incitaui hominem furenti præditum
Morbo, ínque sæuam præcipité Erinnyn dedi.
Ac tandem vbi à cædendo conquieuerat,
Constrinxit arctis vinculis viuos boues,
Gregémque totum duxit in suam domum,
Haud aliter ac si comprehendisset viros,
ET non gerentes alta cornua pecudes:
Rigidísque nunc domi vinctas cædit flagris.
Atque efficiam oculis tuis morbum ferum
Coràm intuebere, vt Pelasgis indices:
Consiste fortiter, animúmque suscipe.
Néue moueare calamitatibus viri.
Ego siquidem auersos ita facilè radios
Dirigam oculorum, vt abs tui aspectu arceam.
Heus qui coerces vinculis captas manus
Accedito huc: te Aiax voco, prodi foras.

Vly. Quid agis Minerua? ne precor hominé euoces.
Min. Nunquid silebis, ac timere desines?
Vly. Ne per deos, intus sat est si remaneat.
Min. Cur non vocem? non ille & ante hac vir fuit?
Vly. Hostis quidem mihi fuit, & est etiam adhuc.
Min. RIDERE ob hostem risus est dulcissimus.
Vly. Satis mihi est vti remaneat in ædibus.
Min. Furoréne virum percitum aspicere times?
Vly. Non sic timerem si sui compos foret.
Min. At te quidem haud videbit, etsi adsis propé.
Vly. Qui sit? iisdem ille tamen vtitur oculis.
Min. Ego palpebris etiam illius vident bus
Caliginem offusura sum.
Vly. Quæ fausta sunt
Diis agantur omnia gubernantibus.
Min. Nunc subtice. locóque eodem, ubi es, mane.

Vl. Manebo: quauuis malim abesse longius.
Min. Heus tu secundùm iam voco te Aiax. quid est
Quòd adeo parui me vidêris pendere?
Aiax. Minerua salue, maximi salue Iouis
Proles, vt opportuna nunc ades, aureo
Te ornabo spolio, huiusce prædæ gratia.
Min. Rectè: sed illud nunc mihi expedias velim,
Hastámne Danaûm iam imbuisti copiis?
Aiax. Id gloriari queo: nec est quare negem.
Min. Nũquid etiam armasti erga Atreidas dextrã?
Aiax. Ac sic quidem, vt non fas sit illis amplius
Aiacem atroci afficere contumelia.
Min. Sunt mortui illi, verba si intelligo tua.
Aiax. Iam mortui. mea si velint arma rapiant.
Min. Age verò dic, Laerte natus quo in statu est
Tecum, ánne dexteram ille suffugit tuam?
Aiax. De vulpe pestifera atque scelerata rogas?
Min. Sic est: de Vlysse rogo tuo aduersario.
Aiax. Captiuus ô regina, iucundissimus
Intus sedet, nec eum prius volo mori:
Min. Quid fiet illo igitur? quid hinc captas lucri?
Aiax. Quàm colligatus ad columnas ædium.
Min. Quæ in miserum es exempla editurus postea?
Aiax. Tergum cruentatus flagris necem oppetat.
Min. Ne sic precor miserum flagellis conseces.
Aiax. Sine vnica hac in re meo me affectui
Obtemperare, aliis geram in rebus animo
Morẽ tuo: ille hãc mihi, aliã haud pœnã dabit.
Min. Age igitur, isthuc quando sit tanta facere
Tibi voluptas, vtere manu fortirer,
Parcásque nihil: exequere quæ fert impetus.
Aiax. Accingor ad opus. hic tibi pareo lubens.
Sic quæso faueas partibus semper meis.
Min. Vides Vlysse quæ deûm est potenti a?
Quis hoc viro prudentior, vel ido neis
Rebus gerundis extitit felicior?

Vl. Noui profectò neminem. quin illius
Potius, calamitatem quòd in tantam incidit,
Doleo vicem: quanuis mihi velit malé.
Eiúsque me exemplum ſtatus monet mei.
SIQVIDE Mnihil nos eſſe ſentio, niſi
Simulacra quotquot viuimus, & vmbras leues.
Min. Hæc intuetor, nec ferocioribus
Vnquam laceſſe cœlites dictis deos,
Nec inſolenter te geras, ſi pluſculum
Quàm cæteri dextra vel auro polleas.
MORTALIVM res auget & premit dies.
AMANT modeſtos, execrantur dij malos.
Chor. O proles Telamonia,
Quæ ſedémque & ſceptra maritimæ,
Et quæ ſalſis vndique fluctibus
Reſonat, Salamine tenes:
Quando tibi res ex ſententia
Cedit, gaudeo plurimúm:
At quum vehemens te diuinitus
Plaga opprimit, aut ſæuis obruunt
Conuitiis proceres Pelaſgi,
Magnas propter te coniicior
Inque ambiguas ſolicitudines.
Nec ſecus ac volucreis ſolent
Trepidæque columbæ concutior.
Vt nunc etiam nocte elapſa
Nos magnus triſtíſque tumultus
Infeſtæ corripuit famæ:
Lata ingreſſum paſcua Danaûm,
Armenta ac prædam quæ bello
Rapta ſupererat, totam
Ferro interfeciſſe coruſco.
Talibus effictis ſermonibus
Omnibus aures implet Vlyſſes:
Ac facilè id perſuadet: de te enim
Quiduis, quod dicit credibile eſt.

Ac quicunque ſuſurronem audit,
Gaudétque, tuíſque inſultat malis.
Siquidem magnos quiſquis iaculis
Animos petit, haud facilè errat. ſed
Siquis de me tales ſpargeret
Rumores, non perſuaderet.
SVMMA ferit liuor: ſed ciues
Humiles ſine magnorum auxilio
Valli velut infidi debile
Infirmúmque eſt munimentum:
Etenim cum magnis infauſtæ
Sortis homo, ac cum miſeris magnus
Se erigit & ſuſtentat.
Verùm hæc ſtultis eſt difficile,
Ob turbas quas id genus homines
Paſſim tota per agmina concitant,
Perſuadere: nec Aiax te ſine
Nos hæc propulſare valemus.
Nam quũ vultum cõſpiciunt tuum,
Haud aliter trepidant, quàm pauidæ
Viſo fugitant vulture volucres.
Ac ſi ſubitò nunc prodires,
Sæua attonitos mox formidine
Obmuteſcere cerneres.
Sin te ſummi nata tonantis
Culta ferocibus
Cynthia Tauricis
(O fama triſtis & meæ
Mater nefanda infamiæ)
In publicas ſæuire pecudes impulit:
Irata nullam ſibi relatam gratiam
Abs te, potitus quũ fores victoria,
Aut celebrium ſpoliorum
Donariis fruſtrata, vel
Venationis parte:
Aut æreo ſuccinctus

Thorace Mauors, cur tibi
Succenſeat, aliquas habet cauſas
Vt noctis tenebris ſub opacæ
Iniuria affectus aliqua
Inſidiis te exagitet.
Nam compos animi nunquam eò
O proles Telamonia deueniſſes
Mali, vt ita in armenta irrueres.
Morbus tibi diuinitus venit:
Sed Iuppiter Danaûm ſiniſtram
Vnà cum Phœbo famam arceant.
Quòd ſi fortè ab hominibus
Ab hoc ſubornatis, ſceleſtóque
Captant genere Siſyphi
Huiuſcemodi fabulas
Magnifici reges:
Ne quæſo, ne rex nauticis
Abſtruſus in tentoriis
Te ſic ſiniſtra fama oneres.
Sed è tuis mox ſedibus te proripe,
Nunc vbi diuturno te
Ac difficili conficis otio,
Peſtémque miſſam cœlitus
Magis magíſque accendis.
Ac hoſtium liberrimè, &
Formidine ſine vlla
Campis velut in ſpatioſis
Contra te erumpit petulantia:
Aſpera paſſim, quæ mea macerant
Sæuo corda dolore,
Effundunt conuicia.

Teg. O Aiacis ſocii nautica turba
Indigeníſque ſati ab Erechthidis,
Triſti quatimur pectora luctu,
Qui curam prolis Telamoniæ
Procul abſentis patriis ædibus

Solicitam gerimus.
Etenim acer nunc bellóque ferox
Magnúsque Aiax preſſus turbida
Tempeſtate iacet.

Chor. Nox iſta quódnam onus pro priſtina
Nunc attulit quæſo quiete,
Phrygii nata Teleutantis
Age narrato: quandoquidem te
Bello captam, & ſocii in partem
Thalami aſcitam martius Aiax
Adamat: nec enim ignara (vt opinor) es.

Teg. Quid rem infandam vobis referam
Triſtius ipſa morte malum audies.
Correptus nocte hac inſania,
Indignum patrauit facinus
Inclytus Aiax.
Mox intra cernes tentoria
Mactatas dextra pecudes.
Sanguinolenta,
Huius monimenta viri.

Chor. Intoleran dam & ineuitabilem
De incenſo homine adfers mihi famam:
Quæ iam apud Argiuos iactata
Increbreſcit ſermone omnium.
Torqueor hei ſolicita
Impendentis formidine caſus:
Ne celebris vir furiali
Percitus œſtro
Atras inferat ſibi ipſe manus,
Vt mucrone cruento
Pecora atque ipſos armentarios
Simul omnes iugulauit.

Teg. Eheu, en en iam nobis adeſt
Captiuum adducens pecudum gregem,
Quarum alias intus humi ſtratas
Mactauit, latus infixas alias

In ge[illegible]inas disrupit partes.
Mox arripuit binos arietes
Velleribus velatos candidis,
Caput alterius linguámque recidit
Extremam: verùm alteri
Sursum erecto astrictóque columnæ
Magna capistra manu tenens,
Duplici infligit verbera loro.
Interea impropetat conuitia
Quæ non ipse sibi, sed numen
Quo exagitatur, suggerit.

Chor. Nunc nunc tempus adest ô socii,
Leuibus caput inuoluite velis,
Inque fugam veloces
Conferte pedes:
Aut curuis considite transtris
Pontigradæque rati laxatas
Soluite habenas.
Rigidis tonabunt pariter Atridæ minis.
Ac metuo miserè ne
Occumbamus saxis obruti,
Pænámque mortiferam
Luamus vnà cum illo
Quem furor exercet
Insatiabilis.

Teg. Haud furit amplius: at velut acer
Ex flammifero prorumpens notus
Fulmine, tandem desiit:
Et nunc sanæ compos mentis
Cruciatu affligitur ille nouo.
QVIS QVIS proprias aspicit oculis
Ærumnas, nec habens partem in quem
Aliquam transfundat mali,
Magnos sustinet ille dolores.

Ch. Si liber à furore sit, vt ais, optimè
Nobiscum agitur: etenim malo ablato, simul

Noſtris timor faceſſet è præcordiis.
Teg. At fortè ſi quis optionem liberam
Tibi conferat, age vtrum expectas potiſſimùm,
An te ſuaui perfruente gaudio,
Summis amicos afficere doloribus,
An ſimul iiſdem concitari luctibus?
Chor. Geminum ô mulier eſt ſimplici maius malum.
Teg. Nos igitur expertes malorum affligimur.
Chor. Quî ſic cedo? nec enim ſatis id intelligo.
Teg. Vir ille morbo percitus graui, malis
Quibus erat obrutus gaudebat: &
Nos compotes rationis vrebat dolor.
At nunc furor quum ceſſet, & morbo à fero
Reſpiret, ægris angitur doloribus.
Nec nos dolore, quàm antè, cruciamur minus.
Cernis igitur iam è ſimplici duplex malum?
Chor. Sic eſt, tibi conſentio. at malè metuo
Ne plaga diuinitus aliqua eum iam obruat.
Nam quo modo id fiat, animi vt cõpos minus
Quàm preſſus illa calamitate gaudeat?
Teg. Rem ſic ſe habere mox faciam vt intelligas.
Chor. Quænam mali fuere initia, te precor
Profare, pariter id mali lugentibus.
Teg. Totam tibi rem expediero, in quem portio
Párſq; aliqua noſtræ etiam redũdat miſeriæ.
Nam nocte concubia faces poſtquam amplius
Nullo fugarent lumine tenebras, manum
Ancipiti obarmans telo, inutiles diu
Quærebat exeundi ab ædibus vias.
At ego increpans, Quam rẽ, inquam, agis cha-
Aiax? quid inceptas? vocatus nuntio [riſſime
Haud vllo, & iniuſſus quid hinc te proripis?
Nec claſſicum ſonuere tubæ, & exercitus
Totus quiete ſoporéque fruitur. Ille tum
Breui quidem hoc, ſed vſitato me ſtatim
Dicto repreſſit, Mulier, inquit, MVLIERI

Magnum decus confert silentium. ast ego
Simul ac id audieram, monere destiti.
Atque ille prosiliit foras solus: neque
Quid perpetrauerit ibi possum dicere.
Verùm domum reuersus, armentarios
Canes, bouésque, cornigeráque animalia,
Tenacibus constricta pariter vinculis,
Adduxit: ac aliis quidem colla secuit,
Alia ligans erecta mactauit, alia
Lacerauit, alia, viros veluti vinctos, flagris
Cecîdit: atque hoc sæuiit modo in pecus.
Tandem foras erupit, & loquutus est
Vmbræ cuidam, nunc in Atridas fremens
Acerba, nunc in ducem Ithacum: sæpe rigidos
Edens cachinnos, gloriabatur graues
Sumpsisse se pœnas de eorum iniuriis.
Rursus deinde prosilit in ædes furens,
Longóque tandem tempore ad se vix redit.
Compos sui postquam cruenta conspicit
Repleta strage tecta, verberat caput,
Exclamat, ac prostratus in cadauerum
Et clade funesta gregis recubat, comas
Dirè recuruis vellit, extrahit vnguibus:
Longóque sic tacitus resedit tempore.
Pòst deinde diris intonat verbis, mihi
Crudelia minatur, nisi totam ordine,
Vt accidisset, sibi calamitatem aperiam:
Scitatur in quodnam mali inciderit genus.
At ego metu perculsa rem, quantum quidem
Noram, recensui, ô amici, vt acta erat.
Atqui ille mox lamenta cœpit tristia
Profundere, & questus graues, quales ego
Nunquam antea ex illo audii ignaui viri
Ac mentis abiectæ esse dicere solitus
Est ciulatum huiusmodi: ac si quid prius
A Egrè animo erat, quietus ac ciusmodi

Ipse sibi lamentatione temperans
Intus gemebat, vt ferox taurus fremit.
At nunc tam atrocibus obrutus malis homo,
Cibo sine & potu iacet animalia
Inter media prolapsus: atque aliquid mali
Velle aggredi mihi videtur: talibus
Et vocibus replet & querelis æthera.
Verùm, ô amici, hac mota causa prodii,
Si quam potestis, ferte misero ingressi opem:
AMICI enim flectere amicos solent,
Ch. Proles Teleutantis grauia nobis refers,
Magnis virum furore correptum malis.
Aiax. Hei mihi, mihi.
Teg. Mox vt videtur altius, nunquid (precor)
Audistis Aiax quàm feros edat sonos?
Aiax. Hei mihi, mihi.
Ch. Affligi adhuc morbo videtur, aut acri
Veteris furoris ægritudine affici.
Aiax. Hei puer puer.
Teg. Heu me miserrimam, Euryfaces ah te vocat.
Quid cogitas? vbi es? hei mihi miserrimæ.
Aiax. Teucrum voco. Teucer vbinã est? perpetuóne
Prædas ab hostibus agit, ac ego pereo?
Ch. Iam compos esse sui mihi videtur: fores
Actutum aperiat aliquis: nam fortasse me
Coràm ille postquam aspexerit, verebitur.
Teg. En aperio, conspicere fas est facinora
Quæ fecit, ac quo nunc sit affectus modo.
Aiax. Chara mihi nautica cohors
Atque soli prorsus ex amicis
Nunc mihi relicti, &
Soli adeo rectis inhærere
Legibus comperti:
Cernitis quàm turbidæ
Iam procellæ ceu nigro
Æquore coortæ vndique

Me opprimant?
Ch. Hei vt nimis vera mihi de illo prædicas:
Certas furoris in homine video notas.
Aiax. O nautica auxiliaris
Mihi turba, quæ lentos per alta
Agitastis æquora remos,
Vos solos, vos (inquam) solos
Alios inter proceres
Mihi conspicor propitios.
At pariter me dedite morti.
Ch. Fausta loquere, neque quãdo medicinã malo
Facis malis, maiora tibi cumules mala.
Aiax. Conspicisne audacem
Fortis impauidsque
Martiis in præliis animi
Inter intrepidas feras manu
Strenuum? hei quibus cachinnis miser,
Hei quibus ludibriis sum expositus?
Quo probro me tam inani nescius?
Teg. Ah chare mi Aiax ne loquere talia precor.
Aiax. Non te amouebis? nunquid efferes pedem?
Ah, ah, ah, ah.
Ch. Ah per deos cedas malo: ad mentem redi.
Aiax. Ah me miserrimum
Qui manibus execrabiles
Emiserim pestes meis:
Armentáque in boum
Gregésque claros irruens
Atrum profudi sanguinem.
Ch. Quid te ob peracta conficis doloribus?
INFECTA fieri rursus illa non queunt.
Aiax. Hei qui intueris omnia,
O omnium semper malorum
Laerte progenite organum,
Veterator impurissime
Exercitus, quanta hæc videre

Tibi est voluptas! quos alicubi
Nunc excitas risus!
Chor. DEO volente quisque ridet & dolet.
Aiax. O mihi vtinam nunc liceat illum
Aspicere, quanuis inuoluto
Tam sæuis æiumnis...
Hei mihi, hei mihi.
Chor. Caue dixeris quicquam immodestius: vides
Quibus modo iaceas procellis obrutus.
Aiax. O stirpis autor Iuppiter meæ,
Vtinam perempto garrulo
Illo hoste, & impostore pessimo,
Geminisque regibus prius
Neci datis, tandem quoque ipse
Mortem oppetam.
Teg. Quãdo istud optas, simul etiã opta vt tecũ ego
Moriar. quid ah te mortuo viuere iuuet?
Aiax. Heu lux mea vt nunc in tenebras
Mutata es: ô lux fulgidissima
Olim, nunc densissimam
Euanida abiisti in caliginem.
Tollite vestrum, tollite dominum,
Abripite me. nec enim deorum
Genus, aut mansueto rum hominum
Sum, vt meum in auxilium conuocar, dignus.
Sed Ioue nata potens dea
Me lethiferis fauciat ictibus.
Quò mihi fuga patet?
Quò recurram? vbi manebo?
Hic amicis destitutus linquor:
Interiit prior, hei mihi, gloria:
Imminéntque, sat scio, simul alia.
Vesana in hac venatione
Procumbo: iam vniuersus accurret
Exercitus telis statim crispantibus
Atque manu vtraque vt me neci dedat.

Teg. Hei mihi, virúmne huiusmodi clamoribus
Resonare, quos nunquam edidisset antea?
Aiax. O vasto cum murmure fluuii
In apertum labentes æquor,
Antra maritima,
Littoraléque nemus:
Ah nimium me tempore longo
Ad Dardaniæ mœnia Troiæ
Detinuistis, sed non amplius
Me vitalibus ætheris auris
Vescentem retinebitis.
Atque hoc, quicunque modô intelligit,
Sibi persuadeat.
O Scamandri vndæ propinquæ
Beneuolæ Argolicis,
Me virum non amplius tantum
Conspicabimini,
(Magna dico) quantum
Troia ab Argiuis profectum
Non vidit oris.
At spretus hic nunc iaceo & inglorius.
Chor. Quî te cohibeam, aut quî sinam ista dicere
Non reperio, his quando implicatus es malis.
Aiax. Aî aî quis vnquam cogitasset id meum
Ita nomen esse calamitati congruum?
Nunc est procliue bis ter αἰάζειν mihi:
Tantis repentè sum malis circundatus.
Cuius quidem pater hoc in Idæo solo
Re fortiter clarèque gesta præmiis
Primis potitus, nobilíque gloria,
Domum rediit ornatus. atqui ego illius
Proles eôdem quum loci peruenerim
Ad Ilium, haud minore robore præditus,
Et res mea istac non minus claras manu
Quum gesserim: infamis apud Argiuos ita
Miserè pereo. Verùm, id mihi constat satis

Viuus si Achilles de suis sententiam
Dixisset armis, arbitérque ille potius
Præstantiæ virtutis extitisset, haud mihi
Arma illa præripuisset alius. Quæ quidem
Nunc gemini Atridæ versipelli ac pessimo
Homini dederunt, despicati huius viri
Virtutem & insignia facinora. Atqui nisi
Oculi acies versa aliò, ménsque de statu
Suo fuisset mota, non illi amplius
Talem virum contra tulissent calculos.
At indomita trucíque cincta Gorgone
Ioue nata diua iam manum intentantem eis
Fefellit obiecto furore pectori
Morbóque rabido, vti iugulatis pecudibus
Fuso feras cruore tingerem manus.
Ridere at illis nunc libet suauiter
Hinc me quidē multo fuga elapsis. NAM vbi
Obesse constituit deus, facilè fit vt
Ignauus effugiat viri fortis manus.
At nunc quid incipiam? diis quum sim palàm
Inuisus? odit me Pelasgûm exercitus:
Infesta quæ vniuersa Troia est, & etiam
Hæc prata. quid? domúmne repetā ac nautica
Hac deserta sede & Atridis maris
Vada cærula Ægæi secabo? At qua patrem
Fronte Telamonem contuebor? aut quibus
Me sustinebit ille conspicere oculis,
Nudum venire nec assequutum præmia
Præcipua, quorum gloriam ille adeptus est,
Et nobili ornatus corona? Equidē haud queo
Hæc perpeti: res non ferenda. At quid si ego
Troianæ in vrbis mœnia faciam impetum,
Solúsq cum solis manus ibi conseram.
Vt postquam aliqua præclara gessero, oppetā?
Sed sic Atridis grata fecero. haud placet.
Est tale tētādū itaque nūc mihi tale facinus,

Quo ætate confecto queam ostendere patri
Haud me ex eo degenere prognatum indole.
VIVACITATIS turpe desiderium est
Homini malis qui destinetur plurimis.
Nam quid diei adiecta delectabile,
Quæ mortis horam prorogat, dies habet?
Non assis equidem fecero istiusmodi
Quicunque frustra spe fouetur credula.
SED aut honestè viuere aut mori decet
Generosi homine animi. hæc mea est sententia.
Cho. Nihil loquutus es modò quod, Aiax tuis,
A moribus abhorreat: at istos tui animi
Reprime feroces impetus: ac id veris
Concede amicis, vt animum vincant tuum:
Téque his molestis libera cruciatibus.
Teg. AIAX here, haud vllum est malũ potentius
Maiúsue fortunæ necessitudine.
Siquidem ego libero fata parente & opibus,
Si quisquam alius inter Phrygas, pollente, nũc
In seruitutem sum redacta. sic Deo
Visum est tuæque maximè præstantiæ.
Verùm thori postquam tui cubilia
Ingressa sum, te vnicè amo, tuáque sedulò
Curo. Itaque quæso pérque Ephestium Iouem
Pérque socialis iura thalami, ne sinas
Me turbam apud fieri Pelasgam fabulam
Tristissimam, captiua si nunc hostibus
Tuis fuero relicta. Nam te mortuo
(Id statue firmiter) illo eodem me die
Gnatúmque pariter hunc tuum vi rapiet, ac
Demensum iniqua turba seruili cibum
Compellet ore sumere. quibus ast heri
Ludibriis, quibus abstinebunt nos probris
Incessere? vt acerbè loquentur coniugem
En coniugem Aiacis videte, fortior
Quo nemo erat in exercitu, quo seruitio

Pro vetere premitur gloria? talia aliquis
Iactabit: atqui infanda tunc me calamitas
Præcipitem eò dabit, tibíque hæc & tuo
Auditu erunt acerba generi, & turpia.
sed iam tuum reuerere patrem, quem graui
Pressum reliquisti senecta: annis matrem
Reuerere multis degrauatam, quæ deos
Supplex precatur sæpe vt incolumis domum
Saluúsque redeas: miscrearis filii,
O rex, tui, qui destitutus nunc miser
Eductione ætatis infirmæ, & patre
Te orbatus, ah puerile sub tutoribus,
Et non amicis, tempus exiget. Vide
Quantum mihi puróque, si mortem oppetas,
Cumules acerum calamitatum. Nec mihi,
Te præter, est quisquam auxilia cuius petam.
Tu patrias populatus es ferro domos,
Et morte matrem: at parca transtulit patrem
Sedes ad inferas. quis oro te, mihi
Pro te patria erit? quæue opes meæ? salus
In te mea Aiax tota solùm reposita est.
Nostri retineas memoriam: siquidem decet
Meminisse siquid suaue contigit tibi.
NAM gratiam generare sueuit gratia.
ANIMI nec est censendus ille, nobilis,
Cui effluit beneficii vnquam memoria.

Eh. Sic te moueri, Aiax, velim vt moueor ego.
Vxoris hercle verba laudares tuæ.

Aiax. Laudem profectò à me assequetur, si modò
Quæcunque iussero expedire illa audeat.

Teg. Charissime Aiax morem vbique gessero.

Aiax. Huc nunc, vt aspiciam, mihi adduce puerum.

Teg. Atqui metu perculsa eum emisi domo.

Aiax. Meámne propter calamitatē? aut quídnā ais?

Teg. Ne si alicubi tibi obuius fieret miser,
Morerctur.

Aiax. Haud alienum id à meis malis.

Teg. Vt hoc cauerem sedulò à me data opera est.
Aiax. Factum probo atque prouidentiam tuam.
Teg. Quomodo igitur gratum tibi facere queo?
Aiax. Coràm videre fas mihi sit & alloqui.
Teg. Apud ministros hîc propè in custodia est.
Aiax. Quid obstat igitur quo minus mihi copia est?
Teg. Fili, pater te appellat: huc adducito
Minister ocyus manu qui eum regis.
Aiax. Venítne iam vocatus, ánnon audiit?
Teg. Quin à ministro adductus, in propinquo adest.
Aiax. Attolle puerum, attolle: nec enim contuens
Cædem recentem hanc expaueſcet, si modò
Ille patriis imbutus est virtutibus:
Sed aspetis mox legibus generosi equi
Ceu pullus edomandus est, vt indole
Fiat parenti similis. O puer patre
Euade fortunatior, sed cæteris
Fac rebus vt respondeas: sic non malus
Fies. Beatum nate sed te prædico,
Quòd nihil malorum quæ fero, nunc sentias.
NAM vita iucundissima est quæ nil mali
Intelligit. desipere, non dolens malum est,
Gaudere donec & dolere didiceris:
Sed huc vbi perueneris, tum te decet
Quo sis parente genitus ostendere palám.
Confertáque inter hostium agmina, specimen
Edere aliquod egregium. interim verò leui
Nutrire spiritu, atque puerilem foue
Vitam: matríque huic tuæ sis gaudio:
Nec quisquam Achiuorum probrosa (sat scio)
Te contumelia notabit, ne quidem
Absente me: talem relinquam ego tibi
Teucrúmque cultodem additurus sum, tui
Qui sedulo curam geret, rectissimè
Vt educêre: etsi procul nunc hinc abest
Hostilibus prædas agens e finibus.

At istud à vobis beneficii peto,
O milites, nauticáque turba, isthæc mea
Mandata Teucro nuntiate, vti puerum
Ad patrios ducens lares, illum offerat
Patríque Telamoni, & etiam Eriboeæ matri
Vt dulce sit lenimen illis, & grauis
Solamen æui, donec inferos dei
Sinus subierint. Nec volo vllum de meis
Vt quisquam agonarcha instituat armis apud
Exercitus certamen Argiuos, neque
Contendat id pestis mea facere. Sed puer
Tu sume tibi (cuius refers nomen quoque
Eurysaces) ac per loca consutum mouens
Septemplicem insuperabilémque tene clypeũ.
Mandêtur arma reliqua mecum simul humi.
Sed quamcitissimè accipe puerum, & domum
Deducito, nec ciulatus nauticis
Hîc excita in tentoriis. cito mulier
Luctu atque misericordia afficitur. fores
Celeriter obfirma. HAVD profectò cuiusquam medici
Sapientis arbitor, vbi sectionibus
Morbus eget, incantationibus vtier.
Cho. Malè metuo, ne promptitudo aliquid mali
Portendat ista, ac omnosum est hoc quoque
Quòd lingua sic acuminata sit tua.
Te. Quisdnã premis animo precor here, aut quid no-
Aiax. INGENS est decus modestia. (ui moliris
Ne iudica, ne exquire curiosius.
Te. Hei vt crucior animi. at per vnicum tuum
Natum, deósque supplico tibi cœlites,
Ne nos tuísimque perditum hîc eas genus.
Aiax. Obtundis: an nescis nihil debere me
Diis amplius præstare? non sum debitor.
Te. Loquere pié.
Aiax. Dicista audientibus.
Te. Nunquid geres morem?

Aiax. Nimis multa loqueris.
Teg. O rex metuo.
Aiax. Nunquid aliquò hanc concluditis?
Teg. Per ego deos te obtestor vt sis lenior.
Aiax. Stultè videris mihi sapere, quæ nunc meum
Lenire te animum possit frustra cogitas.
Cho. O clara Salamis, tu quidem
Beata in æquore resides
Semper apud omnes inclyta:
Multi ac soles iam elapsi sunt,
Quum miser hîc ago dudum,
Idæis in pascuis
Fertilibus maneo.
Ingloriúsque versor,
Longi tritus temporis annis:
Prætereáque timore
Cruciatus assiduo
Ne cogar obscurum migrare ad orcum,
Et vnde patet reditus nemini.
Ad hæc mala accedit quoque
Immedicabilis Aiax, hei mihi,
Diuina oppressus vesania:
Quem prius, ô Salamis, victorem
Sæuis emisisti in præliis.
At nunc sui impos, solitarius
Vagatur, & amicos suos
Luctu conficit acri.
Verùm priora facta
Claráque virtutis monimenta
Ingrata apud ingratos
Iacent Atridas.
Quando tu iam multo confecta æuo
Canóque obsita senio
Illum mater desipientem
Miserrima audies:
Ah quàm miserabiliter

Non in modum querulæ
Luſciniæ plorabis:
Sed manifeſtos occines
Miſera eiulatus: feries
Pallida anilibus
Pectora palmis. vnguibus albos
Diſcindes inimica capillos.
EST ſatius atris ditis operiri vmbris
Quàm peſtifero ac immedicabili
Morbo agitari.
Aiax Graia cretus origine,
Non conſuetis agitur motibus,
Nec compos eſt animi.
O infelix genitor,
Qualem audies quámque miſeram
De filio tuo calamitatem?
Talem nemo vnquam, hunc præter,
Æacidarum ſuſtinuit. (latent
Aiax. IMMENSVS ordo temporum omnia quæ
Obſcura profert, & palàm facta, occulit:
Nec quippiam eſt quod non putes poſſe fieri.
Prenduntur omnia iureiurando quoque
Sancita, & obſtinata pectora. at ego
Præfracta qui induraueram olim pectora,
Ceu ferrum aquis quod tingitur ſtridentibus.
Nunc percitus mulieris huius lacrymis,
Sum mollius loqui coactus. Nam dolet
Miſerétque viduam hoſtes apud iniquiſſimos
Illã, atque puerũ hunc orphanum relinquere.
Verùm ad lauacra finitimáque littori
Me prata confero, cædem vt inſanam gregis,
Qua ſum coinquinatus, expiem, & grauem
Iram effugere deæ queam implacabilis:
Ac ambulabo donec inueniam alibi
Nullis locum veſtigiis contritum, vbi
Huncce gladiũ, armorũ omniũ inimiciſſimũ,

Terra sub effossa recondam, conspici
Ne possit, at nox & erebus stygiis eum
Custodiant regionibus. nam ex quo quidem
Tempore ego munus ab Hectore infestissimo
Hoc manibus accepi meis, nil inclytum
Nil glorioſum nactus ab Achæis fui.
Sed vulgò verum est quod ferunt prouerbiũ,
AB hostibus quæcunque dantur munera,
Non munera, sed inauspicata esse & mala.
At nos deis posthac scientes obsequi,
Honorem Atridis debitum exhibebimus.
Sunt principes, cedendum erit. cur non enim?
NAM quæque, vel validissima aut firmissima,
Subiecta sunt honoribus. niuosa sic
Æstati hyems dat fertili locum. dies
Quum vecta lucem candidis adfert equis,
Noctis locum dat nigricantis circulus.
Pontum procellis turgidum, & procacibus
Austris furentem mitiores aurulæ
Consopiunt: sic & quies validissima
Nunc occupat, nunc membra rursus deserit.
Quin esse nos modestiores discimus?
At nunc scio quòd hostis ego quum dicerer,
Hucusque eram grauandus odio maximè,
Amicus vt qui rursus esse candidus
Posse. COLENDAS etenim amicitias reor,
Sic vt perennes cogitemus non fore.
Nam plurimis mortalium tutus parum
Portus fuit amicitiæ, & infida statio.
Sed hæc bene sese habebunt. túque abi
Intrò, deósque comprecare, mulier, sedulò,
Vt quæ statui apud me, velint rata facere.
Et vos, amici, eadem quoque orate: ac vbi
Aduenerit, Teucro indicate quæ modò
Mandaui: vt ille beneuolè vostri gerat
Curã. interim autẽ ego, quò mihi est eũdũ ce.

Vos quæ imperaui facite. nam videbitis
Mox liberatum his omnibus fortaſſe me
Hoc tempore quibus vrgeor doloribus.
Cho. Commouit eum amor. aſt ego præ gaudio
Exulto. iò, iò, Pan, Pan.
O Pan marine, Pan ades
A niuibus conſperſo montis
Cyllenii cacumine.
O rex ducere diuûm
Doctè choreas,
Tales immittas mihi
Te quæſo choros, quales Nyſii
Gnoſiíque ducunt
Spontaneos.
Impetus nunc fert choros celebrare.
Qui ſuper Icarii ambulas
Æquora pelagi Delie Apollo,
Huc noſtris dexter ades votis,
Et beneuolus per omnia.
Triſtes etenim abſterſit ab oculis
Mars violentus ſolicitudines.
Iò,
Ter quater ió.
Iuppiter ô ſupreme
Candidis adeſt dies
Vecta iugalibus,
Quà fas eſt celeres accedere
Graiugenûm rates.
Quandoquidem luctificis Aiax
Obliuioni traditis laboribus
Sanctarúmque obſeruans legum,
Rurſus deos omni
Colit genere pietatis.
OMNIA ſpatioſi mora temporis
Accendit ſimul & conſumit.
Nihílque inexpectatum homini

Debet euenire,
Quando sic præter spem & expectationem
Ad pristinam mentem rediit Aiax,
Ac ingentia post certamina
Animum erga Atridas mutauit.
Nun. Homines amici primùm id ego fero nuntii,
Teucer recèns è Mysiis adest iugis,
Pérque medium dum fert gradus exercitum,
Conuiciis à toto Achæorum agmine
Excipitur,& mox progredientem longius,
Vt omnibus fuit agnitus,statim vndique
Cinxere, atrocibúsque lacerarunt probris
Hinc inde petulanter:fratrem illum quilibet
Iactabat esse proditoris pessimi,
Exercitus,neque procul id sanè abfuit
Quin lapidibus laniatus occubuisset.ac
Res tandem eò deuenit vt toto vndique
Stricti micarent agmine gladii.attamen,
Ad summum vbi inctuduerat,est contentio
Senilibus sedata mox sermonibus.
At dic vbi est Aiax?vt ista illi quoque
Nunc nuntiem:nam sic necesse est integra
Vt res heris recenseatur ordine.
Cho. Non intus est,sed exiit foras,nouis
Noua consilia meditatus antè moribus.
Nun. Hei,hei,hei.
Tardéne misit Teucer huc me:an verò ego
Quàm par fuit,confeci iter modò tardius?
Cho. Quid commodi propterea,precor,intercidit?
Nun. Mãdauit id Teucer vt homo arctè in ædibus
Seruetur,egredi neque sinatur foras
Vsquam loci,nisi ipse prius aduenerit.
Cho. Sed abiit ad mentem reuersus vtilem,
Ac vt deorum iram expiaret cœlitum.
Nun. Hæc verba sanè plena sunt dementia,
Si vera Calchas vaticinia protulit.

Ch. Quid id est? quid hac de re ille nouit, te cedo?
Nun. Id quidem ego noui, ac astiti præsens quoque.
Ex concione principum secesserat
Calchas relictis augur Atridis: dein
Teucrum prehendens dextera percomiter,
Vt diligenter hoc potissimùm die
Seruetur Aiax omnibus iubet modis,
Tentoriis ne quò recedat longius;
Vita fruentem si modò posthac eum
Videre concupiscitis. nanque hoc die
Ira Minerua affligitur dea graui.
SVMMA at viri quicunque sunt potentia
Simúlque magna prædiri immodestia;
In calamitates sæpe duras incidunt
Diuinitus: sic inquit augur: legibus
Qui sunt sati mortalibus, nec vt hominum
Natura ménsque poscit infirma, sapiunt.
Aiax lares sed quum relinqueret suos,
Dementis in morem bene monenti patri
Responderat. sic ille, FILI bellica
Virtute fac vincas, deo sed præside.
At arroganter hæc parenti rettulit
Atque stolidè: adiuuante, mi pater Deo
Victoria potitur ignauissimus.
At destitutus etiam ope illorum, scio
Bellíque me confidò adepturum decus.
Hæc glorioscè verba iactabat: dein
Erga Mineruam, quum iuberet hostium
Inferret vt manus cruentas agmini,
Dictu nefanda protulit, Regina ait,
Fer cæteris Graiis opem, non hostium
Hæc quispiam perrumpet in tentoria.
Huiusmodi verbis deæ implacabilis
In se furorem concitauit, non vt hominem
Bonum decebat, ipse de se sentiens.
Verùm ô viri, hac si luce vixexit, Deo

Fauente saluus, vt monet vates, erit.
At Teucer hæc vbi audiit, statim tibi
Mandata vt ista nuntiem misit, vt eum
Custodiatis. fortè si hinc euaserit,
Periit vir ille: si modò Calchas sapit.
Ch. O sortis infaustæ misera Tegmessa, ades,
Vide quid adferat tibi iste nuntii.
Periere gaudia, atque calamitas atrox
Articulo in ipso perdit & nos obruit.
Teg. Quid me diutinis defatigatam malis,
Ac iam quiescentem excitatis sedibus?
Chor. Audi hunc virum qd adferat tibi nuntii
De Aiace, quod dolore me miserum afficit.
Teg. Hei mihi, qd est quod ais mi homo, ãne piim?
Nun. Res sanè ego nescio tuas. de Aiace, si
Egressus est modò foras, spes concidit.
Teg. Egressus ille est, quod doleo. sed quídnã ais?
Nun. Tentoriis illum iubet naualibus
Teucer, domíque manere, nec solũm egredi.
Teg. Teucer vbínã est? aut quare id obsecro, iubet?
Nun. Mox præstò aderit, atq; miserè quoq; metuit
Vt ne sit exitialis Aiaci exitus.
Teg. Hei ter mihi miseræ: ex quo hominum id edo-ctus est?
Nun. Ex Thestoride Calchante didicit, hunc diem
Aut vitam ei aut adferre manifestam necem.
Teg. Vrgenti huic necessitati ferte opem
Simul ô amici, & vestrûm alii abite ocyus.
Properate, Teucrum accersite: ast alii ad iuga
Occidua montium: alii ad orientalia
Inauspicatum inquirite exitum. Ah ego
Miserè me ab illo sentio falsam, & malè
Vetere excidisse gratia. hei mihi, quid agam?
Haud confidendum est fili, ego rapidos feram
Quocunque gressus potero. eamus, puluere
Tardo fatigemur. sedendi haud est locus,
Seruare si virum velimus strenuum

Inferre qui nunc atras sibi properat manus.
Cho. Paratus ite sum. nec ostendam id modò
Verbis, celeritas consequetur pedum etiam.
Aiax. Mactator stoc constitit solo meus:
Ac, si cui considerare id otium est,
Qua partè maximè acuta prominet acies.
Donum quidem Hectoris omniũ intestissimi,
Cuiúsque mihi conspectus odiosissimus
Semper fuit, & acie recens penetrabili
Acuminata hostilibus stat Troadis
Defixus agris: ac ego defixi eum
Probè expeditum vndique, paratúmq; vt citã
Inferre huic viro necem queat. itaque
Instruximus sic optimè quidem omnia.
Iam tãtùm id est reliquum mihi. tu ô Iuppiter
Primus, id enim par est, iuua me. postulo
Haud vsqueadeo magnũ beneficiũ vt assequar,
Ad Teucrum aliquis vt eat facito, qui nuntiet
Famã hanc acerbam: vt ille me asportet sua
Primus manu collapsum in ensem rosido
Tinctum cruore: ne ab hostiũ forsan aliquo
Si conspicer, proiiciar auido vulturi,
Lanienáque canibus: ista voti, ô Iuppiter,
Summa est mei, simúlque subterraneum
Imploro maniũmque Mercurium ducem,
Vt vbi latus mucrone perrupero meum,
Saltúque celeri & absque cruciatu auehat,
Ac sopiat suauiter. Et inuoco etiam
Illas perennes vindices ac virgines,
Quæ semper intuentur oculis miserias
Mortalium graues: celeripedes deas,
Erynnias, quàm me fera afficiant nece
Atridæ, vt aspiciant, & illos pessimos
Horrente corripiant ad exitium manu.
Ac vt vident me cadere dextera mea,
Charissimorum sic quoque illi concidant

Ici manu. Ite, ite, properate vindices
Erynnies, gustate, nulli parcite,
Concutite, conficite vniuersum exercitum.
At tu per altum qui regis currum æthera
Aurate sol, patriam vbi conspicies meam,
Paulisper aureas habenas reprime,
Et calamitates & necem denuntia
Meam seníque patri & miserrimæ matri.
Quæ simul vt auribus necem miserabilem
Excipiet, eiulatibus totam statim
Replebit vrbé. Atqui quid hæc frustra attinet
Deflere? rem celeriter aggredi decet.
O mors ades, me respice ô mors. iam simul
Etiam deos versabimur apud inferos.
Téque adeo lux huius diei fulgida,
Ac te quoque auriga alloquor sol lucide
Postremùm hodie, & haud amplius, clarũ ô iubar,
Telluris ô patriæ sacrũ Salamis solũ,
O patrii lares, Athenæque inclytæ,
Cognata turba: ô flumina atque lympidi
Fontes, Phrygiáque prata vos nũc alloquor.
Valete alumni: iam vltimos Aiax sonos
Profatur, apud orcũ reliqua cũ vmbris loquar.
Sem. Labore fert labor laborem.
Quó? quó?
Quónam? quò ego me gentium non contuli?
Nec quispiam docere me locus potest.
At nescio quis strepitus auribus
Insonuit meis.
Hem videor mihi
Audire socios nauticos.
Sem. Quid? quid igitur?
Sem. Pars occidua mihi tota castrorũ fuit
Peragrata.
Sem. Habes igitur?
Sem. Multum laboris habeo, præterea nihil.
Sem. At nec mihi qua patet ad ortum semita

Vsquam vir ille apparuit.
Quis igitur, quísnam mihi deorum
Ex laboriosis
Æquoris numinibus
Sedibus degens sopori ignotis,
Aut deis ex superis,
Aut perenniter fluentibus
Ad Threicii littora Bosphori
Id nouit fluminibus?
Ac sæui animi errabundúmque,
Sicubi forsan viderit Aiacem,
Indicabit?
Nam miserrimum id puto, postquam labore
Hac illac tam longo circùm
Cursauerim, secundo eum
Ac prospero non assequutum me pede.
Sed ne quidem hominem euanidum
Potuisse iam vsquam conspicari gentium?

Teg. Hei mihi ter misere.

Cho. Quæ è nemore vox ad vsque castra resonuit?

Teg. Heu sortis infaustæ me.

Cho. Miserrimam video, captámque nuptâ prælio
Tegmessam, anxiámque eam luctu fero.

Teg. Actum est, amici, ego perii, lapsa omnia.

Cho. Quid id est?

Teg. Aiax recèns iugulatus oppetiit necem,
Mucronéque miser abdito indutus iacet.

Cho. Hei meos inauspicatos reditus.
Hei mihi tuos trucidasti
Classicos, rex, socios.
O calamitosa, & ô ter misera fœmina.

Teg. Res ipsa luctus & dolorem postulat.

Cho. At cuius ille concidit miser manu?

Teg. Ipsum sua, certum est. humi infixum satis
In quod fuit prolapsus id ferrum arguit.

Cho. Heu noxiam meam.

Eheu virum præstantem,
Ah quantus quàm miserè nullis
Septus amicis hic periisti.
Et ego iam stolidissimus
Omnium expertissimúsque rerum
Nullam tuæ gessi salutis curam. vbi,
Dic, vbínam iacet ille immobilis
Ille inauspicati
Nominis Aiax?

Teg. Non contuendus est, sed illius vndique
Circumuolutis membra vestibus tegam:
Nullus enim amicorum aspicere sustinuerit
Grauè naribus spirantem, atrúmque vulnere
Efflantem ab exitiali, & ictu sanguinem.
Hei mihi, quid aggrediar? quis asportabit hinc,
Aiax te amicorum? ah vbi est nunc Teucer? vt
Veniret huc in tempore, vt lapsum fratrem
Componeret. miserrime Aiax omnium
Quum tantus olim fueris, hic qualis iaces?
Quin hostibus etiam excutere lacrymas queas.

Cho. Ah satis te miserum
Esse declarabas.
Ah satis præ te ferebas
Pertinacia tua
Tam diuturna, te aliquid,
Machinari infandum,
Atque struere ex quo sequutura esset
Immensíque infinitáque laborum
Series: talia per totos dies,
Talia per noctes quoque integras
Pectore ducebas suspiria sæuo.
Talia in Atridas quoque
Hostiliáque adeo fero
Cum impetu iactabas.
Illa fatum duxit hora,
Pessimáque tum cœpit malorum hyems,

Quum generosa fuit proposita
De rutilis armis contentuo.
Teg. Hei mihi, mihi.
Cho. Generosum ad epar vulnus intrat intimum.
Teg. Hei mihi, mihi.
Cho. Haud miror equidem luctibus te confici,
Postquam es mulier orba adeo præstãtis viri.
Teg. Tibi quidem hæc videntur, at ego sentio.
Cho. Fateor id.
Teg. Heù nate mi in quæ seruitutis recidimus
Iuga? ah quibus seruitum heris abibimus?
Cho. Hei mihi suos
Geminos innuis
Infandum vestro in eruciatu
Atridarum facinus.
Verùm Deus ilthæc auertat.
Teg. Hæc sic quidem se habent vt ipse iam vides,
DIVVM sed absque haud contigere numine.
Cho. Acerbiores quàm decet pœnas dedit.
Teg. At hanc Vlyssi grata perficere volens
Seuit Ioue fata noxiam Pallas grauis.
Cho. Profecto atrocivariè
Exercitatus Vlysses
Animo lacessit atque correptum
Acri furore ridet Aiacem.
Heu heu, simúlque cum illo
Gemini cachinnos excitant Atridæ.
Teg. Quantum volent Aiacis insultent malis
Et gaudeant: vita fruentem si minus
Desiderauerunt, dolebunt mortuum,
Quum fortè belli hoc exiget necessitas.
SIC mente capti quũ bonũ manibus tenent,
Non sentiunt priusquam aliquis excusserit.
Mors illius longè accidit mihi acerbior,
Quàm posset illis esse grata. ipsi quidem
Optata fuit Aiaci: id assequutus est

Quod

Quod expetiuit: morte succubuit ea
Qua maximè voluit. Quid igitur illi habent
Cur rideant tantopere eum qui mortuus
Dijs concidit volentibus, non dextera
Illorum? Vlysses, si lubeat, atrocibus
Grassetur in vita solutum iniurijs:
Illis enim amplius est nihil. euanuit
Aiax: at infando dolore mihi miseræ
Luctúque relicto feram oppetiit necem.

Teu. Hei mihi.

Cho. Sis tacita, vocem audire Teucri sum modò
Mihi visus, isti calamitati consonam.

Teu. Charissime Aiax, dulce fratris ô caput,
Actúmne sic tecum est vti ferunt publicé?

Cho. O Teucer id scias, vir iste est mortuus.

Teu. Eheu grauem narras acerbúmque admodũ
In miseriam casum meam.

Cho. Ita quum est acta res,

Teu. O meter infelicem, & amplius etiam.

Cho. Materia parta luctui est.

Cho. O graue malum,
Subitú mque.

Cho. Nimiu m ô Teucer.

Teu. O tristissimam
Atque miserandã calamitatem. At vbi est puer?
Quis Troadis locus soli illum nunc tenet?

Cho. Est solus in t entoriis.

Teu. Ocyssimè
Propera, huc eum deduce, ne quis hostium
Ceu mortuæ catulum leænæ, atrociter
Abripiat. I, per pulueres celerem moue
Velox gradũ. Pro more eni hoc omnes habẽt
Ludribiis vexare, c ontumeliis
Agitare lapsos, atque cassos lumine.

Cho. Viuus etiam dum Teucer vt pueri istius,
Sicut facis, curam geras ille petiit.

Tec. O omnium quod ego oculis conſpexerim
Spectaculum triſtiſſimum: ô via omnium
Quam nunc ego ſum emenſus inuiſiſſima
Animóque tædioſa maximè meo.
Chariſſime Aiax, poſteaquam certior
De morte ſum factus tua, accinctus ſtatim
Itineri omnibus inſtiti veſtigiis.
Nam fama de te ceu ab aliquo eſſet numine
Diſperſa, vehemens caſtra per tota ſonuit,
Quòd dextera necé oppetiüiſſes tua.
Id verò ad aures vt meas percrebuit
Quum procul abeſſem, grauia ab imo pectore
Suſpiria protraxi. Aſt vt oculis contuor,
Dolore penè exanimor. Hei miſerò mihi
Vade, retege, vt quicquid mali eſt id conſpicer.
O triſtis aſpectus, ferox audacia!
Quantas, quàm acerbas comparaſti mihi tua
Curas nece Aiax! Nanque quò mihi pedes
Conferre, quas gentes petere erit integrum
Qui non tuis ſuccurrerim laboribus?
Anne tuus & pariter meus, Telamon pater,
Reducem abſque te demũ benigno atque pla-
Excipiet ore? faciet id, quid ni? cui (cida
Vel proſperis in rebus haud vnquam fuit
Ridere volupe, hic quid ſiſentio premet?
Aut quid mali in me, quid probri nõ cõgeret?
Me matre bellõ ſpurium capta ſatum
Ignauia nimiáque prodidiſſe te
Formidine, ô chariſſime Aiax, aut dolo,
Vt mortuo te tandem opes tuas ego
Domóſque ſolus obtinerem. Talia
In iurgia animum ſuſcitans, & percitus
Ira graui, ſenióque moroſus, ſcio,
In innocentem effundet, ac è patriis
Exul focis extrudat: ingenuúſque quum
Sim, ſeruus ob atrocia patris conuicia

Habebor: atque sic quidem mecum domi
Agetur. ast ad Ilium pauci mihi
Superant amici, hostésque multi. hæc omnia
Moriente te sum consequutus. hei mihi.
Quid agam igitur? qui te à fera gladii extraham
Crispantis acie? eheu miser quàm stabili
Mactatus occisore periisti! sdque te
Fore haud latuit vt Hector etiam mortuus
Te conficeret. Animum ad duorum aduortite,
Quæso, virorum fata per superos deos.
Hector quidem illo ipso quē ab hoc p munere
Acceperat, lacer ligatus balteo
Raptatus est equis quadrigísque in citis
Continuò quū exhalaret animā. ita hic quoq;
Dono illius potitus, illo ense cecidit,
Sæuo peremptus vulnere. ánne Erinnyes
Hunc fabrefecere gladium, atque balteum
Pluto ferus opifex? EGO hæc & omnia
Deos in homines machinari existimo.
Sicui minus probetur ista opinio,
Per me licet sumat aliam: hæc mihi placet.
Cho. Ne rem diutius protrahas, sed id operam
Da vt humi virū hūc mandes, simúlque cogita
Quid subitò sis dicturus: etenim conspicor
Hostem procul, qui fortè ridet hæc mala:
Taliáque dicet, quæ loquatur improbus.
Teu. Quemnam virum ex castris venire conspicis?
Cho. Menelaon ipsum, cuius hic gratia agimus,
Vastúmque pandis secuimus ratibus mare.
Teu. Video: facilè enim quū propè adsit noscitur.
Men. Heus te voco, te: néue componas manu
Cadauer, inhibeo: sed iacere sic sinas.
Teu. Qua gratia edictum adeo proponis ferum?
Men. Sic est mihi visum, ac ei quoque quem penes
Summum Pelasgi residet imperium agminis.
Teu. Dicésne quonam iure fieri id imperes?

Men. Quod quum ſocium & amicũ Achiuis à domo
Duxiſſe nos exiſtimauerimus, eum
Vel Phrygibus hoſtem atrociorem inuenimus.
Qui toti Achiuorum agmini ſæuam necem
Molitus, in nos, vt interimeret, irruit
Noctu: & niſi propitius aliquis hos deus
Fregiſſet impetus: eadem, quæ illius
Nunc in caput ſors recidit, extincti nece
Turpiſſima paſſim iaceremus, ſed hic
Luce ætheris frueretur. At violentiam
Deus hãc remouit, atque vertit in greges.
Atque ideo, quantumuis potenti, nemini
Fas fuerit vt cadauer hoc humo tegat:
Sed in virentem abiectum arenam littoris,
Illic aues paſcat marinas. Ac ob hæc
Nihil eſt quod indigneris aut ferocias.
Si viuum enim non potuimus compeſcere,
Omnino mortuo imperabimus, etiam
Nolentẽte: manuúmque vi prohibebimus
Ne ſepeliatur. nam vnus hic dum viueret
Semper meis parere iuſſis rennuit. (tus,
PERVERSI hominis eſt, nolle, quũ ſit ſubdi
Parere iuſſis principum: nec legibus
Florebit vnquam, ſi metus deeſt, ciuitas:
Nec bene regetur vllus vnquam exercitus,
Niſi ſit pudore, veluti vallis, & metu
Munitus. ATQVI cogitare quemlibet
Hoc conuenit, licet antecellat viribus
Leui repentè cadere poſſe ſe malo.
Cuicunque cũm pudore ſimul adeſt metus,
Huius ſaluti ſcito conſultum probé.
Iniuriæ aſt vbicunque atroces præualent,
Et cuique quod libet, licet, ſic iudica,
Vrbem breui illam rebus è proſperrimis
Ruituram in imum ac perditiſſimum ſtatum.
Metus itaque aliquis ſanciatur vtilis,

Nec grata postquam quæ fuere egerimus,
Fxistimemus non vicissim tristia
Non esse passuros. adeò sunt mutua hæc.
Antè hic fuerat & contumax & feruidus:
At nunc vicissim ego superbè me effero,
Ac tibi veto ne hunc sepelias: ne dum studes
Alii sepulcrum fodere, foueæ ipse incidas.
Cho. Menelae, speciosis caue sententiis
Sapientibúsque ne tuas dum res legis
In mortuos videaris este iniurius.
Teu. Nunquam ô viri mirabor amplius virum,
Ignobili si stirpe prognatus aliquid
Agat impiè: quum qui videtur sanguine
Claro sati, stultis adeo sermonibus
Peccant. Age vsque ab initio nunc omnia
Repetamus. An non te hunc ais vti fœdere
Iunctum, atque sociali huc Achiuis additum
Duxisse iure? an non suis ipse dominus
Sigæa petiit littora ratibus? cedô
Dux illius vbi tu fuisti? vnde hanc tibi
Illius hominibus, patrio quos huc solo
Duxit, potestatem imperandi vendicas?
Spartæ dominus, haud noster ades. vt eum tuis
Frænis domares, non tibi maior fuit
Vnquam potestas, quàm te vt ille reprimeret.
Subiectus aliis appulisti, haud omnium
Sanè imperator sic vt Aiax subditus
Potentiæ foret tuæ. ast in quos habes
Imperium, eis fac imperes: huiusmodi
Dictis seueris increpa illos. at hunc
Seu tu prohibeas, siue dux quispiam alius,
Non os reueritus hoc tuum, recondam humo,
Idque faciam iure. haud enim ille coniugem
Hic militauit ob tuam, veluti alius
Labore delassatus, aut gregarius
Miles aliquis: sed iureiurando quum erat

Obſtrictus, haud venit tua, hercle, gratia.
Supplex enim nulli fuit. ad hæc plurimos
Secum ille præcones domo abduxit ſua
Ducéſque proprios. Sed ob ſtrepitus tuos
Minaſque vanas, dexteram non verterim,
Sis talis etiam qualis eſſe poſtulas.

Men. Talem in malis non admodum linguã probo.

Teu. Nam dura nimium, quãlibet ea iuſta ſint,
Mordent tamen & vrunt malé.

Men. Haud parum ſibi
Profectò iaculator videtur hic ſapere.

Teu. Non ſordidæ vnquam artis ego opificia didici.

Men. Si ſcuta ferres quos proflares ſpiritus!

Teu. Veles etiam, ſuffecero armato tibi.

Men. Animum ferocem te alere, lingua tua arguit.

Teu. Quum cauſa iuſta eſt ſic ferocire licitum eſt.

Men. Iuſtúmne cenſes qui peremit me, bene
Adhuc cum eo agier?

Teu. Qui peremit? hem refers
Profecto perquam mira, ſi viuus etiam
Sis mortuus.

Men. Sed me Deus tutatus eſt:
Quod ad hunc, perieram funditus.

Teu. Ne igitur deos,
Seruatus ope deûm, probro contamines.

Men. Egóne deorum iura ſacrata violem?

Teu. Si quidem ſepulcro contegi mortuum inhibes.

Men. Hoſtem ſuum vetare, quàm id factum malé?

Teu. An hoſtis vllo tempore Aiax tibi fuit?

Men. Oſorem is oderat: ipſe non es neſcius.

Teu. Quum contra eum tuleris iniquos calculos.

Men. Quid? iudicum, non culpa id eſt factum mea.

Teu. Hoc clàm modo quoque multa furari queas.

Men. Hic poſſet irritare ſermo quemlibet.

Teu. Pòſt his acerbiora multo à me audies.

Men. Vnum hoc tibi dico, haud volo hunc ſepelirier

Teu. Id rursus audi, sepeliam: & quidem citó.
Men. Vidi virum lingua feroci præditum,
Qui nauitas, vt imminente turbine
Carbasa furentibus Notis expanderent,
Cogebat. at veleri deprensus turbine
Malóque pressus, ne quidem mutire erat
Ausus: sed obuolutus illic stragulis
Latitabat, atque à nauitarum quolibet
Se conteri pedibus sinebat. Sic quoque
Te pariter effrænis oris hanc tui
Petulantiam strepitúsque inanes mox leui
Ex nube turbo concitus repressérit.
Teu. At ego hominem dementia plenum mala
Vidi, graui qui calamitate sodalibus
Petulanter insultabat obrutis. dein
Quidam mei haud dissimilis, ac ira pari
Intuitus illum increpuit istis vocibus:
O, inquit, homo, ne quæso contumeliis
Manes lacessas inferos, si feceris
Id, ne putes impune tibi fore. Sic virum
Stolidum monebat ille qui præsens erat.
Ac nunc quidem oculis intucor illum, & nisi
Opinione fallar, haud quispiam alius
Te præter est. recténe diuinaui ego?
Men. Discedo: nanque, si audiatur, turpe sit
Punire verbis quem queas vi reprimere.
Men. Abi itaque: nanque audire mihi turpissimũ est
Futilem hominem adeò effutientem inania.
Chor. Ad magna videtur certamen
Eruptuum iurgia. verùm
Quantum poteris propera Teucer,
Concauam alicubi circunspicias
Fossam. vbi clarum ac perpetuum habeat
Martius Aiax iam monumentum.
Tau. At qui peroppoitunè adest cum coniuge
Huiusce filius viri, exequias vti

Misero parent cadaueri. ô puer huc ades,
Et propius assiste, ínque supplicis modum
Corpus parentis quo satus es attingitō.
Flexîsque procumbe genibus, manu tenens
Comas meas huiúsque, & vnà etiam tuas.
Thesaurus hic est supplicántium. At aliquis
Si te ex Pelasgo exercitu mortalium
Auulserit violenter hoc à funere,
Malus malè insepultus dispereat, humo
Iectus, atque cum genere radicitus
Toto suo extirpetur, hoc quo nunc modo
Hunc præseco cirrum. Tene, serua, ô puer.
Nec te aliquis hinc amoueat. apprédito manu
Genu aduolutus. Sed mulieres ne adeò vos
Accedite propè, sinite cónsistant viri
Loco priore. vos iuuate dum paro
Huic sepulcrum, etsi facere nemo id sinat.

Cho. Quæ mihi tempora tantarum adferent
Optatum ærumnarum finem?
Sēper immensos labores
Militiæ horridæ,
Atque miserias cumularunt atroces
Squallidos per Elii campos
Doricísque copiis probrosos.
O vtinam prius ætheris ardui
Euanidus ille abiisset in auras,
Mersúsue in atri flumina Ditis,
Quisquis Danais tristium
Communem armorum monstrauit
Vsum. hei alios alii
Progenuere labores.
Exitialis mortalibus ille fuit,
Ille virentibus humida
Cingere vetuit tempora sertis.
Intercepit calicum dulcem
Efferus vsum

Concentúmque ſuauem tibiæ,
Noctúrnæque quietis
Delicias & amores.
Hei mihi amores prorſus ademit.
Neminem pia noſtri
Cura ſolicitat.
Deſolatus iaceo
Humentes crebro madefactus
Rore capillos.
Hæc ſunt Dardaniæ monimenta
Triſtia Troiæ.
Ac antè mihi fuerat
Nocturnos contra metus
Tortáſque ſagittas munimen,
Martius Aiax.
Ille nunc triſti peremptus
Nece iacet. quidnam mihi, quid
Poterit oblectare pectora
Aſſiduis defeſſa laboribus?
O vtinam illic eſſem vbi
Imminet ſyluoſa pelago rupes,
Quam marinæ verberant vndæ
Summi ſub montis æquore,
Vbi ſacris ſalutem Athenis
Dicere liceat.

Teu. Properè citum moui gradum, vt vidi ducem
Agamemnonẽ huc greſſus ferétem, neq; mihĩ
Dubium eſt, maledica proferet conuicia.

Aga. Iam nuntiatum eſt mihi te atrocia admodum,
Impunè contra nos protuliſſe: heus, tibi
Qui genitus ex ſerua es: tibi, inquã, ego loquor.
Quòd ſi parente natus eſſes libera
Quas ederes voces? vt arrogantia
Sufflatus in ſummis gradereris vnguibus?
Quando nihili homo quũ ſis, p eo iã dimices
Qui eſt prorſus in nihilũ redactus. nec duces

Classis, ne et iam exercitus venisse nos
Summos Achiuûm, nec tuos iuraueris:
Sed, vt ais, Aiax ipse dux suus appulit.
Hæccine homine seruum nefandũ est eloqui?
De quo viro tandem ita superbis intonas
Clamoribus? quò abiit? vbinam constitit
Vbi non etiã ego? an præter hunc nullos habet
Danaus viros exercitus: certamina
Armis de Achilleis tibi visi sumus
Acerbiora inter Pelasgos principes
Fortè statuisse. An vbique Teucro cœtui
Existimabimur improbi? quando semel
Victis lubebit cedere; & tot iudicum
Sententiæ acquiescere? an conuitiis
Nos semper impetetis, aut latentibus
Pungetis insidiis doloque? His moribus
Leges profectò non queant statui bonæ
Si iure quicunque superior euaserit
Extruserimus, atque superatum habuerimus
Potiore dignitatis ordine. at vnicè
Id est cauendum. NON enim his qui corporis
Sunt mole vasta atque spacioſis præditi
Humeris oportet maximè niti viris:
Verum magis prudentia qui præualent,
Vbique dominantur. ita vasto corpore
Bos semitam in rectam leui compellitur
Flagello. at id etiam tibi esse remedium
Censeo adhibendum mox, nisi modestius
Composueris animum ferocem, qui viro
Non amplius viuente & vmbra euanida
Fretus, procaci verba animis atrocia
Profundis ore. an non modestius agere
Aliquãdo disces: quóque sis genere satus
Intelliges? alium mihi adduc liberum
Hominẽ, tuã hîc pro te qui agat causã. haud enĩ
Capio satis quidnam loquaris, rusticos

Nec barbaræ linguæ ſonos intelligo.
Chor. Vtrique veſtrûm vtinam foret mens ſanior:
Nihil hoc queam vobis precari ſalubrius.
Teu. HEV quàm celeriter mortui alicuius perit
Ac effluit beneficium, quando hic tui
Paruã adeò tenet Aiax memoriã, hei hei mihi,
Cuius ſalutem ſæpe quo defenderes
Propriæ fuiſti prodigus mauortijs
Vitæ in periculis. ſed omnia irrita hæc
Euanuere. ô quàm ſtolida nunc multáque
Verba es loquutus! Ecquid Agamẽnõ memor
Es temporis adhuc illius quo aliquando vos
Hîc ſeptã valli intra coactos vndique
Ac iam fugatos prælióque perditos
Ille eripuerit ſolus ex periculis?
Quid? quando populabatur iniectus rates
Ignis foróſque ſerperet per nauticos
Flamma rutilans, Hectórque ſuperatis ferox
Foueis cauatas inſiliſſet in rates:
Quis iſta propulſauit? Aiax, an ſua id
Non præſtitit manu? Quid igitur nunc ais
Cum nemine auſum conſerere? is hæc facinora
Tam clara deſignauit, atque cum Hectore
Rurſum ille ſolo ſortibus iactis ſua
Sponte eſt ad arma ſolus auſus congredi,
Non vſus aliqua in ſortiendo aſtutia,
Nec humido in mediũ ex luto ille calculum
Conierit: aſt eum foras qui caſſide
Criſtis decora primus exulturus erat
Hæc ille fecit. ac ego pars quoque fui
Non parua, ſeruus matre natus barbara.
Quid animi erat tibi hæc miſer quum diceres?
Non cogitabas quis patris fuerit tui
Progenitor: antiquus Pelops, & barbarus
Phryx? Atreum autem, quo genitus es, omniũ
Hominum fuiſſe flagitioſum maximè?

Qui proprios dedit epulandos impia
Dape liberos fratri. Ipse verò Gnosia
Genitrice es editus. hanc simul cum adultero
Tuus depriendisset parens, mox piscibus
Obiecit illam pabulum. tali satus,
Adhuc mihi audes exprobrare meum genus?
Qui sum quidem parente Telamone genitus,
Cui propter altum fortitudinis decus
Hic præter alios est habitus honor, meam
Vt coniugem acciperet matrem quæ regia
Prognata stirpe Laomedontis filia
Fuit, Herculésque munus eximium dedit.
Quum vir igitur præstans vtroque parente sim
Progenitus optimo, graui mihi sanguine
Iunctos nota contaminarem, quos iubes
Tristi depressos calamitate iam abiici
Sic insepultos: nec pudet te hæc dicere.
Verùm id tibi dictum esto, si quò abieceris
Istud cadauer, eò quoque simul coniice
Nos treis. honestius id enim ac præclarius
Puto fore, si pro fratre dimicans cadam,
Quàm pro tua tuíue fratris coniuge.
Proinde non minus quod ad me pertinet
Expende tecum, quàm quod ad te cogites.
Nam siquid in me machinaberis mali,
Faxo equidem vt huius te ferociæ malè
Pœniteat: ac te timidiorem pòst modò
Frustra voles fuisse potius quàm ferum.

Cho. O rex Vlysse in tempore ipso huc aduenis,
Si quidem potius ad iurgia dirimenda ades
Quàm ad excitandum latius id incendium.

Vly. Quid id est viri? clamoré enim audiui eminus
Geminorum Atridûm ad strenui istius viri
Cadauer.

Aga. Indignis sumus conuiciis
Ab hoc lacessiti homine nunc Vlysse rex.

Vly. Quibus? veniã enim illi do, quũ audierit prior,
Si in te viciſſim dicta regerat maledica.
Teu. Mala audiit, ſed ille fecit talia.
Vly. Quid fecit igitur pœnã vt hanc commeruerit?
Aga. Hunc inſepultum ſe relicturum negat.
Quin me quoque inuito ſepulturum ſe ait.
Vly. Fásne erit amico vera dicere, & nihil
Minus tuam retinere amicitiam mihi?
Aga. Age, fare: nec enim mente ſana eſſem, niſi
Te inter Pelaſgos ſummum amicum ducerem.
Vly. Audi ergo. Ne hunc virum, inſepultũ, te precor,
Funebribus nec abſque iuſtis abiice.
Ac per deos te quæſo, nec violentia,
Animíque ſæuus impetus te ita ſuperet,
Vt huius odio concitus, crudeliter
Diuûm proculces iura. quin mihi quoque
Ex quo ſum Achillæis potitus præmiis,
Infenſus vt qui maximè fuit, atque me
Exercitu in toto oderat quampeſſimè
Ac talis erga me licet tum ille fuerit,
Tantum tam abeſt vt probro afficere velim,
Vt, demptoAchille, iudicem etiã illum omniũ,
Quicunque Dardanias petiuimus domos,
Fortiſſimum. ſi hac itaque contumelia eum
Affeceris, ages impiè: nec adeò eum
Sed ſacra violabis decreta numinum.
NEQVE iuſtũ id eſt, quũ functus eſt vita, pbũ
Lædere hominem, etiamſi oderis eum peſſimé.
Aga. Pro illóne contra nos Vlyſſe dimicas?
Vly. Quid ni? oderam illum odioſè quãdo fas erat.
Aga. Nunquid etiam inſultare par te eſt mortuo?
Vly. NE gaudeas Agamemnon impio lucro.
Aga. Non ſemper eſt facile pia facere regibus.
Aga. At bene monenti amico honorem tribuere.
Aga. Parêre principi virum decet probum.
Vly. Quieſce, vinces victus ab amicis tuis.

Aga. Expende quali beneficia confers viro.
Vly. Etsi fuerit hostis, fuit præstans tamen.
Aga. Quid agis? honorem impertis hosti mortuo?
Vly. VIRTVS apud me pluris est quã hostilitas.
Aga. Genus hominum id mortalium leuissimũ est.
Vly. Multi profectò sunt amici, & postea
Gerunt simultates.
Aga. Amicos tu tibi
Tales velis habere?
Vly. Præfractum ego animum
Durúmque nõ amo.
Aga. Timidi te autore nos
Hodie videbimur.
Vly. Omnibus iustissimi.
Aga. Quid? vt cadauer humo tegi sinam iubes.
Vly. Iubeo, atque eò quidem ipse conferam gradũ.
Aga. Vt quisque semper ea suis quæ congruunt
Studiis facit!
Vly. Cui magis quàm me mihi
Consulere conuenit?
Aga. Tuum hoc vocabitur
Opus, haud meum.
Vly. Si feceris habebere bonus.
Aga. Age, id scias, me rebus in maioribus
Gratum tibi facturum: at iste siue sit
Hic, siue sit alibi, mihi inimicissimus
Erit, tibi tu quæ placent, fac: liberum est.
Cho. Quicunque sapientem te Vlysse non putat,
Hunc ego profectò mente captũ iudico.
Vly. At verò nunc Teucro ista abeo vti nuntiem
Méque antè si inimicus fuerim, amicum iam ei
Esse, & simul velle sepelire mortuum.
Vnà laborabo: nec vllum denique
Quod debet impendi viris fortissimis
Hoc tempore, officii genus neglexero.
Teu. Vlysse præstantissime, omnibus modis

Tuam probo sententiam multúmque spe
Iam sum mea frustratus. etenim quum tibi
Ille fuerit toto Pelasgorum agmine,
Maximè inimicus, solus ex omnibus ei
Opem tulisti, nec lacessere mortuum
Iniuriis voluisti atrocibus impiè.
Vt ille furiis percitus dux cum fratre
Hunc contumelia probrísque turpibus
Contaminatum ac insepultum statuerant
Abiicere? Quare vtinam qui olympi lucida
Gubernat astra Iuppiter, & Erinnyes
Memores, & vltrix supplicia quæ atrocia
Vindicta deportat, malos perdant malé.
Vt hunc virum voluere laceratum probris
Abiicere? At ô proles senis Laertis haud
Equidem audeo permittere, vt funus tuis
Hoc manibus attrectes, acerbum ne quid huic
Quod mortuo sit, fecero. At alia, siqua sunt
In his tuam operam naua, & aliquem si voles
De exercitu alium id facere, nõ ingratum erit.
Reliqua ego perficiam omnia. Atqui tu quidé
Inmos boni es perfunctus officio viri.

Vly. Volui equidem. at si facere nos non sit tibi
Gratum, abeo, & approbo tuam sententiam.

Tel. Satis est, multum iam est elapsum
Temporis. hic vestrûm alii toucam concauam
Festinate effodere: alii tripodem
In flammis sublimem sacris
Aptúmque lauacris sistite, & vna
Ex castris citò turma virorum
Ornamenta armorum
Fulgida portet.
At clare puer tu quod vires ferent,
Genitorem apprendito amantissimè,
Mecúmque vnà latera hæc alleua.
Atrum adhuc feruidæ in altum.

Venæ eructant sanguinem.
Sed age hic quisquis amicus huic adest,
Adiuuet, operam det viro
Præstanti Aiaci, mortalium
Quo non alius, tunc quidem
Quum frueretur, dico,
Lumine vitæ, fuerit melior.

Cho. QVAM multa homines edocet vsus?
Nec quisquam est vates tam præscius
Qui rerum posset, nisi viderit,
Fatidico euentum edere pectore.

ANTIGONE

Sophoclis, poetæ tragici, Georgio Rotallero interprete.

ARGVMENTVM ANTIGONES ex Græco.

MORTVVM Polynicem in singulari, quo cum fratre depugnauerat certamine, Creō insepultū abiicit, publicóque edicto cauet ne quis sepeliat, mortem violatæ legis pœnam statuens. Hunc soror eius Antigone sepelire conata clam custodibus, terra obruit: quibus mortem minatur Creon nisi autorem facinoris producant. Absterso itaque puluere, vt antè, excubias agunt. Reuersa autem Antigone quum retectum cadauer videret, eiulatu ipsa se prodit: ac mox à custodibus tradita, sententiáque Creontis condemnata, viua in speluncam concluditur. Hæc quum perquam dolenti ferret animo Æmō, cui ea desponsata erat, sibi ipse iuxta virginem laqueo strangulatam manus adfert. omnia hæc antè quum Tiresias vaticinatus esset. Vxor verò Creontis Eurydice tā tristi casu commota se interimit. Ad extremum luget Creon & filij sui & vxoris necem.

ALIVD ARGVMENTVM. Aristophanis grammatici.

ANTIGONE præter edictum regium sepelire fratrem deprehensa, in subterraneū specum conclusa, à Creonte necatur. quale re Æmon dolore & vehementi quē erga virginem gerebat amore concitatus, ense se trāsfigit. cuius item morte mater perculsa seipsam occidit. Fabula ab Euripide eadem tractata est in Antigone. Sed ibi cum Æmone deprehensa, illi in matrimoniū datur, & Mæonem parit.

Fabulæ actio Thebis Bœotiæ constituitur. Chorus ex indigenis senibus constat. Præfatur Antigone. Finguntur autem geri hac regnante Creōte. Præcipua sunt sepul-

tura Polynicis, Antigones ſupplicium, & mors Eurydi-ces matris Æmonis. Aiunt Sophoclem magno ſibi para-to ex editione Antigones nomine præfecturam Sami ob-tinuiſſe. Acta fabula eſt bis & tricies.

PERSONÆ FABVLÆ.

ANTIGONE.
ISMENE.
CHORVS *Thebanorum ſenum.*
CREON.
NVNTIVS.
CVSTOS *nuntius.*
AEMON.
TIRESIAS.
ALIVS *nuntius.*
EVRYDICE.
SERVVS.

SOPHOCLIS ANTIgone,

Georgio Retallero interprete.

ANTIGONE.

CHARA præter cæteras mihi soror
Ecquid malorum quo OEdipi agitatur domus
Nũc restat amplius, quod in nostrum caput
Dum viximus, Iouis ira non effuderit?
Etenim nihil tam triste, nec durum, nihil
Tam turpe, nec probris refertum, quod tuis
Et in meis non conspicata sim malis.
At nunc quid est, quòd publico præconio
Creonta toti vrbi imperasse prædicant?
Nihílne inaudisti? tenésne? an te latent
Nunc hostium grassantia ad amicos mala?

Ism. Nec lætus ad me fero, nec perlatus est
Acerbus, ex quo fratribus nostris sumus
Orbæ duobus, qui die vno mutua
Iacent perempti cæde: & Argiua agmina
Nac esse nocte cæsa, nil scio amplius,
In prosperóne res statu sint, an secus.

Ant. Id ego sciebam, téque ea huc nunc gratia
Accersii extra regiam, vt sola audias.

Ism. Quid id est? videris enim mihi turbatior,
Et nescio quid animo reuoluere anxio.

Ant. Quid? non sepulcri nunc Creon fratrũ alteri
Tribuit honorem, at contumelia alterum
Affecit? Eteoclem quidem degentibus
Apud inferos honore cultum mortuis
Et iuri & æquis obsequutus legibus
Recondidit, vt aiunt, humo. At Polynicis he-

Miſerum cadauer voce publica vetat
Nequis ſepulcro mandet aut etiam fleat:
Sed inſepultum, non rigatum lacrymis
Auibus ſuaues dent dapes, vti lanient.
Atque hæc bonum ferunt Creõta tibi & mihi
Quin mihi quoque edixiſſe dico, & neſciis
Veniſſe vt iſta voce clara nuntiet:
Non res agi leues, ſed eſſe publicam
In vrbe mortem deſtinatam ſingulis
Qui tale quid patrauerint. ſic ſe hæc habent.
At degener num nata ſis ex optimis
An verò clara & nobilis, mox videro.
Iſm. Ah, quid ego miſera, ſi ſe habent ſic res, queam
Efficere, ſi nunc legibus non obſequar,
Fratríſque corpus ſi ſepulcro contegam?
Ant. Num me velis iuuare tecum cogita.
Iſm. Heu quale facinus! ſanáne ſatis es ſoror?
Ant. Iſthac necatum ſubleuare dextera.
Iſm. Auſuráne ſepelire quum ſit inhibitum?
Ant. Fratrem meum, & ſi non velis, etiam tuum.
Nec enim vllo id ego velim negare tempore.
Iſm. Quid miſera quum Creon id inhibuit paras?
Ant. At non poteſt vetare quin faciam id meis.
Iſm. Eheu,
Quanto pater flagrarit odio cogita
Mea ſoror, & vt inglorius ſit mortuus.
Peccata poſtquam reſciit ſua, propriis
Effodit oculos vnguibus. deinde genitrix
Et pariter eadem vxor (duplex illud malum)
Collum implicata fune, vitam finiit.
His adde tertium, necem miſerrimam
Fratrum duorum, quos die vno mutuis
Scis concidiſſe cædibus. ſolæ ſumus
Superſtites: conſidera quanto ſoror
Peribimus crudelius, tyrannica
Si edicta vel potentiam aſpernabimur.

Sed fine mea me temeritate tristia
Hæc sustinere. nihil graue adeo perferam
Vt non honestè glorioséque moriar.
Vlm. Si sic tibi visum est, abi. scito hoc tamen
Stulta aggrederis: at rectè amicis consulis.
Chor. Solis ô pulchrè radii micantes,
Lúxque Cadmæis celebranda Thebis,
Nulla conuexo magis auspicata
Fulsit ab axe.
Aureæ tandem hic oculus diei
Prodiit curru radiante vectus,
Et super Dirces spatiatur altè
Fulgidus vndas.
Militem claris venientem ab Argis
Mox fugæ turpi dare terga fecit,
Martio quanuis foret apparatu
Diues ab omni.
Qui duce in nostram Polynice terram
Venerat sæua stimulatus ira,
Iurgiis motus dubiísque rixis
Dira fremebat.
Vt Iouis summo veniens olympo
Armiger plumis coopertus albis,
Deuolat, latè strepitúque acuto
Æthera complet.
Constitit celsæ super arcis ædes
Ense munitus galeáque & armis,
Vndequaque hastis inhiabat vrbi
Sanguine tinctis.
Victus at fugit trepidè priusquam
Posset insanas satiare fauces,
Et nimis nostro cupidum cruore
Tingere guttur.
Antequam posset piceus flagrantes
Igne Vulcanus populare turres,
Flammáque incensi superaret ardens

Culmina tecti.
Terga mox hosti per iniqua serpsit,
Tantus incussus timor est repentè,
Aggerem circum dedit hunc draconi
Dextera Martis.
IVPPITER linguæ petulantis odit
Glorias, & conspiciens venire
Impetu magno & crepitu superbos
Diuitis auri,
Dispulit fastum nimis insolentem.
Mœnia & quum iam ruerent ad vrbis
Ac forum læti canerent triumphum
Fulmine strauit.
Flammiger sæuis metuendus iris,
Mænadum diro furiosus œstro
Turbine infesto violenter vrbis
Mœnia perflat.
Sed miser pœnas dedit hîc atroces,
Saucius tristi cecidit ruina,
Occidit cœco temeratus atri
Fulminis ictu.
Dexterum Mauors moderatus agmen
Nunc in hac felix agitabat ora,
Nunc in aduersos veniebat hostes
Omnia turbans.
Vrbis ad septem totidem ordinati
Sunt duces portas paribus locatis
In pares, summóque Ioui dederunt
Ænea dona.
At fratres vno genitore nati
Matréque, infestis iaculis furentes,
Mutuam in mortem miseri ruerunt,
Flebile fatum.
Fauit at Thebis dea bellicosis,
Atque præclarum peperit triumphum.
Nunc duces vestrum est rigidum quietos

Ponere ferrum.
Nocte diuorum sociis choreis
Templa veloci pede nunc petamus,
Sed satus Thebis Eleleus choreas
Ducat anhelas.
At rex auspiciis nouis deorum
Et nunc imperio recèns potitus
Proles clara Menœtii Creon, en
Prodit nescio mente quid reuoluens,
Indixítque senum celebriorum
Conuentum, omnibus huc palàm citatis.
Cre. Respublica, ô viri, diis volentibus
Diu procellis concitata turbidis,
In pristinum rediit decus. quocirca ego
Missis seorsim nuntiis accersier
Vos imperaui: quòd sciam vos sedulò
Coluisse semper Laii potentiam:
Et idem tenente regni habenas OEdipo
Feciστis: ac postquam ille ita periit, fidem
Seruastis eius liberis hanc integram.
Dein vt quoque illos vnica rapuit dies,
Gemino simul fato, impiéque mutua
Iacent manu peremptι: ego nunc proximo
Cognationis iure sceptra retineo.
AT difficile cuiuslibet hominis animum,
Sententiam aut prudentiam est pernoscere,
Ni publico sit functus ille munere,
Vrbísque rectè exercitatus legibus.
QVIS QVIS regẽdæ præfuerit vrbi, optima
Si non capessat consilia, sed præ metu
Constricta linguæ vincla liberè gerat,
Meritò is mihi videtur esse pessimus
Nunc & fuisse semper. ac siquis putet
Quenquam sibi potiorem amicum patria,
Hunc neutiquam esse amicũ habendũ cẽseo.
Etenim ego, testis sit mihi qui conspicit
Et nouit omnia Iuppiter, silentio

Nec tegere quicquam quod nocere ciuibus
Posset, velim. NEC hunc amicum existimo
In patriam quisquis animum hostilem gerit.
Siquidem scio hãc seruare nos: quæ dũ viget
Incolumis, haud dubium est, amici suppetent.
Eiusmodi vrbem præmonebo legibus,
Atque his similia ciuibus præconio
Laturus aduenì OEdipi de prolibus.
Ac de Eteocle quidé statuo, quum fortissimè
Pro patria pugnans cecidit, ac strenuè
Vbique se gessit, sepeliatur: simul
Alia obruentur, quæ solent clarissimis
Adferre manibus decus: sed alteri,
Puto Polynicem qui volebat patrios
Exul focos, deos penates funditus
Vastare flammis: qui volebat sanguine
Satiare se fratris, atque ciues liberos
Pressos iniqua seruitute abducere:
Huic itaque, publicè vniuersæ vrbi veto,
Nequis parentet, lugeátve funera:
Sed insepultum auibus, dapes gratas, sinant
Atque canibus laniari, & assici à feris
Hac contumelia. hæc mea est sententia.
NEQVE verò apud mevnquã scelesti præmia
Bonísve honorem consequentur debitum.
Sed amicus huic qui ciuitati vixerit
Siue moritur, digna feret ille præmia.
Ch. Sic tibi Creon visum est, vterque vti suis
Promerita factis consequatur præmia.
Leges tibi de mortuis, & pariter his
Qui viuimus, rogare quaslibet, licet.
Cr. Seruate igitur hæc quæ imperaui, seduló.
Chor. Id oneris impone potius iunioribus.
Cr. Sunt additi hi custodiæ cadaueris.
Chor. Quid igitur aliud præter hæc nunc imperas?
Cr. Ne assentiaris qui minus parent mihi.

Ch. Tam stultus est nemo mori qui sic velit.
Cr. Hæc proposita merces. SED improba spes lucri
Sæpe miserandum fert hominibus exitum.
Nun. Quàm nunc anhelus huc Creon cucurrerim
Velociter valde leuem tollens pedem,
Referre nolo. Nam inciderunt per vias
Sæpe mihi cogitationes plurimæ,
Sæpe retuli vagum reuersurus gradum.
Mens multa sic tacitè mea monuit, Miser
Quò tendis? an pœnas dare cupis, quò eò eas?
Si manseris, resciscet id tamen Creon
Tandem ab alio: quas non pœnas miser lues?
Talia reuoluens, tardius, properans licet,
Confeci iter. sic fit via breuis longior.
Demum enim animus peruicit huc vt currerẽ,
Etsi volupe nihil adferam, dicam tamen.
Firmatus hac spe aduenio. passurum nihil
Me noxii, id fatale nisi mihi fuerit.
Cr. Quid est quod anxiè adeo te solicitum habet?
Nun. Primùm tibi id de me affero, nec hoc scelus:
Patrasse me, nec scire quis patrauerit:
Néque iure malè mulctarer hîc aut plecterer.
Cr. Bene prouides, causamque præmunis tuam
Vndique: sed aliquid dicere videris noui.
Nun. PERICVLOSA non carent magno metu,
Cr. Dic igitur vt solutus omni abeas metu.
Nun. Id nuntio, aliquem iam sepulcro mortuum
Mandasse furtim, abiisse verò puluere
Cadauer vt texisset arido, ac sicco ul
Soluisset imis quæ sacrantur manibus.
Cr. Quid ais? quis est ausus hominum tantũ scelus?
Nun. Ignoro, nec enim ferri ibi vestigium:
Nec saucia bipenne vspiam, ligone nec
Effossa humus arida & æqua, nec fracta aut ro-
Prosciss a fuerat: coniici autor non potest. (ti
Atqui diei illius, vt monstrauerat

Custos, stupenda est omnibus ea visa res.
Nil conspici potuit, neque tumulus vllus erat.
Incertus exiguus fuit puluis, scelus
Vt qui fugeret: adhæc neque feræ, nec canum
Venientium aut laniantium vestigium.
Ac dimicatum est acriter verbis quidem,
Custósque custodem arguebat criminis.
Incruduissent penè rixæ ad verbera.
Neque enim aderat tũ quispiã qui dirimeret.
Suspectus alter semper alteri fuit,
Nec certũ erat quicquam, negabant scire se.
" Candens parati ferrum eramus tollere
" Nuda manu, aut transire flammas, & deos
" Iurare, nos nec esse peccati reos,
" Nec conscios iuuisse verbis vel opera.
At quum relictus nullus esset amplius
Indagini locus, en metu quidam caput
Omnes humi demittere coegit. nihil
Siquidem satis quod diceremus aut bene
Faceremus in promptu erat: at hæc fuit illius
Sententia, omne nunc tibi negotium
Patefaciendum, nec tegendum esse amplius.
Et visa potior sors. at ômiserrimum
Me elegit, vt mihi lucrifacerem id commodi.
Adsum igitur inuitus apud inuitos, scio:
NAM nemo nuntia adferentem amat mala.
At hoc, Creon, diuinitúsne euenerit
Negotium, animus disputat meus diu.
Cr. Desine priusquam penitus ira me occupet:
Neu stultus inueniare pariter & senex.
Nam non ferenda dicis, huius mortui
Curam gerere deos? quid? ánne honoribus
Dignantur illum afficere, & vt bene meritum
Mandare humi, qui venit vt templa vndique
Celsis columnis fulta cum donariis
Vastaret igne funditus? & eorum humum

Legésque dispergeret? AN vnquam apud deos
Malis honorem habitum fuisse existimas?
Erras. sed hæc ægrè ferebant plurimi.
In me fremebant clanculum ciues, caput
Tacitè vibrantes, & iugum impatientius
Ceruice sustinuere vt ea quæ iusseram
Facerent. & ex his colligere satis queo
Mercede conductos patrasse illud scelus.
ETENIM nihil hominibus perinde noxium
Natura, vt argentum, aut malum maius tulit.
Euertit vrbes propriis è sedibus,
Domóque ciues excutit, docet, animos
Mutat bonos, vt se ad malas res applicent,
Fallacias quasuis struere quibuslibet,
In rebus omnibus impiè agere. at qui scelus
Conductus istud præmiis patrauerit,
Tandem mihi grauissimas pœnas dabit.
Ac si Iouem summum colo, certò tibi
Persuadeas, id iureiurando assero.
Facinoris autorem nisi indicaritis
Corámque me huc deduxeritis, vna mors
Non satis erit, sed pensiles viuósque vos
Supplicia cogent hanc fateri iniuriam:
Vt tum sciatis vnde lucrum postea
Vobis petendum, atque simul id vestro malo
Discatis, haud ex qualibet re commoda
Captandáve esse lucra. NAM turpes ferè
Quæstus magis sunt noxii, damnique plus
Secum trahunt quàm ferre possunt cõmodi.
Nun. Nihílne mandas amplius me dicere?
An ad meos referre gressus imperas?
Cr. Quin i, molestus sermo iamdudum est tuus.
Nun. Aurésne stimulat, an potius animum tuum?
Cr. Quorsum id requiris vbi dolor me cõmouet?
Nun. Discruciat autor sceleris animum, aures ego.
Cr. Heu quàm mihi plus quàm par est, es garrul?

Nun. Huiúsne criminis me esse reum autumas?
Cr. Et prodigus vitæ ob pecuniam es tuæ.
Nun. Heu quàm graue est sic suspicarier malé.
Cr. Famam loquacitate satis ornas tuam.
At ni mihi autorem breui indicabitis,
Quanta, mala lucra, damna pariant videbitis.
Nun. Vtinam inueniri possit: at siue fuerit
Seu non deprehensus fuerit, id sitū in manu est
Fortunæ: ego huc nunquam reuertar amplius,
Nunc præter omnium opinioné ac spé meam
Seruatus: est quod gratias diis agam.
Chor. PLVRIMA vbique stupenda videmus:
Sed nihil vsquam natura homine
Æquè stupendūm protulit.
Ille canas æquoris
Obruentibus ratem
Fluctibus transire aquas
Non horret: ac deorum
Summam, tellurem celeberrimam,
Incorruptam ac indefessam,
Obliquis proscindit aratris,
Annósque exercet per singulos,
Equísque validis versat.
Volucrum pennigerum genus,
Ac belluarum gentes
Agrestium, rapidóque
Editos pisces mari
Func nexis retibus
Capit, atque vndique circumplectitur
Industrius & homo vafer.
At montinagas variis machinis
Vincit feras: hirsutum
Pendente per colla iuba
Subiugat equum: ferocem
Montésque domat habitantem
Taurum: & eloquentiam

Consiliáque ventosa edidicit.
Rigidíque iurgia fori.
Sub Ioue gelido nimium duras
Vitare didicit sedes,
Asperáque iacula imbrium.
Rerum omnium peritus,
Instructus, nihil est imperuium.
SOLIVS orci effugium
Non inuenit: sed morborum
Excogitauit grauium
Medicinam artibus, & sapientia
Quàm credi posset maiore
Est præditus. aliquando
Ad virtutis studium fertur,
Aliquando ad vitium. QVVM patrias
Seruat leges & iustitiam,
Tota colitur in vrbe.
At quando nullo temerarius
Studio mouetur honesti,
Vilior est quàm vt ciues inter
Numeretur, aut locum habeat.
O vtinam neque eodem mecum
Tecto vnquam contingat viuere,
Nec amicus fiat qui talia
Patrare facinora audet.
At at, hoc infelix prodigium
Terret, nec me fallunt oculi:
Quum videam quî potero inficias
Ire Antigonam hanc esse, ô misera
Miseri OEdipodis filia patris.
Quid? legibus num ducunt
Te rebellem regiis,
Deprehensámque in factis stolidis?

Nvn. Hæc est nefandum quæ patrauit hoc scelus:
Hanc sepeliétẽ apprendimus. sed vbi est Creõ

Chor. Eccum domo reuersus opportunè adest.

Cr. Quid hoc rei est? Iustáne pœna plectitur?
Nun. REX, nihil inexpectatum hominibus accidit.
Consilia alia superant alia: quandoquidem
Nunquam reuersurum me ego iuraueram,
Perculsus atrocibus tuis minis. sed hoc
Quod præter omnẽ spem obtigit mihi gaudiũ
Superare quaslibet voluptates potest.
At venio publica fide, licet aliter
Iurauerim: atque adduco mecum virginẽ hãc:
Quã modò sepulcrũ ornate deprehẽdimus.
Nõ iacta nũc sors est. sed hoc pprium est meũ
Lucrum: alteri non obtigit. Age hanc tu tibi
Rex sume, próque tuo arbitratu iudica,
Cõuince: ego autẽ absoluar, vti iustũ est, mala
Huiusce suspicione liber criminis.
Cr. Quid? hánccine adducis? vbi nact⁹? quo modo?
Nun. Hæc sepeliit virum, vt semel dicam omnia.
Cr. Nunquid satis quę dicis etiam intelligis?
Nun. Hanc ego quidem sepelire vidi mortuum,
Quem vetueras: manifesta sunt quæ nuntio.
Cr. Dic quo modo conspecta, quî deprehensa sit.
Nun. Sic acta res est. vt minis perterritus
Abs te recessissem, cadaueri leuem,
Quo tectum erat, detersimus mox puluerem,
Tabíque corpus diffluens nudauimus.
Ac considentes sub Ioue locis editis,
Ne grauior aliquis læderet nares odor:
Vir excitando virum agitabat asperis,
Siquis labori parceret, conuiciis.
Ac tempus hoc transegimus totum modo,
Donec coruscum splendidi solis iubar
Fulgeret æthere medio, æstúsque vreret:
En derepente turbo fulmen, cæli onus
Terra excitans campos explcuit, flamine
Campestris horrido comas syluæ quatit.
Turbatus aer vndique est: percellimur

Venien-

Veniente morbo cœlitus: visus oculis
Præripitur. At cessante turbinis impetu
Postea puella cernitur, quæ flebili
Lamenta voce personat auiculæ in modum
Orbata nidi quando conspicit sui
Cubilia, & pullis vacui: sic hæc quoque
Cadauer vt nudum videt, acerbè gemit,
Et eiulat, dirísque deuouet omnibus
Facinoris autores: neque mora, puluerem
Fert manibus aridum, & operoso vasculo
Artificis ornat optimi inferias suas,
Fundítque crebra cadaueri libamina
At posteaquam vidimus id, accurrimus,
Illámque venati sumus nullo metu
Perterritam, factúmque prius, & nunc recens
Exquirimus, nihil negat: volupe id mihi
Audire fuit, & triste pariter. Nam malis
Quòd hoc modo sim liberatus maximis,
Gaudeo: at amicos in pericula doleo
Cecidisse: sed longè minoris hæc tamen
Propria soleo salute semper ducere.

Cr. At tu caput oculósque humi figens, ais
Hoc te patrasse facinus: an verò negas?

Ant. Ego me patrasse aio, nec est quare negem.

Cr. Tu quò voles te hinc auferas, licet graui
Hoc absolutus crimine. At tu breuiter id
Non vsa multa ambage, dic mihi, sciueras
Præconio id fuisse publico inhibitum?

Ant. Quid ni? sciebam, perspicuum erat omnibus.

Cr. Qua fronte leges ausa eras has transgredi?

Ant. Non summus hæc mihi imperarat Iuppiter:
Nec iustitia deos quæ habitat apud inferos
Inter homines qui iura sanxerunt pia.
NEC iussa tanti ponderis tua æstimo,
Mortalis vt perennia deorum queas
Temerare iura insculpta mentibus hominum.

Non hæc heri, aut sunt nuper admodũ edita:
Vixêre semper: quóque tempore cœperint
Scit nemo. Non hæc debui ego hominis vllius
Perculsa sceptro, aut arrogantiam timens
Violare, postmodo diis pœnas graues
Pensura. Moritura sum: id me haud fugerat.
Quid ni? etiam id etsi publico præconio
Non imperasses, si ante tempus oppetam,
Id in lucro positura sum. NAM plurimis
Quicunque viuit inuolutus miseriis
Veluti ego, quî non, si occidat, luerum ferat?
Sic quoque mihi hoc fato mori nihil dolet.
At ex eodem progenitum vtero fratrem
Sic insepultum si reliquissem, dolor
Iustus foret. at illud nihil me commouet.
Ac si stolida nunc aggredi tibi videar,
Stulti propemodum arbitrio stulta æstimor.

Chor. Durum genus videtur ex duro patre.
Dare nescit ingruentibus locum malis.

Cr. SED scito, consilia nimis ferocia
Nimísque dura, vt plurimùm malè cedere,
Rapido chalybs excoctus igne, quamlibet
Validissimus, confringitur, vti conspicis,
Et comminuitur. Sic lupatis etiam equi
Ferocientis edomatur impetus.
NEC verò decet altos proflare spiritus
Quisquis alienæ est subditus potentiæ.
Athæc fuit tantum ausa flagitium, vt mea
Violarit edicta: & simul vt id fecerat,
Mox alterum adiecit nefas, ceu re optimè
Gesta, superbè glotiata est, ac scelus
Risit. sed illa vir profectò sit, haud ego,
Impunè si sceptra huic potentia iaceant.
At siue sit sorore progenita mea,
Seu sit etiam Hercæo propinquior Ioue,
Nec illa, nec iam effugere poterit pessimam

Soror necem: nam de sepultura hanc quoque
Fuisse consilii puto sociam. Ast eam
Nunc euocate: nam modò intus percitam
Furore vidi, neque sat animi compotem.
Siquidem solet hominum mali mens conscia
Qui fraudis aliquid moliuntur clanculum,
Prius deprendi sæpe quàm patrent nefas.
Talem odi ego, qui sceleris etsi sit palàm
Conuictus, illud adhuc vt ornet nititur.
Ant. An maius aliquid quàm necare me potes?
Cr. Nihil quidem. id quum fecero, omnia fecero.
Ant. Quid ergo cunctare? vt mihi non grata sunt
Nunc verba tua, nec vnquam erũt: sic arbitror
Nihil meorum quoque tibi probarier.
Atqui vnde gloriam mihi magis nobilem
Parassem ego, quàm si fratris corpus mei
Contegere humo? hoc his omnibus dici queat
Placere, nisi linguam metus constringeret.
Verùm beata non parum tyrannis est
Et rebus in aliis & in eo plurimùm,
Quòd liberè illi, quæ libet, facere licet.
Cr. Soláne tuorum ciuium id tu perspicis?
Ant. Videant id etiam illi, sed os tibi sublinunt.
Cr. At non secus quàm isti pudet sentire te?
Ant. Non est pudendum colere cognatos suos.
Cr. Nunquid quoque fuit frater alter qui periit?
Ant. Fuit, atque iisdem natus ex parentibus.
Cr. Cur igitur hos tribuis honores impio?
Ant. Ne sic quidem peremptus alter iudicat.
Cr. Haud aliter illum honore quàm impiũ afficis.
Ant. Non interemptus seruus, at frater iacet.
Cr. Vastans solum natale, quum hic defenderet.
Ant. Tamen hasce stygius Pluto leges flagitat.
Cr. At non paria sumere bonis debent mali.
Ant. Quis nouit an apud inferos hæc sint pia?
Cr. Nunquam mihi sit amicus hostis, ne quidem

Vbi mortuus fuerit.
Ant. At ego non ad odium
Sum nata, sed colendum amorem mutuum.
Cr. Ad orcum vbi descenderis, si amandum erit,
Illos amato. at donec ego cœlestibus
Auris fruar, nunquam imperabit fœmina.
Chor. En propatulis nunc Ismene
Lacrymas sororias
Exultans, nube supercilii
Vultum deformat purpureum,
Formosásque genas humectat.
Cr. Tu verò dimissa vt per ædes vipera
Meum latenter quæ ebibisti sanguinem.
Neque id sciebam nec duas regni mei
Nutrire pestes. At age tu dicito mihi
Huius sepulturæ fuistíne socia
An iureiurando negas te noxiam?
Ism. Fui, modò hæc consentiat, sum particeps,
Culpæque eidem, si qua sit ea, obnoxia.
Ant. Non id sinet iustitia: nec enim tibi fuit
Studium iuuandi me, aut voluntas: neque etiá
Communicaui rem
Ism. At tuorum non pudet
Soror malorum, socia ero periculi.
Ant. Quorum id opus est, Pluto deique conscii
Sunt inferi. A T verbis amantem non amo.
Ism. Ne me soror, de hac quæso contumelia
Macules, vt vnà me mori tecum vetes,
Fratrémque funere expiare mortuum.
Ant. Nec tu oppetas necem, neque tibi vendices
Quæ haud attigisti: me mori sufficerit.
Ism. At quæ esse sine te vita mihi grata poterit?
Ant. Roga Creontem, nam illius curam geris.
Ism. At quid ita me excrucias soror, nec adiuuas?
Ant. Doleo equidem quantumlibet te rideam.
Ism. Qua re tibi poterit vsui esse mea opera?

Ant. Seruato te ipsam. non enim inuideo, tibi
Quòd consulas atque fugias periculum.
Ism. Væ
Miseræ mihi, non mortis ero consors tuæ?
Ant. Tu perfrui vita, ast ego mori malui.
Ism. Nunquid futurum id antè prædixi tibi?
Ant. Rectè his sapere videre: at ego malui aliis.
Ism. Vtriusque, sed commune peccatum id fuit.
Ant. Confide, tu viues: at animus mortuus
Dudum est mihi, vt gratũ facere functis queã.
Cr. Harum puellarum alteri iam erepta mens
Est, alteri autem inde vsque fuit ab initio.
Ism. Non mens eadem remanet, ô rex, in statu
Quo est nata miseris hominibus, sed excidit.
Cr. Tibi quidé, quum vis mali esse particeps.
Ism. At quid sine illa viuere mihi volupe sit?
Cr. Quiesce, non enim illa viuit amplius.
Ism. Quid? sponsa filii tui necabitur?
Cr. Haud fœminæ deerunt creandis liberis.
Ism. Non inter illas hoc modo conuenerat.
Cr. Haud filium volo fœminæ iungi improbæ.
Ant. Charissime Æmon te vt facit patrui pater!
Cr. Nimio dolore te torúmque conficis.
Ism. Priuabis igitur filium hac sponsa tuum?
Cr. Pluto tremendus nuptias has finiet.
Ism. Itaque statutum est, hanc tibi dedere neci?
Cr. Satis est, tibi nec mihi moras necte amplius.
Corripite famuli has intrò: posthac non erit
Fas liberè istas obuagari virgines.
AVDACIBVS etiam fugam suadet metus,
Finem suæ vitæ imminere quum vident.
Chor. FELICES quibus ærumnis sine
Grauibus fuerit transacta ætas.
Nam cui quassa est á superis domus,
Nulla est luctificis meta doloribus,
Longámque petunt posteritatem:

Non aliter quàm tumidum fluctibus
Efferuet pelagus, quum Boreas furens
Sæuis incubuit flatibus, & ciet
Toto denſa mari nubila, turbidum
Ex imis ſabulum proruitur vadis,
Triſti cum gemitu littora perſonant.
Hei quæ video damna ruentium
Labdacidarum, ac alia excipiunt
Mala rurſum alia: éque his aſſerere
Nunquam progeniem poſteritas poteſt.
Obruit illam ſæua deorum
Ira, ærumnis nullus adeſt modus.
Aliquod radicibus extremis
OEdipodis per ſtirpem reliquum
Fulgebat adhuc lumen, quod nunc
Infernales dii extinxerunt
Puluere lethali, dementia
Sæuíſque animi furiis. QVIS præcor
Hominum faſtus diuinam vnquam,
Rex diuûm ſupreme, potentiam
Cohibere queat, quam nec languidus
Labefactet ſomnus, nec menſes
Longi indefeſſíque deorum?
Aſt æternis regis imperiis
Splendorem fulgentis olympi:
Quod nunc eſt, & quod præteritum,
Quódque futurum eſt, ſemper adeſt tibi,
Arbitrióque tuo ſubiectum eſt.
AT QVI lex hominum eſt, hæc generi data,
Vt nemo ſine noxiis
Ætatis peragat ſuæ
Tempora luctibus.
Etenim incertis ſedibus errans
Spes multos iuuat homines
Rurſúſque leui ſæpe cupidine
Multos decipit: opprimit inſcium

Citius, quàm queat ardenti rogo
Imposuisse pedes. AT pulchrè
Sapientérque à quodam dictum
Esse videtur,
Apparere malum quod tamen est bonum
Illi, cui mentem ad perniciem Deus
Impellit, temporéque exiguo
Contingit fines flebili
Viuere luctu.
En nouissimum tuorum
Liberorum germen Æmon,
Anxius venit puellæ
Misera propter fata mœrens,
Quæ toris illi nuptalibus
Dedicata est nuper: his te
Nunc misèr frustrarier
Impotenter angitur dolétque.
Cre. Mox vacuis sciemus ipsis rectius.
Fili, an vbi desponsa futura calculos
Latos inaudisti vltimos, ades in patrem
Ira fremens: an potius ea quæ fecimus,
Grata, vt decet, tibi acciderunt omnia?
Aem. Pater, tuus sum, ac mente præditus bona
Me corrigas, quam semper ego lubens sequar.
NEC enim foret honestũ gubernanti tibi
Legitimè, præferre me vllas nuptias.
Cr. Hoc te decet sentire toto pectore
Vt cuncta postponas patris sententiæ,
O nate. & hæc est causa cur homines velint
Summísque votis gignere optent liberos
Obtemperantes ac fouere in ædibus,
Vt vindicare iniurias ab hostibus
Factas queant, æquísque amicum honoribus
Cum benevolis pariter colant parentibus.
QVISQVIS at inutiles ferit proles, cedò
Quid nisi sibi plantat labores? & graues

Multóſque præbet hoſtibus riſus ſuis?
Caue nate, ne ſanam tibi mentem auferat
Vnquam nefaria fœminarum cupiditas.
Ac eſſe noris frigidum nimis improbæ
Mulieris amplexum, toris quæ iuncta ſit
Iugalibus. QVOD enim eſſe tetrius poteſt
Hulcúsue maius infideli & improbo
Amico? igitur hanc vt maleuolam reſpue.
Sine ſtygio alicui ſub orco nubere.
Nam poſteaquam ciuitatis legibus
Inueni eam ſolam rebellem ex omnibus,
Mendacii vrbs ne me coarguere queat,
Illam neci dedam. Iouem quantum volet
Cognationis præſidem imploret. SI enim
Qui genere ſunt iuncti mala patrent, arbitror
Longè eſſe ſatius mihi alienos paſcere.
Quicunque enim fuerit domi probus ſuę,
Vrbi videbitur etiam toti probus.
At quiſquis æquum tranſgreditur, atque violat
Leges, & imperare cogitat ſuis
Principibus, haud illum ego laudauero.
Sed quem vrbs ſtatuit, is proiſus audiẽdus eſt,
Seu leuia, ſiue iuſta, ſiue iniuſta ſint:
Atque hunc ego tandem virum rectè ſimul
Et imperare poſſe & obſequi puto.
Ac horrida vbi procella Martis ingruit,
Locatus in acie manebit, ac bonum
Sociúmque ſe præſtabit imperterritum.
NVLLVM eſt enim inobediẽtia grauius malũ
Hæc perdit vrbes, turbat, euertit domos.
Hæc pugnam vbi res poſtulat, fugas ciet,
Ac terga vertere præcipit trepidantia.
SIC ſubditorum iurſus obedientia
Multis ſaluti eſt. hæc bonis erit omnibus
Tuenda principibus: nec à mulieribus
Vti violetur perferendum: nam à viris

Si quidem neceſſum eſt, ſatius eſt euertier,
Ignauiores ne vocemur fœminis.
Cor. Sapienter hæc ſanè videris dicere
Nobis: niſi iam ætate fortè fallimur.
Æm. Pater, dei mentem indiderunt hominibus,
Quæ ſit quibuslibet opibus præſtantior.
Ego verò quòd non iſta rectè dixeris,
Neque potero ſanè neque ſciam dicere:
Et fortè quod dicis alii probabitur.
Verùm meſ eſſe exiſtimo officii, pater,
Proſpicere tibi quæcunque dicta factáue
Sint ciuium quæ derogant famæ tuæ.
Nanque tuus aſpectus timore concutit
Horrente ciuem, fortè ſi quid dicat is
Quod non ferat tuis voluptatem auribus.
At ego ſuſurrantes ea audio clanculum.
Vtque hanc puellam tota ploret ciuitas,
Ceu quæ mulieribus toleret ex omnibus
Indigna maximè, & nec modò peſſimæ eſt
Adiudicata, ob glorioſa facinora.
Quæ luctuoſo in prælio cæſum fratrem
Non inſepultum à cruda deuorantibus
Perire canibus voluit: aut auibus feris
Iacere pabulum. aureo nónne hæc fuit
Potius honore digna? tacitè ſpargitur
Obſcura de te fama talis. Mi pater
Dum tu, ſtatúſque permanet regni tui
Incolumis, optabilius aut antiquius
Nihil eſſe mihi poteſt. quod etenim gaudium
Aut quæ voluptas maior eſſet liberis
Quàm nobili florere patrem gloria?
Quid rurſus eſt à liberis iucundius
Parentibus? NE quæſo conſuetudinem hanc
Tueare pertinacius, nihil vt putes
Rectum, niſi quod ipſe dixeris. ETENIM
Quicunque ſe ſolos ſapere, lingúaque vi

Vel pectoris pollere, quam alii non habent,
Existimant, isti rete cti sæpius
Comperti inanes sunt. VIRO etiam discere
Non turpe sapienti est, minúsue renitier.
Vidésne quotquot arbores torrentibus
Extra alueum exundantibus cedunt, suos
Seruare ramos integros: radicitus,
Quotquot renituntur, perire & eruí?
Sic quoque gubernator ratis quisquis nimis
Tendit pedem, nec cedit auræ & fluctibus,
Tracta rate tabulísque versis nauigat.
At cedito iræ: da locum sententiæ
Meliori. ET ego (si quod modò adolescentiæ
Iudicium adest) præcellere virum hũc autumo
Aliis hominibus, maxima sapientia
Qui præditus sit: at secus si res habet,
(Nanque huc solent perrarò vergere)
Etiam obedire bene monentibus aliis.

Cho. Rex, siquid hic dicat boni, æquũ attendere est
Te nunc vicissim: vtrinque enim dictũ probè.

Cre. Ætate an hac discendum erit mihi sapere;
A iuuene stulto, & prædito tali indole?

Aem. Iniusta nulla. SI iuuenis ego sum, decet
Spectare non tam tempus ac rem expendere.

Cr. Egregia verò res scelestos vt colam.

Aem. Nunquam id iubebo, in impios vt sis pius.

Cr. Deprensáne hæc obnoxia fuit morbo huic?

Aem. Thebana non id tota dicit ciuitas.

Cr. Præscribit vrbs ne quæ mihi imperanda sunt?

Aem. Considera vt loquaris hæc temerariè.

Cr. Alii gerenda sceptra non mihi forent.

Aem. Num ciuitas est quum vir vnicus incolit.

Cr. Quid? non regenda vrbs imperantis legibus?

Aem. Vt solus in deserto agro regnum geras.

Cr. Certamẽ iste pro muliere suscipit.

Aem. Si quidem mulier es: nam tui curam gero.

Cr. Sceleſte cum parente contendis, tuo?
Æm. Non iure te patrare talia video.
Cr. An pecco regni iura dum colo mei?
Aem. Non ſic colis, quum diis honorem debitum
Calcas pedibus.
Cr. O indolem impuriſſimam,
Victámque fallacis mulieris artibus.
Aem. Nunquam manus ego vitiis victas dabo.
Cr. An non tueris ſedulò illius vicem?
Aem. Tuam, meámque, & inferorum numinum.
Cr. Non hãc habebis coniugem viuam amplius.
Aem. Si quidem illa moritur, alterum ſecũ trahet.
Cr. Erumpit etiam iſta in minas audacia?
Aem. Quæ ſunt minæ quãdo ad animi vanũ impetũ
Reſpondeo?
Cr. Non ſine tuo magno malo,
Faxo docebis me ipſe quum mentis es inops.
Aem. Niſi pater eſſes, dicerem te haud compotem
Tui.
Cr. Mulieris vile mancipium ſile,
Caue talibus poſthac mihi hîc obgannias.
Aem. Vis dicere, nec audire quicquam ſuſtines.
Cr. Sanè, atque olympum teſtor, haud cedent tibi
Impunè tanta iſta in patrem conuicia.
Adducite huc illud odium, vt ſponſi ſui
Præſentis ante oculos necem mox oppetat.
Aem. Non id futurum eſt, ne hoc tibi perſuadeas.
Nunquam illa me inſpectante vitam finiet.
Nec tu meum cernes caput. itaque mancas
Apud hos tuam qui perferunt inſaniam.
Cho. Gradu citato hinc, & furore pectus
Diſceſſit: atqui huiuſmodi ingenium graui
Dolore commotum fit atrociſſimum.
Cr. Struat omnia, efferatur ille ſuperbius
Sapiátque, quàm decet, magis. nunquam tamẽ
Duas puellas haſce ſuſtipiet neci

Ch. Vtranque cogitánsne morti tradere?
Cr. Innoxiam nolo: probè quidem admones.
Ch. Quo genere ſtatuiſti necis eam perimere?
Cr. Deductam vbi hominum nulla ſunt veſtigia,
In ſola loca mox ſaxeo abſcondam ſpecu
Viuam, cibíque ſuggeram quantum poteſt
Ferri manu: vniuerſa vt hæc piaculo
Vrbs liberetur: atque ibi O: cum quem colit
Inter deos ſolùm precetur, præmii vt
Id conſequatur ne feram mortem opperat.
Addiſcet ibi, quàm ſit ſuperuacaneum,
Labórque inanis, colere diuos inferos.
Cho. O Amor,
O nulla ſuperabilis
Pugna Cupido:
Qui magnificas irruis in opes,
Qui pernoctas mollibus in genis
Teneræ virginis:
Æquora cani per maris ambulas,
Et ſtabula alta ferarum agreſtium.
Nemo tela fugit tua
Immortalia figunt numina,
Humanúmque genus.
Quemcunque occupas
Agis in furorem.
Ad noxámque probos rapis animos,
Domeſticúmque hoc concitaſti diſſidium.
Euidens amor genarum
Nubilis puellæ
Vincit legum venerandarum
Principem:
His ei præſtigiis
Inſuperabilis illudit Venus.
At nunc etiam ipſe hæc quum video,
Feror extra legum metas, nec
Cohibere queo lacrymarum humidos

Fontes, quando thalamum conſpicor
Qui omnes conſopit, & Antigonen
Illò miſeram flectere greſſus.
Ant. Aſpicite, patrii
Ciues ſoli,
Nouiſſimum me
Carpentem iter,
Et nouiſſimum iubar
Fulgidi intuentem
Solis: nec amplius intuebor.
At me, qui omnes ſepelit, viuam
Orcus ad opacas
Acherontis deducit ripas,
Exortem Hymenæi, nec carmen
Nuptiale fuit mihi
Cantatum. aſt Acheronti
Nuptura abeo.
Cho. Ergo celebris nec ſine gloria
Abdes te in iſtas mortuorum latebras.
Nec voracibus agitata morbis,
Nec gladiorum ictus ſortita:
Sed libera ſoláque mortalium
Stygium migrabis ad erebum.
Ant. Audire memini
Phrygiam hoſpitam
Tantalo ſatam miſerrimam
Periſſe alti in vertice Sipyli:
Quam veluti circunfuſa hedera
Saxoſum per domuit germen:
Ac, vt fama eſt, liquentem imbre
Perpetuo nix nunquam deſerit:
Sed ſub ſuperciliis
Lacrymantibus, iuga humectat.
Me quoque iſtoc nunc Deus ſopit modo.
Cho. Sed dea fuit illa, atque deo ſata
Nos mortales, & mortalibus

Progeniti. atqui magnum id quiddam eſt,
Stirpe prognatas caduca
Dici æqualia diis ſortiti.
Ant. Hei mihi miſeræ,
Rideor. quid hîc
Per deos penates
Me contumelia afficis non mortuam,
Sed viuentem etiamdum?
O vrbs, & ſimul vrbis
O locupletes incolæ:
O Dircæi fontes,
Thebarum nemus pugnacium:
Teſtes vos ſimul aduoco,
Quo modo indefleta nunc ab amicis,
Quáque lege carceris
Vadam ad effoſſi ſepulcrum
Inuſitatum. heu me ter infelicem
Nec viuos inter nec mortuos.
Cho. Nec mortuorum nec etiam inquilina
Viuentium, extremam progreſſa
Ad temeritatem etiam in extremas,
Incidiſti, ô virgo, pœnas.
Grauiter luis paterna ſcelera.
Ant. Ah dolores mihi refricuiſti
Sæuiſſimos, luctúmque acerbum
Ac peruulgatum de patre,
Omnémque tetigiſti priorem
Labdacidarum ſortem.
Eheu materni ærumnoſæ
Coniugii faces.
O inceſti concubitus patris
Miſéræque matris: è quibus ego infelix
Nata ſum parentibus!
Ad quos execrabilis & tædis
Ignota iugalibus ipſa ego nunc
Inquilináque abeo.

Heu heu infaustissima frater
Adepte connubia,
Iam leto datus, occidisti
Me etiamdum viuentem.
Cho. FACERE piè pietatis est cuiusdam.
PORRO illorum qui sceptra tenent
Haud quaquam est violanda autoritas.
Te spontanea perdidit ira
Ant. Indeplorata, & amicorum
Præsidiis inops, ac nuptialibus
Frustrata honoribus, misera
Per viam iam præparatam
Deducor. haud amplius erit fas
Hoc sacrum solis iubar tueri.
Hei mihi miseræ. nec amicorum
Quisquam est qui gemat hanc meam
Adeousque lacrymosam sortem.
Cr. Scitisne luctus & querelas vtiles
Si sentiant, quum tempus instat funeris
Sedare posse neminem? citissimè
Hinc nunquid obripitis? opaca, vt iusseram
Operite tumba, ibíque solam linquite:
Siue moritur, seu viua tali condita
Tecto maneat. Etenim quod ad eam virginem,
Intaminati nos sumus. de cætero
Superûm illa nunc priuabitur consortio.
Ant. O tumulus, ô chorus iugalis, ô domus
Effossa quæ me continebit perpetem.
Hac ad meos concedo, quorum maximum
In mortuis numerum recepit inuida
Proserpina: horum nunc ego nouissima
Descendo, & omnium miserrima, citius
Quàm destinatum funeri fatis diem
Exegerim. Veniam quidem, hæc me spes fouet,
Charo parenti grata, simul etiam tibi
Mater, tibíque grata fraternum caput:

Quando mea vos mortuos laui manu
Ornaui,& inferias sepulcrales dedi.
Nunc verò Polynices tuum quod texerim
Composuerímque corpus,id fero præmii.
At me tibi impertisse honorem debitum
Fatentur omnes,qui modò bene iudicant.
Non,mater equidem si tulissem liberos,
Nec simaritus morte consumptus foret,
Subeunda iudicassem ego ista pericula,
Contra vrbis edictum. Sed id qua gratia?
Quòd mox marito mortuo foret alius
Cui nuberem:ac alio ex viro quoque liberi,
Orbatæ eis,suppetere possent. Sed patre
Ac matre tenebroso obrutis orco,haud queat
Vnquam mihi frater alius nasci : & adeo
Hac mota causa,quòd te honore affecerim
Peccare visa sum Creonti,& graue scelus,
Nefariúmque ausa esse,frater optime.
At nunc manu violenter apprehensam rapit
Tædæ iugalis & tori expertem, ac rudem
Eductionis prolium.itaque sic eo
Misera,& amicis destituta pristinis
In mortuorum viua proficiscor specus.
Quibus deorum legibus non parui?
Quid attinet ita calamitosam me amplius
Ad cœlites deflectere deos lumina?
Cuius potissimùm inuocare potero opem?
Quum pium opus exercens,id auferam,vt rea
Facinoris impii agar?at hæc si placuerint
Honestáque deorum videntur mentibus,
Ac si qua noxa in me hæreat,quòd puniar
Veniam dabo.Verùm si iniquè fecerint,
Quæso deos tantundem vt etiam perferant,
Quantum mali iniustè irrogauerunt mihi.

Cho. Ventorum eorundem impetus iidem adhuc
In huius animo virginis

Æquè

Æquè violenter ſpirant.
Cr. At ductores iſti lacrymas
Sibi conciliabunt hiſce moris.
Ant. Hei mihi, nox hæc ſæuæ prodiit
Proxima morti.
Cr. Non vt ſpem concipias iubeo
Irrita fore quæ ſunt decreta.
Ant. O Thebana vrbs, natale ſolum,
Diíque penates.
Abducor, nec cunctari licet.
En Thebani cernite principes
Reginam nunc ſolam reliquam,
Qualia miſera à qualibus,
Quòd pietatem colui, perfero!
Ch. Suſtinuit quoque Danaes corpus
Mutare poli lumina fulgida
In munitis ære cubilibus.
Ac occultata ſepulcrali
Thalamo vincta eſt. atqui ô proles
Claro fuerat ſtemmate nobilis,
Et quæ gremio ſeruabat Iouis
Aurea ſemina.
IMMENSA at eſt fati potentia:
Nec imber illam, nec ferus
Martis furor, nec turris, aut
Æquora ſecantes fugerint carinæ.
Et ferox ira Dryantis proles
Rex Edonûm,
Conſtrictus à Baccho fuit,
Cónuitiatricémque ob iram
Obſeptus ſaxoſo carcere.
Hoc modo deſtillat illic
Terribilémque furorem,
Animíque ſlorentem impetum
Ille nunc intelligit
Furiis impulſum ſe lingua

Vbi mortuus fuerit.
Ant. At ego non ad odium
Sum nata, sed colendum amorem mutuum.
Cr. Ad orcum vbi descenderis, si amandum erit,
Illos amato. at donec ego cœlestibus
Auris fruar, nunquam imperabit fœmina.
Chor. En pro portis nunc Ismene
Lacrymas sororias
Exulians, nube supercilii
Vultum deformat purpureum,
Formosásque genas humectat.
Cr. Tu verò dimissa vt per ædes vipera
Meum latenter quæ ebibisti sanguinem.
Neque id sciebam nec duas regni mei
Nutrire pestes. At age tu dicito mihi
Huius sepulturæ fuistíne socia
An iureiurando negas te noxiam?
Ism. Fui, modò hæc consentiat, sum particeps,
Culpæque eidem, si qua sit ea, obnoxia.
Ant. Non id sinet iustitia: nec enim tibi fuit
Studium iuuandi me, aut voluntas: neque etiã
Communicaui rem
Ism. At tuorum non pudet
Soror malorum, socia ero periculi.
Ant. Quorum id opus est, Pluto deíque conscii
Sunt inferi. A T verbis amantem non amo.
Ism. Ne me soror, ne hac quæso contumelia
Macules, vt vnà me mori tecum vetes,
Fratrémque funere expiare mortuum.
Ant. Nec tu oppetas necem, neque tibi vendices
Quæ haud attigisti: me mori suffecerit.
Ism. At quæ esse sine te vita mihi grata poterit?
Ant. Roga Creontem, nam illius curam geris.
Ism. At quid ita me excrucias soror, nec adiuuas?
Ant. Doleo equidem quantumlibet te ridam.
Ism. Qua re tibi poterit vsui esse mea opera?

Ant. Seruato te ipsam. non enim inuideo, tibi
Quòd consulas atque fugias periculum.
Ism. Væ
Miseræ mihi, non mortis ero consors tuæ?
Ant. Tu perfrui vita, ast ego mori malui.
Ism. Nunquid futurum id antè prædixi tibi?
Ant. Rectè his sapere videre: at ego malui aliis.
Ism. Vtriusque, sed commune peccatum id fuit.
Ant. Confide, tu viues: at animus mortuus
Dudum est mihi, vt gratũ facere functis queã.
Cr. Harum puellarum alteri iam erepta mens
Est, alteri autem inde vsque fuit ab initio.
Ism. Non mens eadem remanet, ô rex, in statu
Quo est nata miseris hominibus, sed excidit.
Cr. Tibi quidé, quum vis mali esse particeps.
Ism. At quid sine illa viuere mihi volupe sit?
Cr. Quiesce, non enim illa viuit amplius.
Ism. Quid? sponsa filii tui necabitur?
Cr. Haud fœminæ deerunt creandis liberis.
Ism. Non inter illas hoc modo conuenerat.
Cr. Haud filium volo fœminæ iungi improbæ.
Ant. Chariſſime Æmon te vt facit parui pater!
Cr. Nimio dolore te torúmque conficis.
Ism. Priuabis igitur filium hac sponsa tuum?
Cr. Pluto tremendus nuptias has finiet.
Ism. Itaque statutum est, hanc tibi dedere neci?
Cr. Satis est, tibi nec mihi moras necte amplius.
Corripite famuli has intrò: posthac non erit
Fas liberè istas obuagari virgines.
AVDACIBVS etiam fugam suadet metus,
Finem suæ vitæ imminere quum vident.
Chor. FELICES quibus ærumnis sine
Grauibus fuerit transacta ætas.
Nam cui quassa est à superis domus,
Nulla est luctificis meta doloribus,
Longámque petunt posteritatem:

Non aliter quàm tumidum fluctibus
Efferuet pelagus, quum Boreas furens
Sæuis incubuit flatibus, & ciet
Toto denſa mari nubila, turbidum
Ex imis ſabulum proruitur vadis,
Triſtiſcum gemitu littora perſonant.
Hei quæ video damna ruentium
Labdacidarum, ac alia excipiunt
Mala rurſum alia: éque his aſſerere
Nunquam progeniem poſteritas poteſt.
Obruit illam ſæua deorum
Ira, ærumnis nullus adeſt modus.
Aliquod radicibus extremis
OEdipodis per ſtirpem reliquum
Fulgebat adhuc lumen, quod nunc
Infernales dii extinxerunt
Puluere lethali, dementia
Sæuíſque animi furiis. QVIS præcor
Hominum faſtus diuinam vnquam,
Rex diuûm ſupreme, potentiam
Cohibere queat, quam nec languidus
Labefactet ſomnus, nec menſes
Longi indefeſſíque deorum?
Aſt æternis regis imperiis
Splendorem fulgentis olympi:
Quod nunc eſt, & quod præteritum,
Quódque futurum eſt, ſemper adeſt tibi,
Arbitrióque tuo ſubiectum eſt.
ATQVI lex hominum eſt, hæc generi data,
Vt nemo ſine noxiis
Ætatis peragat ſuæ
Tempora luctibus.
Etenim incertis ſedibus errans
Spes multos iuuat homines
Rurſúſque leui ſæpe cupidine
Multos decipit: opprimit inſcium

Citius, quàm queat ardenti rogo
Imposuisse pedes. AT pulchrè
Sapientérque à quodam dictum
Esse videtur,
Apparere malum quod tamen est bonum
Illi, cui mentem ad perniciem Deus
Impellit, temporéque exiguo
Contingit sine flebili
Viuere luctu.
En nouissimum tuorum
Liberorum germen Æmon,
Anxius venit puellæ
Misera propter fata mœrens,
Quæ toris illi nuptalibus
Dedicata est nuper, his te
Nunc miser frustrarier
Impotenter angitur dolétque.

Cre. Mox vacibus sciemus ipsis rectius.
Fili, an vbi desponsa futura calculos
Latos inaudisti vltimos, ades in patrem
Ira fremens: an potius ea quæ fecimus,
Grata, vt decet, tibi acciderunt omnia?

Aem. Pater, tuus sum, ac mente præditus bona
Me corrigas, quam semper ego lubens sequar.
NEC enim foret honestũ gubernanti tibi
Legitimè, præferre me vllas nuptias.

Cr. Hoc te decet sentire toto pectore
Vt cuncta postponas patris sententiæ,
O nate. & hæc est causa cur homines velint
Summísque votis gignere optent liberos
Obtemperantes ac fouere in ædibus,
Vt vindicare iniurias ab hostibus
Factas queant, æquísque amicum honoribus
Cum benevolis pariter colant parentibus.
QVISQVIS at inutiles serit proles, cedò
Quid nisi sibi plantat labores? & graues

Multóſque præbet hoſtibus riſus ſuis?
Caue nate, ne ſanam tibi mentem auferat
Vnquam nefaria fœminarum cupiditas.
Ac eſſe noris frigidum nimis improbæ
Mulieris amplexum, toris quæ iuncta ſit
Iugalibus. QVOD enim eſſe tetrius poteſt
Hulcúsue maius infideli & improbo
Amico? igitur hanc vt maleuolam reſpue.
Sine ſtygio alicui ſub orco nubere.
Nam poſteaquam ciuitatis legibus
Inueni eam ſolam rebellem ex omnibus,
Mendacii vrbs ne me coarguere queat,
Illam neci dedam. Iouem quantum volet
Cognationis præſidem imploret. SI enim
Qui genere ſunt iuncti mala patrent, arbitror?
Longè eſſe ſatius mihi alienos paſcere.
Quicunque enim fuerit domi probus ſuę,
Vrbi videbitur etiam toti probus.
At quiſquis æquum tranſgreditur, atque violat
Leges, & imperare cogitat ſuis
Principibus, haud illum ego laudauero.
Sed quem vrbs ſtatuit, is proiſus audiẽdus eſt,
Seu leuia, ſiue iuſta, ſiue iniuſta ſint:
Atque hunc ego tandem virum rectè ſimul
Et imperare poſſe & obſequi puto.
Ac horrida vbi procella Martis ingruit,
Locatus in acie manebit, ac bonum
Sociúmque ſe præſtabit imperterritum.
NVLLVM eſt enim inobediẽtia grauius malũ
Hæc perdit vrbes, turbat, euertit domos.
Hæc pugnam vbi res poſtulat, fugas ciet,
Ac terga vertere præcipit trepidantia.
SIC ſubditorum iurſus obedientia
Multis ſaluti eſt. hæc bonis erit omnibus
Tuenda principibus: nec à mulieribus
Vti violetur perferendum: nam à viris

Si quidem neceſſum eſt, ſatius eſt euertier,
Ignauiores ne vocemur fœminis.
Cor. Sapienter hæc ſanè videris dicere
Nobis: niſi iam ætate fortè fallimur.
Æm. Pater, dei mentem indiderunt hominibus,
Quæ ſit quibuslibet opibus præſtantior.
Ego verò quòd non iſta rectè dixeris,
Neque potero ſanè neque ſciam dicere:
Et fortè quod dicis alii probabitur.
Verùm mei eſſe exiſtimo officii, pater,
Proſpicere tibi quæcunque dicta factáue
Sint ciuium quæ derogant famæ tuæ.
Nanque tuus aſpectus timore concutit
Horrente ciuem, fortè ſi quid dicat is
Quod non ferat tuis voluptatem auribus.
At ego ſuſurrantes ea audio clanculum.
Vtque hanc puellam tota ploret ciuitas,
Ceu quæ mulieribus toleret ex omnibus
Indigna maximè, & nec modò peſſimæ eſt
Adiudicata, ob glorioſa facinora.
Quæ luctuoſo in prælio cæſum fratrem
Non inſepultum à cruda deuorantibus
Perire canibus voluit: aut auibus feris
Iacere pabulum. aureo nónne hæc fuit
Potius honore digna? tacitè ſpargitur
Obſcura de te fama talis. Mi pater
Dum tu, ſtatúſque permanet regni tui
Incolumis, optabilius aut antiquius
Nihil eſſe mihi poteſt. quod etenim gaudium
Aut quæ voluptas maior eſſet liberis
Quàm nobili florere patrem gloria?
Quid rurſus eſt à liberis iucundius
Parentibus? NE quæſo conſuetudinem hanc
Tueare pertinacius, nihil vt putes
Rectum, niſi quod ipſe dixeris. ETENIM
Quicunque ſe ſolos ſapere, lingúæque vi

Cr. Scelestè cum parente contendis, tuo?
Æm. Non iure te patrare talia video.
Cr. An pecco regni iura dum colo mei?
Aem. Non sic colis, quum diis honorem debitum
Calcas pedibus.
Cr. O indolem impurissimam,
Victámque fallacis mulieris artibus.
Aem. Nunquam manus ego vitiis victas dabo.
Cr. An non tueris sedulò illius vicem?
Aem. Tuam, meámque, & inferorum numinum.
Cr. Non hãc habebis coniugem viuam amplius.
Aem. Si quidem illa moritur, alterum secũ trahet.
Cr. Erumpit etiam ista in minas audacia?
Aem. Quæ sunt minæ quãdo ad animi vanũ impetũ
Respondeo?
Cr. Non sine tuo magno malo,
Faxo docebis me ipse quum mentis es inops.
Aem. Nisi pater esses, dicerem te haud compotem
Tui.
Cr. Mulieris vile mancipium sile,
Caue talibus posthac mihi hîc obgannias.
Aem. Vis dicere, nec audire quicquam sustines.
Cr. Sanè, atque olympum testor, haud cedent tibi
Impunè tanta ista in patrem conuicia.
Adducite huc illud odium, vt sponsi sui
Præsentis ante oculos necem mox oppetat.
Aem. Non id futurum est, ne hoc tibi persuadeas.
Nunquam illa me inspectante vitam finiet.
Nec tu meum cernes caput. itaque mancas
Apud hos tuam qui perferunt insaniam.
Cho. Gradu citato hinc, & furore percitus
Discessit: atqui huiusmodi ingenium graui
Dolore commotum fit atrocissimum.
Cr. Struat omnia, efferatur ille superbius
Sapiátque, quàm decet, magis. nunquam tamẽ
Duas puellas hasce surripiet neci

Ch. Vtranque cogitánsne morti tradere?
Cr. Innoxiam nolo: probè quidem admones.
Ch. Quo genere ſtatuiſti necis eam perimere?
Cr. Deductam vbi hominum nulla ſunt veſtigia,
In ſola loca mox ſaxeo abſcondam ſpecu
Viuam, cibíque ſuggeram quantum poteſt
Ferri manu: vniuerſa vt hæc piaculo
Vrbs liberetur: atque ibi O: cum quem colit
Inter deos ſolùm precetur, præmiſ vt
Id conſequatur ne feram mortem oppetat.
Addiſcet ibi, quàm ſit ſuperuacaneum,
Labórque inanis, colere diuos inferos.
Cho. O Amor,
O nulla ſuperabilis
Pugna Cupido:
Qui magnificas irruis in opes,
Qui pernoctas mollibus in genis
Teneræ virginis:
Æquora cani per maris ambulas,
Et ſtabula alta ferarum agreſtium.
Nemo tela fugit tua
Immortalia figunt numina,
Humanúmque genus.
Quemcunque occupas
Agis in furorem.
Ad noxámque probos rapis animos,
Domeſticúmque hoc concitaſti diſſidium.
Euidens amor genarum
Nubilis puellæ
Vincit legum venerandarum
Principem:
His ei præſtigiis
Inſuperabilis illudit Venus.
At nunc etiam ipſe hæc quum video,
Feror extra legum metas, nec
Cohibere queo lacrymarum humidos

Fontes, quando thalamum conſpicor
Qui omnes conſopit, & Antigonen
Illo miſeram flectere greſſus.
Ant. Aſpicite, patrii
Ciues ſoli,
Nouiſſimum me
Carpentem iter,
Et nouiſſimum iubar
Fulgidi intuentem
Solis: nec amplius intuebor.
At me, qui omnes ſepelit, viuam
Orcus ad opacas
Acherontis deducit ripas,
Exortem Hymenæi, nec carmen
Nuptiale fuit mihi
Cantatum. aſt Acheronti
Nuptura abeo.
Cho. Ergo celebris nec ſine gloria
Abdes te in iſtas mortuorum latebras.
Nec voracibus agitata morbis,
Nec gladiorum ictus ſortita:
Sed libera ſoláque mortalium
Stygium migrabis ad erebum.
Ant. Audite memini
Phrygiam hoſpitam
Tantalo ſatam miſerrimam
Periſſe alti in vertice Sipyli:
Quam veluti circunfuſa hedera
Saxoſum perdomuit germen:
Ac, vt fama eſt, liquentem imbre
Perpetuo nix nunquam deſerit:
Sed ſub ſupercilijs
Lacrymantibus, iuga humectat.
Me quoque iſtoc nunc Deus ſopit modo.
Cho. Sed dea fuit illa, atque deo ſata
Nos mortales, & mortalibus

Progeniti. atqui magnum id quiddam est,
Stirpe prognatas caduca
Dici æqualia diis sortiti.
Ant. Hei mihi miseræ,
Rideor. quid hîc
Per deos penates
Me contumelia afficis non mortuam,
Sed viuentem etiamdum?
O vrbs, & simul vrbis
O locupletes incolæ:
O Dircæi fontes,
Thebarum nemus pugnacium:
Testes vos simul aduoco,
Quo modo indefleta nunc ab amicis,
Quáque lege carceris
Vadam ad effossi sepulcrum
Inusitatum. heu me ter infelicem
Nec viuos inter nec mortuos.
Cho. Nec mortuorum nec etiam inquilina
Viuentium, extremam progressa
Ad temeritatem etiam in extremas,
Incidisti, ô virgo, pœnas.
Grauiter luis paterna scelera.
Ant. Ah dolores mihi refricuisti
Sæuissimos, luctúmque acerbum
Ac peruulgatum de patre,
Omnémque tetigisti priorem
Labdacidarum sortem.
Heu materni ærumnosæ
Coniugii faces.
O incesti concubitus patris
Miséræque matris: è quibus ego infelix
Nata sum parentibus!
Ad quos execrabilis & tædis
Ignota iugalibus ipsa ego nunc
Inquilináque abeo.

Heu heu infaustissima frater
Adepte connubia,
Iam leto datus, occidisti
Me etiamdum viuentem.
Cho. FACERE piè pietatis est cuiusdam.
PORRO illorum qui sceptra tenent
Haud quaquam est violanda autoritas.
Te spontanea perdidit ira
Ant. Indeplorata, & amicorum
Præsidiis inops, ac nuptialibus
Frustrata honoribus, misera
Per viam iam præparatam
Deducor. haud amplius erit fas
Hoc sacrum solis iubar tueri.
Hei mihi miseræ. nec amicorum
Quisquam est qui gemat hanc meam
Adeousque lacrymosam sortem.
Cr. Scitísne luctus & querelas vtiles
Si sentiant, quum tempus instat funeris
Sedare posse neminem? citissimè
Hinc nunquid obripitis? opaca, vt iusseram
Operite tumba, ibíque solam linquite:
Siue moritur, seu viua tali condita
Tecto maneat. Etenim quod ad eam virginem,
Intaminati nos sumus. de cætero
Superûm illa nunc priuabitur consortio.
Ant. O tumulus, ô chorus iugalis, ô domus
Effossa quæ me continebit perpetem.
Hac ad meos concedo, quorum maximum
In mortuis numerum recepit inuida
Proserpina: horum nunc ego nouissima
Descendo, & omnium miserrima, citius
Quàm destinatum funeri fatis diem
Exegerim. Veniam quidem, hæc me spes fouet,
Chato parenti grata, simul etiam tibi
Mater, tibíque grata fraternum caput.

Quando mea vos mortuos laui manu
Ornaui,& inferias sepulcrales dedi.
Nunc verò Polynices tuum quod texerim
Composuerímque corpus,id fero præmii.
At me tibi impertisse honorem debitum
Fatentur omnes,qui modò bene iudicant.
Non,mater equidem si tulissem liberos,
Nec simaritus morte consumptus foret,
Subeunda iudicassem ego ista pericula,
Contra vrbis edictum. Sed id qua gratia?
Quòd mox marito mortuo foret alius
Cui nuberem:ac alio ex viro quoque liberi,
Orbatæ eis,suppetere possent. Sed patre
Ac matre tenebroso obrutis orco,haud queat
Vnquam mihi frater alius nasci: & adeo
Hac mota causa,quòd te honore affecerim
Peccare visa sum Creonti,& graue scelus,
Nefariúmque ausa esse,frater optime.
At nunc manu violenter apprehensam rapit
Tædæ iugalis & tori expertem, ac rudem
Eductionis prolium.itaque sic eo
Misera,& amicis destituta pristinis
In mortuorum viua proficiscor specus.
Quibus deorum legibus non parui?
Quid attinet ita calamitosam me amplius
Ad cœlites deflectere deos lumina?
Cuius potissimùm inuocare potero opem?
Quum pium opus exercens,id auferam,vt rea
Facinoris impii agar?at hæc si placuerint
Honestáque deorum videntur mentibus,
Ac si qua noxa in me hæreat,quòd puniar
Veniam dabo.Verùm si iniquè fecerint,
Quæso deos tantundem vt etiam perferant,
Quantum mali iniustè irrogauerunt mihi.
Cho. Ventorum eorundem impetus iidem adhuc
In huius animo virginis

Æquè

Æquè violenter ſpirant.
Cr. At ductores iſti lacrymas
Sibi conciliabunt hiſce moris.
Ant. Hei mihi, nox hæc ſæuæ prodiit
Proxima morti.
Cr. Non vt ſpem concipias iubeo
Irrita fore quæ ſunt decreta.
Ant. O Thebana vrbs, natale ſolum,
Diíque penates.
Abducor, nec cunctari licet.
En Thebani cernite principes
Reginam nunc ſolam reliquam,
Qualia miſera à qualibus,
Quòd pietatem colui, perfero!
Ch. Suſtinuit quoque Danaes corpus
Mutare poli lumina fulgida
In munitis ære cubilibus.
Ac occultata ſepulcrali
Thalamo vincta eſt. atqui ô proles
Claro fuerat ſtemmate nobilis,
Et quæ gremio ſeruabat Iouis
Aurea ſemina.
IMMENSA at eſt fati potentia:
Nec imber illam, nec ferus
Martis furor, nec turris, aut
Æquora ſecantes fugerint carinæ.
Et ferox ira Dryantis proles
Rex Edonûm,
Conſtrictus à Baccho fuit,
Conuitiatricémque ob iram
Obſeptus ſaxoſo carcere.
Hoc modo deſtillat illic
Terribilémque furorem,
Animíque florentem impetum
Ille nunc intelligit
Furiis impulſum ſe lingua

Petulante deum lacerauiſſe.
Nanque afflatas numine fœminas
Bacchíque ſacrum vetuit ignem,
Ac Muſas in ſe dulciſonas
Irritauit.
Hìc vbi Cyanæi ſcopuli imminent,
Geminíque maris littora Boſphori
Ac Salmydeſſus Thracius.
Ibi propinquus Mauors
Geminorum conſpexit
Dirum vulnus Phineidarum,
A crudeli factam matre,
Quæ infelices excæcauit
Oculorum orbes,
Dextra vulnus ſanguinolenta,
Lanceárúmque rigidis atque radiorum
Laniatum cuſpidibus.
Tabeſcentes igitur miſeri
Miſeram matris flebant ſortem,
Infauſtis progeniti nuptiis.
Illa verò nobili ſata
Stirpe Erechthidarum,
Longinquis nutrita ſub antris
Ac rupe fuit ardua.
Par equis pernicitate
Inter patrios boreæ turbines,
Nata deo. verùm etiam illa fuit
Fatis agitata immortalibus.

Tir. Proceres Agenoridæ, ecce communi via
Adſumus, & ex vno duobus ſuppetit
Viſus. Is enim quicúque priuatus oculis
Eſt, dum facit iter aliquò, ductore indiget.

Cr. Quid verò Thebia ſenex adfers noui?

Tir. Docebo: tu vati modò fac obtemperes.

Cr. Quid? an ego monitis antè diſceſſi tuis?

Tir. Atque hinc ſtatum moderere vrbis proſperé.

Cr. Confiteor, atque agnosco tua beneficia.
Tir. Sapias itaque, nouacula in acumine tua
Fortuna quum versetur.
Cr. At at, id quid sibi
Vult quod ais? vt nunc pauidus os tuú horreo!
Tir. Intelliges vbi artis audieris mea
Indicia. nam in veteri sedente me loco,
(Augurio vbi hortus destinatus est mihi)
Inusitata territ aues vox meas
Auium malo impetu ac peregrino sonos
Edentium, ac sese cruentis unguibus
Laniantium. nec enim mihi sonuere
Portendit alarum strepitus. at ego metu
Perculsus, aris illico immanmantibus
Adolere cœpi, ac immolata e victima
Haud vlla flamma promicuit in cineribus
Fumus liquefaciebat inflata femora,
Lentísque adurens expuebat ignibus.
Sublatáque exta diffipabantur, adipe
Suo iacebant femora nuda. hæc enim
Sic accidisse meus mihi retulit puer,
Inauspicata prorsus esse hæc orgia.
Siquidem mihi dux est hic, at aliis ego.
Te propter vrbs nunc calamitous his malis
Affligitur. deorum enim immortalium
Aræ rocíque sunt repletæ volucrium
Canúmque pabulo, Œdipi postquã genus
Furore concidit peremptum bellico.
Deinde nostras sacrificiorum preces
Accipere dii femorumque flammas renuunt.
Nec auspicatas edidit voces auis,
Satiata vt est cadaueruin pinguedine. (nim
Hæc cogitare te decet HOMINIBVS c-
Nihil æquè proclive est vt errare, omnibus.
Ac postquã aliquis est lapsus, haud is dicitur
Consilii inops miserue qui malo obrutus,

Quærit medelam, nec manere pertinax
Decreuit. EST res stulta pertinacia.
Age cede mortuo, nec extinctum foue.
Quæ fortitudo est enecare mortuum?
Tibi bene volens hæc moneo. verùm vtile
Siquid monetur, illud excipere decet.
Cr. Senex, ad vnum omnes vti sagittarii
Scopum petunt, in hunc virum iaculamini,
Túque ipse vates propter istam familiam
Mihi exhibes negotium. sum venditus,
Sum proditus: sic facite quæstum, atque pretiũ
Accipite, si videbitur, Sardensium
Electrum, & auri pondera Indici, tamen
Nunquam sepulcro illum tegetis: nec etiam
Si nunc rigentibus Iouis aues vnguibus
Aquilæ cadauer lucidos in æthieris
Rapiant thronos, illud timens piaculum
Sinam vt sepeliatur. ID enim scio, deos
Non posse ab vllo hominũ inquinari cœlites.
QVIN sæpe Tiresia inter homines maximi
Labuntur insanum ob lucrum turpissimè,
Verbis bonis quum palliant subtiliter
Causas iniquas.
Tir. Hei quis id mortalium
Cognouit vnquam, quísue suspicatus est?
Cr. Quid ais? in ore est omnibus, res cognita est.
Tir. QVANTVM anteit opes rectitudo consilii!
Cr. Quantum mali desipere plus secum trahit!
Tir. Hoc tum laboras genere morbi pessimé.
Cr. Conuitia in vatem regerere non volo.
Tir. Atqui id facis: vaticinia mea falsa ais.
Cr. Semper auidum pecuniæ est vatum genus.
Tir. At amat tyrannorum genus impia lucra.
Cr. An scis tua hæc ferire dicta principes?
Tir. Scio. sed hãc regis ductu meo vrbem prosperé

Cr. Sapiens quídem es vates: malis tamen artibus
Non raro deditus.
Tir. Adiges me vt efferam
Immota meo animo deorum oracula.
Cr. Moue, eloquere, nequid tamen causa lucri.
Tir. Sic tibi videbor, quod quidem ad te pertinet.
Cr. At non mihi impones: tibi id persuadeas.
Tir. At nescius ne sis, futurum vt antequam
Sol aliquot orbes aureus confecerit,
Viscera tua vnum liberorum retribues,
Ac exanimem etiam loco cadauerum:
Eo quòd vnius animam stygiis aquis
Deuoueris, specúque concluseris atro,
Aliúdque seruas inferorum expers deûm
Cadauer, exequíisque funeralibus
Nullis piatum: quod tamen tibi haud licet,
Superi nec approbant dei: sed perpetras
Violenter ista: vindices quorum latent,
In posterum vt te puniãt, Erinnyes,
Erebíque diuorúmque superûm Erinnyes,
Ac in eadem te deuolutum iam mala
Corripere possint. ista fac consideres,
Corruptus an vaticiner ego pecunia.
Nec enim futura est longa temporis mora,
Quum tua virorum & fœminarum luctibus
Resonabit vndique domus, hostilíque te
Vrbs quælibet mox impetet meritum manu,
Quarum cadauera laniata, vel feræ
Vel polluêre canes. auísque rapax tulit
Sceleratum odorem inlucidos vrbis focos.
In te ista, ceu iaculator, emissi incitus
Furore tela, ac valida adeo, quorũ haud queas
Effugere virus noxium. sed nunc puer
Hinc me domum deducito: atque hic impetũ
Crudelis animi in iuueniores expuat:

Linguámque discat erudire, vt prædita
Maiore sit modestia: ac simul animum
Fouere quàm est nunc institueréque rectius.
Chor. Vir abiit ô rex auguratus atrocia.
Ar scimus hoc, ex quo nigra mihi isthæc fuit
Aspera canitie coma, haud inuentus est
Dixisse falsiloqua vrbi huic vaticinia.
Cr. Noui, ac proinde mihi cor attonitum stupet:
SED cedere est durum, ac resistere si velim,
Me damna, quum periculũ præstò est, manét.
Chor. Consilio opus prudentiáque est ô Creon.
Cr. Quid facto opus sit consulas, ego obsequar.
Chor. Specu puellam eximito, mortuóque huic
Ac insépulto busta des cadaueri.
Cr. Hoccine videtur? ac vti cedam mones?
Chor. At quàm queas ocyssimè. NAM numinum
Noxæ citipedes improbos perdunt citó.
Cr. At at, animum huc vix queo perpellere:
SED cum necessitate pugnare arduum est.
Chor. Hæc igitur ipse fac, nec aliis impera.
Cr. Quin iam iam eò me confero. at famuli ocyus
Quicunque adestis ac abestis, tollite
Validas bipennes, petite conspicuum locum.
Ac postquam ego sententiam mutauerim,
Quam colligaui, vinculis quoque eximam.
NAM melius esse existimo atque tutius,
Nunc vsitatis paruisse legibus.
Chor. Variis Bacche insignis
Nominibus, & nymphæ decus
Cadmææ, Iouis altitonantis
Genus eximium, qui inclytæ
Excolis Italiæ iuga:
Quíque foues in communi sinu
Spicigeræ Cereris

Fertiles Eleusidis agros.
Bacche qui genitrices
Mænadum Thebas colis:
Hîc vbi liquida Ismeni
Perluunt agros fluenta,
Et sunt agrestis consiti dentes draconis:
Te bifidi super arduos
Parnassi conspexit colles
Prorumpens è sacris fumus
Lucidus hostiis:
Vbi Coryciæ nymphæ
Bacchides ambulant:
Vbi Castalius fons ex Nysseorum
Montium hederacei
Tumuli viridésque & vitiferi
Carmine resonanti
Deducunt te colles,
Thebanæ vrbis præsidem:
Quam tu vrbibus magis omnibus
Vnam colis,
Cum matre pariter fulmine
Percussa graui.
Et ciuitas quum nunc fero
Vbique morbo affligitur:
Iustrali pede valles
Parnassias, aut littora
Pete resonantia.
Igniuomarum præsultor iò syderum
Atque vociferationum
Præses nocturnarum,
Nate Iouis summi
Huc ades ancillis
Noxiis comitatus,
Quæ furore percitæ

Nocturnis te celebrant præsidem
Choris Iacchum.
Nun. Amphionis domúsque Cadmææ incolæ
Haud amplius hominum beatam dixero
Vitam nec accusabo. NAM rotat omnia
Fortuna: præcipites dat, & rursum erigit
Iuxtà potentes atque miseros: nec aliquis
Extat futuri præscius mortalium.
Creon enim si quisquam alius, erat (vt quidem
Mihi videbatur) beatus, asserens
Ab hostibus Cadmæam humum, atque totius
Regionis imperio potitus, & simul
Virebat etiam multitudine prolium.
At nunc ruerunt cuncta, lapsáque sunt retró.
Siquidem voluptates cui deperierint
Non viuere illum existimo. quantumlibet
Sis diues, ac ædes superbas occupas,
Viuas tyranni præditus potentia,
Si contigerit vt destituat hoc gaudium,
Reliqua ad beatè vitam agendam & suauiter,
Ne vmbra quidé fumi profectò velim emere.
Chor. Quid rursus adfers nunc oneris huc regii?
Nun. Periere, sed sunt causa, qui viuunt, necis.
Ch. Quísnam peremit? fare, quísue est mortuus?
Nun. Sua occubuit Æmon cruentatus manu.
Ch. Vtra, patrísne, an propria periit manu?
Nun. Sua ipse dextra, sæuam ob Antigones necem,
Ira in patrem motus, mucrone se induit.
Chor. O augur vt iam vera vaticinatus es!
Nun. Quum sic tulit res, alia consulenda sunt.
Chor. Sed calamitosam video regis coniugem.
Nun. Creontis Eurydicen tulisse domo gradus.
Fortasse de puero audiit: casúue adest.
Eur. O vniuersi ciuitatis incolæ
Id nuntii percepi vt extuli pedes

Venerata precibus Palladé: ac quum ianuæ
Adapertilis relaxo clauſtra, mox mali
Domeſtici aures perculit rumor meas.
Pauore conſternata, & exanimis ſtatim
Inter pediſſequas ſupina concidi.
Sed quis fuit ſermo iſte rurſum dicite.
Nec enim mali ignara aut rudis eum exaudiã.
Nun. Regina chariſſima mihi, præſens loquar,
Nihílque omittam quod potero verè eloqui.
Quid enim attinet mulcere te tumoribus
Ob quos queam fortaſſe pòſt redargui
Mendacii? RECTISSIM ipſa eſt veritas.
Ego tuam penè comitabar coniugem
In edita loca, vbi Polynicis ſquallidum
Canibúſque laniatum iacebat corpus: ac
Eum quidem, Hecaten obſecrati & inferum
Plutonem, vt iras beneuoli deponerent,
Purè abluentes: quod ſupererat reliquũ adhuc
Ramuſculis inuoluimus carptis recèns,
Et aduſſimus. deinde tumulum peruium
Quum reddidiſſemus, lapidibus vndique
Conſtrata virginei penetralia ſpecus
Thalamum erebi ſubiuimus. vocem eminus
Quidam ſimul vt audiuerat lugubria
Lamenta reſonantem execrandi apud locum
Thalami, ſtatim accurres Creõti hero indicat.
Verùm hunc etiã vbi propius admorat gradũ,
Cingunt. & infelicium eiulatuum
Obambulant ſoni. at ingemiſcens lugubri
Has ore voces edit: hei mihi miſero:
Vatéſne ſum? viámne tero nunc omnium
Quas antea infauſtiſſimam? num filii
Vox me pepulit? ite famuli, ite celeriter,
Petite ſepulcrum, inſpicite tumuli ſaxeam
Molem: ſubite oſtia ſpeluncæ, an Æmonis

Vocem audiam miserabilem: an verò à diis
Decipiar. at nos, veluti tristis iusserat
Herus, specum lustramus, ac in vltimo
Procul recessu illam quidem conspeximus
Pendêre colla fasciis ex sindone
Nodatam. at ille virginem amplexus mediam
Iacebat, & plorabat interitum suæ
Sponsæ, patrísque immitia facinora, & tori
Iugalis infaustum statum. Vt verò pater
Conspexit, intrò irrupit; & suspiria
Ducens ab imo corde, & attonitus graui
Mœrore, tali filium appellat sono:
Ah quid miser te is perditum? quas res agis?
Quo præditus es animo miser? quæ calamitas
Sic te premit? fili egredere, id ego parens
Supplex precor. Sed trucibus oculis intuens,
Vultúque toruo, respuit patris preces.
Nihílque dicens, stringit ancipitem manu
Gladium, ac patre elapso fuga erauit: dein
Iratus infelix sibi, incubuit statim
Laterísque medium infigit ensem, ac brachia
Complectitur adhuc compos animi, virginis.
Mox naribus spirans grauia, celerem eiicit
Pallente spiritum cruentatum gena.
Et mortuus apud mortuam infelix iacet;
Connubialia sacra sortitus nigra
In arce Plutonis. SIMVLQVE id hominibus
Ostendit, inconsulta quòd sit temeritas
Homini malum longè malorum maximum.

Chor. Quid hoc sibi vult? mulier hinc sese abstulit.
Verbum priusquam triste seu bonum edidit.

Nun. Atque ipse id attonitus stupeo: sed spe tamen
Pascor, simul vt accepit è gnati nece
Dolorem acerbum, nolle luctus publicè
Testarier: sed laribus in domesticis
Luctum imperabit, vt puto, pedissequis.

Non mentis est tam inops vt in se sæuiat.
Chor. Haud scio eq dē: at nimia ista nūc taciturnitas
Aliquid mihi portendere videtur mali.
Quanquam nimius est clamor etiam inutilis.
Nun. Sed mox domum ingressi, sciemus an animo
Ira incitata aliquid mali occultum gerat.
NIMIVM silentium haud caret periculo.
Chor. En, en, rex ipse huc approperat
Manibúsque cadauer gestat suis:
Haud alterius, si fas dicere est,
Verùm ipsius culpa perditum.
Cr. O mentes ter stolidas.
O peccata atrocia,
Lethaliáque iam mortis autores
Mortuósque cernitis
Consanguineos.
Hei mea tam infelicia
Consilia.
Heu fili iuuenilibus
Annis erepte nouo
Fati genere.
Vah, vah,
Eheu periisti non propria;
Verùm mea dementia.
Chor. Hei quàm videris iusta serò cernere.
Cr. Ah, iam meo didici miser malo.
Et hoc deus capiti meo
Hoc grande coaceruans onus,
Me perculit,
Paritérque atroces hasce adegit in vias
Hei, vsitatum funditus mihi gaudium
Subuertit, heu heu.
O ter quater hominum labores miseros.
Ser. Oppresse variis ô Creon nunc miseriis,
Alia manu gestas, aliáque mox mala
Tuis videbis perpetrata in ædibus.

Cre. Quid peius esse queat? quid est reliquum mali?
Ser. Vxor recenti misera vulnere concidit,
Occubuit huius vera mater mortui.
Cr. O nefaria erebi
Cuncta perdentis domus.
Quid toties iuuat
Perdere miserum?
Hei, damna vt infausta mihi nuntias!
Quemnam sermonem edis?
Heu heu heu,
Me iam trucidas mortuum.
Quidnam ais? quidnam noui adfers?
Coniugem iacere propter Æmonis
Necem cadauer?
Ser. Conspicere, quum non deliteat abdita, licet.
Cr. Hei mihi.
Hoc iam secundum conspicor malum miser.
Quod fatum adhuc mihi misero restat? habeo,
Manibúsque gesto filium, ac aliud procul
Video cadauer. heu matris miserabilis
Sortem nefandam: heu nate solamé patris.
Ser. Illa celeri occidit perempta vulnere,
Sacráque circa aras nigrantes palpebras
Quum solueret, celebres prioris coniugis
Tædas Megarei luxit: ac huius etiam,
Dira est deinceps imprecata numina
Cuncta tibi parricidæ vti atrocissimo.
Cr. Me miserrimum:
Cor pauido labat timore.
Quare nemo transadigit mihi
In modum hostilem mucrone ancipiti
Pectus? me infortunatum,
Eheu è quàm sæuis conflatus
Sum calamitatibus!
Ser. Quasi præbuisses causam vtrique funeris,

Ita moribunda iam peregit te reum.
Cr. Quonam perempta vitam finiit modo?
Ser. Vt filii miserum audiit casum tui,
Lacerans atroci vulnere hepar, occidit.
Cr. Hei non in alium culpa competit hominem,
Atq; in me: ego te, ego interemi, ac miser ego.
Id dico quod res est. agite famuli, ocyus
Abducite hinc me, atque procul amolimini,
Qui nihilo plus sum q̃ ille qui iam nullus est.
Chor. Bene admones, siquid boni sit in malis,
Ac illa sunt inter mala optima omnium,
Quæ quam celerrimo aufugere solent pede.
Cr. Acceleret, acceleret:
Vltimum mihi meorum
Appareat fatorum,
Extremúmque adducat
Diem: acceleret, acceleret.
Vt ne post hunc alium contuear diem.
Ser. Futura omitte, cura sit præsentium.
Siquidem illa diis curæ, quibus debent, erunt.
Cr. Sed quæ velim accidere, illa votis comprecor.
Ser. Nihil precare. STATVTA enim mortalibus
Fato calamitas præcaueri non potest.
Cr. Abducite è medio virum miserrimum,
Qui te interemi chara mihi proles, licet
Inuitus: ac te ipsam quoque vxor. hei mihi
Misero. oculos quò dirigam? cadauera
Vbi collocem non habeo.
Siquidem omnia aduersa mihi conspicor: alia
Manibus teneo, alia in caput redundant.
Ah ineluctabile inuasit me
Dirúmque fatum.
Ch. PRAECIPVA est ac longè prima
Rectè sapere felicitas.
VERVM religio supremi
Numinis haud est afficienda

Iniuria. nam cœlites postquam dei
Pœnas sumpsere superbis
De sermonibus,
Ætate docent sapere extrema.

ELECTRA
Sophoclis, poetæ tragici, Georgio Rotallero interprete.

CLARISSIMO VIRO STEphano Stratio Biturigibus legum anteceſſori, Georgius Rotallerus.

Sic te Pegaſcis Muſa liquoribus
Parnaſſique iugis Delius arceat,
Sic Daphneide nunquam
Cingas tempora virgine:
Vt ſecura ruis quò libet, & ſine
Delectu ſtudiis obſtrepis omnium
Caſtum oblita pudorem, &
Famę prodiga candidæ.
Ecquò fers tragici relliquias ſenis?
Cui doctus proceres inter Achaicos
Semper Phœbus honorem
Et ſummum tribuit decus.
Qui quà Cecropij terra patet ſoli,
Et gratus Latiis hoſpes in vrbibus
Graio incedis amictu,
Palláque inclytus aurea.
Illum ſic lacera non pudet in toga
Expertem Auſonii nectaris, & malè
Romano ore loquentem
Clarum ferre ſub æthera?
Hei quæ tu pariter verbera perferes.
Nemo non rigidis impetet vnguibus,
Certatímque cruentis
Vultum confodiet notis.
Tunc ſerò patriis te laribus voles
Non moueſſe pedem, tunc temerariæ
Fruſtra optabis opacum,
In quo deliteas, locum.
Sed ſi tam ſtolida luminis æſtues

Inſanáq;

Insanáque flagres cęcâ cupidine,
Ne sis fabula vulgo,
Risúsque omnibus excites:
Cui primam æthereæ lucis originem
Olim terra dedit Belgica Stratium
Clarum accede poetam,
Et iuris gemini decus:
Quem primùm puerum sub viridantibus
Nutriuere deæ Castaliæ iugis,
Et tinxere sacratum
Fontis Gorgonei vadis.
Quem delubra Themis trãstulit ad sua,
Præfecitque sacris Iustitiæ libris,
Musarúmque sacerdos
Diæq; vt Themidis foret.
Illi si placeas, i pede libero,
Per terras, mare per, quò rapit impetus,
Insanósque frementis
Morsus spernito Zoili.
En claro soboles nata Agamemnone,
Et retrò proauis edita regibus,
Nunc Electra penates
Strati docte tuos subit.
Non sublimis equo, nec vehitur rota,
Non ostro, aut Tyrio murice fulgidos
Auris pandit amictus,
Nec gemmæ uariant comas:
Sed luctu atque crebris squallida lacrymis,
Fortunæq; gerens nunc habitum suæ,
Membris non satis apta
Induta est Latia stola.
Hen quò non homines præcipitat furor?
Ad quid cæcus amor pectora non rapit?
Haud contenta iugales
Fœdo concubitu faces
Conspurcasse, aliud iam sceleri scelus

Regina accumulans innocui impia
Dextram cæde mariti
Interſperſit adulteram.
Sic ſeſe abſque metu viuere ſuſpicans,
Ægiſthum tepidâ confouet inſinu,
Et quæ rapta dabantur
Furtimque oſcula, nunc palàm
Figuntur, propriis funera liberis
Molitúrque necem: ſed procul vrbibus
Indignatur Oreſtem
Vitam degere in exteris.
Hic ſcrupus reliquus pectoris intima
Vrgétque & cruciat, ne veniat patris
Vindex, ſceptra tyranno
Vi rapta atque animam auferens.
Hinc diris mulier percita Erinnybus,
Nil præter furias enomit, omnium
Electram eſſe malorum
Fontémque aſſerit & caput.
Sed tandem patriis redditus vrbibus
Conſultóque dei numine Delphici,
Pœnam cædis Oreſtes
Inflixit meritam impiis.
Sic qui de ſupero conſpicit æthere,
Quę patrant homines Iuppiter, omnia,
Nil impune relinquit:
Pœna eſt flagitii comes.
Electram hanc igitur candidus excipe
Velata OEno tria quæ venit inſtita,
Ac ſub nominis exit
Claris auſpicijs tui.
Non noſter, meritò fœtus hic eſt tuus,
Vt quem iam ſtygiis manibus additum,
Plutonique dicatum
Auræ reddideris nouæ.
Sed ſumes placidè (ſat ſcio) munera,

Quæ non pro meritis offerimus tuis:
Sed multo illa minora,
Sunt nunc qualia sunt mihi.
Et qui læto animo dat, dare quod potest,
Quamuis exiguum est, gratus habebitur:
Thuris sumit odorem
Vt pingues Deus hostias.

Biturigib. III. *Non. Aprilis, Anno*
à Christo nato 1549.

ARGVMENTVM IN Electram Sophoclis.

RAPTA Helena, quum propè omnes totius Græciæ principes iurisiurãdi religione obstricti in Aulide conuenissent, vt cõmunibus viribus iniuriam à Troianis illatam vindicarent, Agamemnon vniuersi exercitus declaratus fuit imperator. Is quum animi gratia venatum exiisset, in luco vicino ceruũ quendã insignẽ & notis certis distinctum, Dianæq; sacrum, interemit: ob quod facinus irata dea copias omnes tẽpestate detinet, vt neque domũ redeundi, neque quò destinauerant proficiscendi facultas esset. Itaque consulto numine irã deæ placari posse uates negauerunt, nisi Agamemnon loco cerui interfecti filiã suã Iphigeniã victimam immolaret. Quod quũ factũ esset, bellóque Troiano confecto domũ rediisset, ab vxore Clytæmnestra, instinctu Ægisthi, quem sibi belli tempore adulterũ asciuerat, necatur. Necẽ patris indignè ferens Electra, generoso prædita animo virgo, metuénsque ne eadẽ quoque crudelitate in Orestẽ grassarentur, infantẽ etiamdũ: eum clàm in Phocidem ad Strophium ablegat, vt ibi enutritus vltor paternæ cædis adulta aliquãdo ætate reuerteretur. Multis autẽ annis elapsis quũ varijs quotidie à matre cõtumeliis inceßeretur, neque quicquã cõperti exploratíque de Oreste haberet, iam profligata desperatáque salute, extrema molitur. Precibus, ira, minis, omnibus denique modis Chrysothemidis animum oppugnat, eóque pertrahere conatur, vt si Orestes non redeat, ipsæ patris necẽ suã manu vlciscantur. Sed molliore animo prædita soror, suo se pede metitur: neque hoc virginum opus esse: se omni præsidio destitutas, tyrannicæ potentiæ resistere non posse, multáque alia prætexit quibus & se purgat & Electrã

ab eo proposito conatur abducere. Verùm illã in concepta semel sententia persistere & pietas erga patrẽ hortatur, & flagitij magnitudo indignitásq; extimulat: mortémque oppetere quàm scelus tã nefariũ inultũ relinquere, honestius ducit. Vigesimo tandẽ post interemptũ patrẽ anno, diu speratus ac iã desperatus, Argos Orestes cum Pylade à pædagogo reductus, clàm venit. Vt autẽ id quod molichantur, cõmodius tutiúsque perficere possent, edocti Apollinis oracula, falsos rumores Clytæmnestræ de morte filii adfert pædagogus quemadmodũ in Pythicis certaminibus occubuisset: quóque certior dictis fides esset, vasculum apportant in quo Orestis cineres reconditos iacere fingebant. Illa igitur læta morte illius quẽ solum metuebat vindicẽ paternæ cædis futurũ, Electræ perpetuò fratris sortẽ deflenti, quàm solet, insolentius insultat. Sed Orestes tandẽ θορύβῳ *fraterna motus se sorori aperit, ac Clytaemnestrã quę Ægistho in suburbanum profecto domi sola erat, occidunt. Ægistho uerso, qui iam de aduentu hostium nocentiũ ac obitu Orestis rumores acceperat, ostẽdunt cadauer Clytaemnestrę: quod quum tectum esset, Orestis esse suspicatur. Dolo autem cognito, in eodem quo Agamemnonem interemerat, loco necatus, dignas sui sceleris pœnas persoluit.*

Fabulæ actio Argis fingitur. Chorus ex indigenis virginibus constat. Præloquitur pædagogus.

PERSONÆ FABVLÆ.

PAEDAGOGVS.

[illegible]

ELECTRA.

CHORVS, *ex indigenis virginibus.*

CHRYSOTHEMIS.

CLYTAEMNESTRA.

AEGISTHVS.

SOPHOCLIS

Electra,

Georgio Rotallero interprete.

PAEDAGOGVS.

PROLES Atridæ Agamemnonis ſummi ducis
Quum Danaa peteret Pergamas claſſis domos,
En nunc tibi coràm intueri ea licitum eſt
Quorum fuiſti ſemper antè maximè
Cupidus. id Argos eſt vetus, quódque tòties
Deſideraſti. illic at aſilo percitæ
Furente virginis ſtat Inachiæ nemus.
Porro ô Oreſta hoc eſt Lycæi Apollinis
Forum: ad ſiniſtram verò cernis inclyta
Delubra Iunonis. at eo vbi conſiſtimus
Nunc loco, opulentas te Mycænas cernere
Exiſtima. diránque Pelopidûm domum
Multa cruentam cęde & exitio: vnde te
Ego, parens quum olim interimeretur tuus,
Tua à ſorore traditum mihi, abſtuli,
Seruaui & educaui ad huius tempora
Ætatis vſque, qua paternæ vltor necis
Exiſtere queas. Nunc igitur Oreſta mi,
Ac tu quoque hoſpitum mihi chariſſime
Pylades, agendum quid ſit, opus eſt celeritas
Deliberare. nam coruſcum ſplendidi
Solis iubar auium diurnos excitat
Suauéſque modulos: nox fugatis humida
Seceſſit aſtris. nunc igitur, ex ædibus
Hominum aliquis pedes priuſquam proferat,
Conſilia ſunt ineunda. Nam quo eſt nũc loco,
Nõ patitur vllã res morã. eſt præparatio opus.

Ore. Minister ô chariſſime, vt ſignis tuum
In nos amorem oſtendis euidentibus.
NAN QVE generoſa vt prædit⁹ equus indole,
Etſi grauetur debili ſenio, tamen
Non rebus abiicit impetus in aſperis,
Sed acer arrectis ſtat auribus: ita tu
Nos excitas, periculáque primus ſubis.
Conſiliu.n iraque tibi ſtatim meum aperiam:
Tu dicta fido noſtra conde pectore.
Et ſi loquar quid fortè non ſat commodè,
Aut ſicubi aberraro, tuum eſt me vt corrigas.
Oraculum ſimul atque veni ad Delphicum,
Vt ſciſcitarer quomodo necem patris
Vlturus eſſem, atque meritos autoribus
Cædis cruentæ infligerem pœnas: ea
Nunc quæ audies monuere Phœbi numina,
Nulla vel armorum vel exercitus ope,
Munitus inſidiis dolóque, ſumito
Supplicia iuſta. Quum igitur hoc ſit editum
Oraculum, tu, temporis opportunitas
Vbi videbitur, domum ingredere, vt ſcias
Quo ſe modo res habeat: & vbi reſciueris,
Mox omnium nos certiores reddito.
Etenim ſenectus atque longi temporis
Obſtabit ætas quo minus te agnoſcere
Poterint: nec vlla ſuſpicio de te incidet.
Atque hoc quidem ſermonis vtere genere,
Te ex Phocide hoſpitem venire à Phanoteo
Miſſum: ille enim eſt arctiſſimo ipſis vinculo
Iunctus neceſſitudinis. neque dubita
Nil iureiurando fidem dictis tuis
Aſtruere: Oreſtem nuper è pernicibus
Lapſum quadrigis Pythico in certamine
Ceſſiſſe fatis morte violenta. ſub hac
Perſona enim ſecurè agetur fabula.
Nos interim, Phœbus vti iuſſit, ad patris

Libabimus tumbam, reciſiſque capite
Ornabimus comis: deinde referemus huc
Gradum, manu æreum ferentes vaſculum,
Quod ſcis iacere ſub vepre alicubi conditum:
Mendaci vti rumore lætum nuntium
Eis feramus, corpus ignibus meum
Cõſumptum, & in atrõs iã redacta oſſa cineres.
Quid enim hoc mihi queat nocere, mortuus
Verbo quidem ſi fuero, re autem vixero,
Atque ipſe me magnam reportans gloriam
Seruaro? NVLLVM enim mihi dictum malũ
Videtur eſſe quod modò ſit vtile.
Nanque ipſe vidi ſæpe magna præditos
Sapientia viros inani mortuos
Rumore dictos, poſteaquam redierant
Patrias ad ædes, ampliorem gloriam
Fuiſſe nactos. De me ita quoque quod queam
Iactare nunc & gloriari famam ob hanc,
Habeo: futurum vt quum meus erit hoſtibus
Oblatus aſpectus, ſereno vti polo
Sidus micat, ita eis ego quoque luceam.
Sed ô ſolum natale, diíque patrii
Excipite fauſto me omine, atque proſperi
Fauete cœptis: túque patris regia.
Tua huc enim incitatus à diis gratia
Veni, vt quod æquum fáſque poſtulant, patri
A cædibus te iam cruentis expiem.
Ne me precor tellunis huius finibus
Ne qua notatum infamia dimittite:
Sed præficite opibus & paternæ regiæ.
Atque hæc quidé hactenus. Senex tu muneris
Quod eſt tui, facito vti cures ſeduló.
Nos hinc abimus, temporis opportunitas
Ne diffluat: SIquidem hæc operis eſt optima
Magiſtra cuiuſuis, & incœpti artifex.

Ele. Hei me miſerrimam.

Paed. Lugubria famulæ alicuius audire videor
Lamenta, Oreſte, regiæ in tectis domus.
Ore. Anne miſera eſt Electra? vis parumper hîc
Moremur, vt fletum audiamus lugubrem?
Paed. Minimè, nihil prius nobis ſit atque loxii
Complere iuſſa Apollinis: nam ab his erunt
Sumenda principia: atque ſacro ante omnia
Tumulum parentis irriga libamine.
Non dubiam enim iſta conferent victoriam.
Ele. O lux pura & fulgida
Æquíſque ab humo diſtans vndique
Interuallis æther,
Triſtes ô quoties ſonos,
Nox quum cæca receſſit,
Audiſti, ſnque vicem feris
Sanguinolenta feriri
Pectora palmis.
At quid agam per longæ
Tempora noctis? domibus poſitus
In ſceleratis conſcius eſt torus,
Quantum triſtia cæſi lugeam
Fata parentis: quem Mars atri
Sanguinis auidus Phrygiæ barbara
Per iuga terræ haud cædere valuit:
Huic mea mater, eodem quíque nunc
Thalamo cubat Ægiſthus,
Vt ramoſa in ſyluis quercus
Cæditur altis, caput infeſta
Diſſecuere bipenni.
Nec mouet vllum caſus
Tam miſerabilis, in me ſolam
Ille redundat. Te pater adeo
Perfidè & inſidioſè
Lugeo cæſum.
Nunquam diri finem gemitus

Nec lacrymarum faciam.
Dum rutilantia cernam ſidera,
Dum iubar iſtud ſplendidum
Sum viſura diei.
Non aliter quàm Daulias ales
Triſtes fundam gutture cantus,
Vt noti tandem omnibus
Reſonent patrias gemitus ad fores.
O erebi domus & Proſerpinæ
O terreſtris Mercuri,
O dea vindex, vóſque deorum
Stirpe creatæ Eumenides,
Scelerate facta omnibus in locis,
Quà patet orbis, cernitis omnia.
Quíque iniuſta cæde necantur,
Aut furtiuo qui concubitu
Sacri fœdera violant thalami:
Huc properate, auxilium ferte,
Sumite pœnas, illum occidite
Qui temerauit ſe mei
Cæde parentis.
Dilectum mihi mittite fratrem:
Tantæ ſiquidem pondera molis
Neque ego immenſum ſola dolorem
Valeo ferre.

Chor. Hei infandæ filia matris
Quid continuis miſeram queſtibus
Te ſic conficis?
Perpetuò patrem luges, dextera
Nuper matris perfidè ademptum
Inſidioſè atque impié.
O vtinam iſtius ſtragis autor
(Si modò fas ſit concipere mihi
Talia votis) pereat peſſimé.

Ele. Claro ah natæ ſtemmate virgines
Huc noſtros lenire dolores

Solaménque mihi adferre venitis.
Scio id ac intelligo, nec me fugit.
At, sic statui, haud cessabo vnquam
Miseram patris lugere necem.
Quapropter vos edoctæ optimè
Fido in amore rependere gratiam,
Luctibus, ah, rogo, sinite indulgeam.

Chr. AT neque lacrymis nec precibus tuis
Excire specu tartareo queas
Genitorem vnquam: moderatum itaque hîc
Par est esse dolorem, quando
Nulla arte malum vitare queas.
Quod nisi facias, te frustra fero
Luctu conficies. quid vanis
Te sic lacrymis maceras?

Ele. SENSV caret ac excors ille est
Quisquis nullo funera planctu
Libat mœsta parentum.
Sed mihi mœsta placet auis,
Iouis altifremi nuntia,
Quæ plorans Ityn
Ingeminat Ityn.
Eheu Niobe misera
Diuis te immortalibus æquo,
Quæ perpetuis tumulum saxeum
Lacrymis irrigas.

Chor. Non tu sola hoc carpere luctu
Filia, at immoderatius aliis,
Quibus est tecum hic communis dolor,
Discruciare: Chrysothemis
Viuit & Iphianassa,
Occultéque dolet Orestes simul.

Ele. O ter Orestem felicem & quater,
Quem mox aduenientem
Cum pompa atque triumpho celebrem
Excipiet terra Mycenensium.

Illum ſingulos
Expecto in dies:
Dulcíque carens fructu prolium,
Innupta infelix etiamnum
Lacrymíſque humens ſemper obambulo,
Omnibus infeſtam malis
Immenſámque viam tero. at ille
Non meminit mei,
Nec beneficia
Secum reputat, vel quæ literis
Ex me didicit.
Quod enim allatum eſt ab eo nuntium
Non vanis plenum rúmoribus?
Huc ſemper enim ille venire expetit,
At nunquam animum inducit vt
Ingrediatur iter ſemel.

Chor. SIS forti animo filia, fide:
Magnus olympum Iuppiter incolit:
Is videt & regit omnia:
Illi hanc vehementem iram
Sæuúmque animi committe impetum,
Nec plus quàm ſatis eſt fræna odiis
Laxa, nec prorſum excute pectori.
TEMPVS, commodus eſt deus,
Mitigat omnia.
Aliquando expectatus veniet
Phocidis altricis boum
Qui colit arua,
Agamemnone progenitus.
Ac qui ſtygiis imperat oris
Terga premet deus hoſtium.

Ele. Atqui ſine ſpe maxima noſtri
portio iam nunc tranſiit æui.
Confectum mihi curis cor ſtupet,
Pereo miſera orbata parentibus,
Nuſquam firmus amicus eſt.

Non hæc contra debent principes
Peragi iurgiis.
Ele. Huc me grauibus compellor malis,
Grauibus compellor malis
Me conuertere. noui, nec latet
Impetus animi, ac ira me:
Aſt immenſis quaſſa doloribus
Non mihi tempero: nec, dum lumine
Perfruar ætheris,
Conſtituam modum.
Nam ex quo chara mihi progenies?
Ex quo tandem delectabile
Audire vnquam potero verbum?
Ex quo ſapiente opportuna
Sperem noſtris dicta doloribus?
Ah deſiſtite conſolari,
Rogo deſiſtite:
Nam luctus perpetuus
Iſte vocabitur.
Nec ab his vnquam requiem ærumnis
Capiam, lacrymas (vt cernis) ſine
Numero ſemper & ordine fundam.
Ch. Æqui mota tui hortor amore
Et fida quidem veluti mater,
ÆRVMNAS. ne ærumnis cumules.
Ele. At noſtri, rogo, quis modus eſt mali?
AGE nunc, dic mihi, quí ſit honeſtum
Nullis defunctorum vita
Carpi curis? cuínam hæc homini
Ingenerata eſt feritas vſpiam?
Haud mihi vanus luctibus iſtis
Captatur honos: non equidem, ſi
Thalamis eſſem iuncta iugalibus,
Et honeſto homini, viuere poſſem,
Tranquillè vnquam, nec cohibere
Mœſti celeres alas fletus.

Meritò functis iſte parentibus
Libatur honos.
Verùm ille quidem vitæ caſſus
Lumine, ſi in nihilum fuerit miſer
Morte redactus, neque rurſum illi
Iuſtas ſoluant cædis pœnas;
Effluet omnis pudor, & pietas
Homines inter nulla futura eſt.

Chor. Ego quidem mea ſimúlque etiam tua,
O filia, huc iam gratia me contuli.
Siquid minus fortaſſe rectè dixero,
Tu vince, nòs pariter tibi parebimus.

Ele. Pudet quidem me fœminæ, ſi nimium queri
Nimiúſque vobis concitari luctibus
Videar. quid autem agam? hoc facere violétia
Me cogit. ignoſcite, date veniam precor:
QVI fieri enim queat, vt ſata genere nobili
Animóque prædita generoſo filia,
Paterna damna conſpicans quæ ego, dies
Seu luceat, ſeu nocte contecta lateat,
Magè pullulare ſemper ac marceſcere
Videre cogor, non faciat eadem quæ ego?
Primò quidem quæ enixa me eſt mater, mihi
Vult peſſimè: me odit hoſtilem in modum.
Dein meis in ædibus cæſoribus
Conuiuo patris, ſubditáque eis aſpera
Fero imperia: ab his ſumere neceſſaria
Quæcunque ſunt compellor: at quales putas
Me agere dies quum conſidentem patriis
Video thronis Ægiſthum, amictúmq; inſuper
Quibus antea ornatus pater erat veſtibus:
Domeſticáque eo in loco libamina
Fundentem vbi trucidauit illum perfidè:
Ac quæ videri extrema contumelia
Queat omnium, quum patris in cubilibus
Video latronem matre cum miſerrima,

Si fas

Si fas tibi appellare matris nomine
Hanc quæ nefãdo cũ hoc homine cubat,& eò
Peruenit impudentiæ,impurissimo
Vt se societ & execrabili viro,
Non vindicẽ metuens aliquã Erinnyn:at velut
Re laude gesta digna risit,& patrem
Illo dolosè quo meum necuit die,
Sanxit choros,& immolauit hostias,
Ac diis dicauit sacra tutelaribus
Per singulos celebranda menses!atque ego hęc
Infausta ego quum conspicor,illacrymo
Per tecta passim gemo,miserrimas fleo
Patris epulas mecum tacita : nec enim licet
Quantum libet &animo est voluptas,lacrymis
Dolorem acerbum explere.generosa hæc enim
(Si diis placet)mulier mihi procacibus
Huiusmodi exprobrat sonis:O impia&
Inuisa diis,soli est pater tibi mortuus,
Te præter haud est quispiam in doloribus.
Malè pereas,nec hisce te vnquam luctibus
Dii liberent precor inferi:ac huiusmodi
Effundit in me plena contumeliis.
Atqui affuturum quando Orestẽ ab aliquo
Audit, statim furore percita intonat,
Non tu mihi horũ es causa?non tuũ est opus?
Surreptũ Orestẽ clanculum ex manibus meis
Nunquid alias misisti in oras pessima?
Vèrùm id tibi confirmo,digna huiusmodi
Supplicia dependes sceleribus. talia
Latrat impudenter:at propè astans incitat
Insignis illam sponsus,hominum maximè
Sceleratus omnium, impotens,pestis mera,
Qui non nisi adiutus ope mulierum, fuit
Pugnas inire vnquam ausus vllas. Astego
Desideratum frustra Orestẽ hactenus
His qui malis finem statueret, arbitrans

Huc affuturum, misera pereo funditus.
Moliri enim quū quippiam volo, illius
Cunctatione spes mihi omnes corruunt.
His igitur in tantis malis, ô fœminæ
Charissimæ, haud facile est modestè agere mihi
Aut colere pietatem: sed in tantis malis
Ad mala patranda me necessitas agit.

Cho. At age mihi dic, paulo vt loquamur tutius,
Ægisthus est'ne nunc domi, an abiit foras?

Elec. Ah ne putes si esset domi, me nunc foras
Prodire posse. Se ille in agros contulit.

Cho. Liberius igitur mutuis sermonibus
Poterimus vti: si modò ita se res habet.

Elec. Discessit, ea quæ scire postulas roga.

Chor. De fratre quæro: num affuturum eum putes?

Elec. Dicit quidem, atqui verba re non comprobat.

Chor. PLERVNQVE tardant molientes ardua.

Elec. At quando eum seruabam ego, tarda haud erā.

Cho. Bono es animo, qua est indole, auxilium feret
Suis amicis.

Elec. Credo speróque: atque spe
Hac destituta si fuissem, haud viuerem.

Cho. Sile, nec adde verbum: eodem patre satam
Ac matre eadem, iam sororem conspicor
Tuam Chrysothemin egredi, ac dextra sua
Inis ferentem quæ sacrantur manibus.

Chr. Quas rursus hîc soror ante vestibula domus
Edis querelas atque clamosos sonos?
Non potuit te temporis longinquitas
Docere, vano haud esse vana pectori
Impertienda? ego quæ mihi sum conscia
Id affero, rerum ob statum præsentium
Dolore adeò luctúque me magno affici
Vt si potestas suppetat, & animo suæ
Respondeant vires, statim re ostenderem
Qualē erga eos animū gerā: at nūc tot malis

Quum sim inuoluta, nauigare carbasis
Contractioribus necesse est, ac ita
Existimare: si mali quid moliar
Pœnam vicissim me repensuram. idque te
Meditatũ habere, atq; alia facere soror velim.
Quanquã haud quidẽ sum ignara, nõ quæ nũc
Sed iusta quæ tu iudicas esse omnibus. (ego,
At liberè si viuere, vt decet, velim,
Principibus omnibus modis parendum erit.
Elec. Graue ac iniquum id est, patrem te iam tuum
Obliuioni tradere, ac huius matris
Curam gerere. nanque huc tua monita redeũt
Ac dicta spectant omnia: nec ex te illa habes.
Mater magistra est. dein vide vtrum deligas
Horum potissimùm: aut sapere malè, aut tuos
Negligens amicos sapere bene, quæ iam quidẽ
Paulò antè iactabas: si adesset par tibi
Robur animo, quod erga eos geris odium
Ostenderes. scrutanti at omnes mihi vias
Quibus nefandam patris vlciscì necem
Queam, adeò nullam fers opem, vt etiam meo
Conatui obstes, & aliò deflectere
Satagas. quid? ignauũ an metum id nõ arguit?
Aut igitur à me discito, aut tu me doce,
Ab hisce si nunc temperem mihi lucribus,
Quidnam precor lucri feram? nunquid fruor,
Vita? scio quidem calamitosa, sed mihi
Quæ perplacet, modò faciam illis ægrè ita.
Id enim vrit illos, mortuum quòd hunc colã,
Tribuámque honores, si qua sit ibi gratia.
At tu quidem præ te odia verbis quum feras,
Re parricidis cum scelestis victitas,
Ac si mihi quis vellet ista munera
Ferre preciosa, culta tu quibus nites,
Non possem, animum inducere vt eis cederè.
Tibi collocetur mensa dives, affluas

Vberrima rerum beata copia:
Tantum mihi, natura quantum postulat,
Cibi satis sit: non tuos desidero.
Cultus soror, honoresue: quos nec tu quoque
Desiderares, recta si mens tibi foret.
At omnium quum nomineris optimi
Patris bonæque gnata matris, plurimis
Eo videris esse praua nomine,
Quum mortuum prodas patrē, & amicos tuos.
Cho. Ne per deos acerbius quicquam precor
Loquaris ira concita: est vtriusque enim
Non paruus in sermone fructus, si quidem
Dictis velis tu illius obsequi, ac tuis
Parere non recuset illa hortatibus.
Chry. Assueta sum conuiciis huiusmodi,
O fœminæ, dudum: nec iracundiæ
Iam mentionem facerem ego, nisi malum
Magnum aliquod imminere ei audissem: malū
Quod lacrymis longis facilè statuet modum.
Elec. At dic precor, quodnam malū narres: si enim
His maius aliquod, dixeris obediam tibi.
Chry. Dicam tibi quod quidem ego scio. Statutum
Vt te, nisi his tu fletibus tibi temperes, (id est,
Mittant eum in locum vbi aureum nunquam
Sis splendidi aspectura solis: viuáque (iubar
Inclusa turri opacæ: & hoc exul solo,
Tecum tuas vt calamitates concinas.
Hæc nunc apud te expende, cauéq; in posterū
Si quo malo affligâre, ne in me conferas
Culpam. sapere opportunitas nunc postulat.
Elec. Statuêrēne sic agere mecum, velut ais.
Chry. Sic est, reuersus vbi erit Ægisthus domum.
Elec. Qua primū itaque veniat, veniat, hoc si velit.
Chry. Ah quid misera ais? quos soror profers sonos?
Elec. Maturet huc venire. si quid tale nunc
In me struat.

Chry. Satísne sana? ficcine
Mori tibi volupe est?
Elec. Vt à vobis procul
Hinc fugere possim.
Chry. Non tuæ curam geris
Magis anxiam vitæ?
Elec. Experenda scilicet
Ac prorsus admiranda mea vita omnibus.
Chry. Talis futura est: disce modò bene sapere.
Elec. Ne me doce vt amicis iniqua sim meis.
Chry. Minimè: sed vt dominis geras morem tuis.
Elec. Tu potius assentare: consentaneum
Id moribus non est meis.
Chry. PVLCHERRIMVM est
Non ruere consilio malo.
Elec. Si sic opus
Fuerit, ruam, parentis vlciscens necem.
Chry. Ignoscet, ista etsi neglexerimus, pater.
Elec. Laudanda nequaquam tua hæc oratio est.
Chry. Non tu mihi parebis aut consenties?
Elec. Id absit, haud ego sanæ adeò mẽtis sum inops.
Chry. Pergo itaque rectà missa qua fui via.
Elec. Sed quónã abis, quónã sacra hæc adolẽda fers?
Chry. Libare me ad tumulum patris mater iubet.
Elec. Quid ais? viróne huic omnium inuisissimo?
Chry. Quem occidit ipsa, sic volebas dicere.
Elec. Æquo facit persuasa? cuinam placuit hoc?
Chr. Visis opinor noctis huius territa.
Elec. O dii penates nunc opem ferte obsecro.
Chr. Quid hinc tibi accreuit animi aut fiduciæ?
Elec. Si spectra narres, mox tibi explicauero.
Chr. Non potero rem plenè referre, at tenuiter.
Elec. Refer vt potes. NAM dicta sæpe tenuiter
Fecere labi hominẽ, atq; iam in præceps datũ,
Tanquam data rursus leuauerunt manu.
Cho. Patrem tuum, ac pariter meũ æthereas ferun-

Emersum in auras, esse conspectum matri:
Qui simul vt accepit, manu olim quod solet
Gestare, sceptrum, (nunc sed Ægisthus gerit)
Defixit illud humo: quod illico viride
Summo protrusit germen è cacumine,
In'que patulas (res mira) luxurians comas
Vmbra vniuersum texit Argiuum solum:
Sic nanque cognoui ex eo qui tum adfuit,
Ad orientis versa quum Phœbe iubar
Nocturna spectra exponeret. tantum hoc scio:
Misit'que me huc, visi metu perterrita.
Elec. Per nunc deos te patrios precor, mihi
Obtemperes, neu consilii inopia cadas.
Quòd si repudiaueris me, postmodum
Tuo huc (scio) malo recurres, ac meam
Eblandieris opem. Sed ô charissima
Mihi soror, ne manibus ea quæ nunc geris
Accommodes sacra tumulo: neque enim id ti
Pas, nec pium, hostili à muliere mortuo (bi est
Patri profectas soluere exequias: sed aut
Diffunde in auras, aut sub effossa tegas
Profundè arena. ne quid ad tumulum patris
Perueniat: alicubi vt reconditum, velut
Cimelion quoddam, illius potius neci
Seruetur. at verum quod est, si expēderis,
Temeraria nisi fœminas audacia
Superaret omnes, nūquam eum quem perfidè
Necauit, exornaret hoc libamine.
Considera, ac tecum reuolue, an illius
Accepta sint futura dona manibus,
Abs qua peremptus indecorè atque in modū
Truncatus hostilem fuit, cœnæ'que sub
Tempus cruentas balneo absterserit notas.
Hæc posse eædem tu expiare existimas?
Erras. sed hæc omitte. quin sectis tuæ
Meæ'que summis partibus soror comæ,

Parua hæc quidem, verum tamen qualia,
Hos squallidos ei capillos offeres, habeo,
Atque arte nulla hoc expolitum cingulum.
Prostrata humi interim, obsecrabis eũ vt velit
Adesse nobis benevolus, contráque vim
Emergere hostilem inferis è sedibus.
Precare quoque Orestes vt adueniat manu
Instructiore in hostium fortis necem,
In posterum quò ditioribus his eum
Munusculis ornemus. Equidem existimo
Neque hic opinione fallor, rem hanc ei
Curæ esse, quòd eam eiusmodi iam insomnijs
Vexauerit. verùm soror in his pareas
Ac da mihi operam, & omnium chariſſimo,
Obscura qui stygis loca incolit, patri.
Cho. Pia admodum sunt quæ soror dicit tua
Quare obsequêris, si modò sapies, ei.
Chr. Parebo. NAM res iusta quũ est, quid attinet
Obsistere aut contendere diu? est facto opus
Ac festinatione, & aggressura quum
Hæc sim, ô amicæ, per deos quæso mihi
Præstetis vt silentium. nam si ista fors
Rescisceret alicunde mater, haud meo
Magno sine malo abiret inobedientia.
Chor. Ni vates sim stulta,
Atque sana destituta
Mente, non longo pòst
Tempore vindex Iustitia aderit
Meritas inferens
Manibus pœnas. hanc mihi
Spem hanc fiduciam
Grata præbuere noctis
Spectra. nunquam enim Pelasgũm
Rex, qui te progenuit,
Immemor futurus horum est,
Nec vetus atque bipennis

Et falsa de me prædicas vulgò, vt malè
Regnũ gubernem, & quàm decet sim audacior?
Qua contumelia; quibus semper probris
Te pariter & tua afficiam. at vnquam nihil
A me subortum est tibi mali: conuiciis
Excepta, dicta in te regessi maledica.
Solus enim in ore perpetuò tibi est pater
Nec præter hunc est litium vlla occasio:
Quòd ille nempe mea necatus est manu:
Mea, scio: nec cur id inficias eam
Est vlla causa. non tamen ego sola, sed
Vindex eum Iustitia sustulit: cui
Ferres opem ac obtemperares, si modò
Vel mica sani tibi reliquum foret animi:
Quando parens iste tuus, vllo quem fine
Fine aut modo luges, sororem olim tuam
Solus Pelasgûm dedere neci sustinuit,
Diísque immolare, non pati mecum iugo
Subactus is dum gigneret, quo ego fui
Dum eniterer. Sed esto. tu dic interim
Quamnã ipse eã immolarit ob causam: inquies
Fortasse, Graiorum. vnde verò ipsi erat
Ius hoc, meam necare? sin ob gratiam
Fratris sui, impunéne trucidaret meam?
An non & illi gemini erant superstites
Tum liberi, quos iustius fuerat mori
Patre ac eadem matre progenitos, ob hanc
Quum fuerat instituta nauigatio?
Erebúmne maior cupiditas incesserat
Meos vorandi quàm sororis liberos?
An filiæ reiecto amore propriæ
Curam decebat gerere fratris? sed patris
Stulti ac maleuoli hæc signa sunt clarissima.
Sic puto quidem ego: licet aliter tu sentias.
Atque ipsa quæ fuit perempta (si modò
Vox suppetat) idem quod ego, diceret. itaque

Me cadis hauddum pœnitet. Sed si tibi
Videar fouere causam iniquam, quum interim
Bene sentiam, probris amicos impete.
Elec. Non nunc, opinor, initium feciſſe me
Dices malè loquendi, ipſa quando exorſa ſis:
Sed (ſi id mihi per te licebit) mortui
Causam parentis & ſororis agam ſimul.
Cl. Permitto. verùm orationem ſi hac tuam
Semper fuiſſes auſpicata formulâ,
Nunquam moleſto te notaſſem nomine.
Ele. Ais patrem necaſſe te meum. cedo,
Sceleratius iam excogitari quid queat,
Dictu'ue probroſum magis? ſeu iure ſeu
Iniuria id factum foret? porrò nego
Iuſtè interemptum. iſthoc te adegit ad ſcelus
Perſuaſio viri omnium turpiſſimi,
Quicum tibi etiam nunc voluptas viuere eſt.
Venationi deditam roga Artemin,
Quare Notis furentibus detenta ſit
Claſſis Pelaſgûm in Aulide, aut potius tibi
Ego explicabo: nanque fas exquirere id
Non eſt ab illa. Rumor eſt, patrem meum
Sacrum Dianæ quum petiuiſſet nemus
Curis grauata quò reficeret pectora,
Signatum, & arduis vigentem cornibus
Ceruum excitaſſe, du'mque mactaret, aliquod,
Fortaſſe gloriatus inſolentius,
Prorupit in verbum: ob quod irata graulter,
Tenuit Pelaſgas diua in Aulide copias:
Cæſæ'que iuſſit vt loco feræ pater,
Factum vt fuit, ſuam immolaret filiam.
Nec enim alia ad Troiam patebat aut domum
Via. Sic diu multúmque luctans, vix fuit
Tandem huc adactus victimam vt talem deæ
Offerret. haud fratris ſui cauſa fuit
Commiſſa cædes. quod tamen ſi nunc foret

Factum, morſne tua decebat cum manu?
Qua quæſo lege? huiuſmodi leges caue
Ne dum ſtatius hominibus, acerſas tibi
Ipſi mala atque pœnitentiam. Si enim
Sit talio referēda, & alter pro altero
Necandus, ipſa iure ſanè æquiſſimo
Nunc morte mulctabere prima. Sed vidè
Fucum ipſa ne facias tibi. Si enim voles,
Doce, precor, cur omnium turpiſſimum.
Sis auſa moliri ſcelus? cum adultero
Concumbis illo cuius vſa fuiſti ope
In patre perimendo meo: & nunc liberis
Datis operam, ac pios, & ex piis ſatos
Exterminas. quónam iſta pacto prædicem,
Aut laude digna exiſtimem? fortè inquies,
Certum eſt necem ſic vindicare filiæ.
Turpe id, neque ratione ſubnixum proba:
Alienum id ab honeſtate, cauſa filiæ
Conglutinare parricidas nuptias.
Sed amplius nihil additura ſum, mea
Quū adeo haud queas tolerare mōita, vt illicō
Lingua exacuta vbique ſpargas me matrem
Conuiciis laceſſere. at te ego potius
Dominæ puto ac dignam matris vocabulo:
Quæ vitam ago ærumnis refertā, atque miſeris
Doloribus, vexata contumeliis
Semper nouis abſte, ac marito illo tuo.
At ille qui vix per fugam manus tuas
Euaſit, exteris in vrbibus miſer
Infauſtam Oreſtes vitam agit, quem me tui
Nutrire vindicem vſque cōqueri ſoles.
Hoc me eo animo feciſſe tibi perſuadeas.
Vtinámque adhuc votis meis reſpondeat
Euentus. age nunc me palām, (ſi ſic lubet)
Traduce peſſimam, impudentem, garrulam.
Si iſtis enim natura me ornat dotibus,

Haud facilè dicar à tua indole degener.
Cho. Vt ſpirat iras! quæ modò iuſtæ ſient,
Quanam queant ratione leniri haud video.
Cly. Egóne illius poſſem affici cura, matrem
Indignè adeo quæ contumelia afficit?
Et maximè quum virgo ſit, ſupremam id an
Non egredi videtur impudentiam?
Elec. Et nunc quidem me horum pudet, quãquã tibi
Secus videtur. Sentio multa facere
Me præter id quod aut mea ætas poſtulat
Aut conditio. verùm tua malcuolentia,
Tua flagitia violenter huc me protrahunt.
NAM facta, verba etiam ſequuntur, turpia.
Cly. O proſtituti opus pudoris. an te ego,
Dictáque mea, ac mea facta ſic cogunt loqui?
Elec. Tu dicis, haud ego. abs te opus proficiſcitur,
Factíſque nunc verba etiam adaptantur ſua.
Cl. Sed diua ſic me perdat Artemis, haud tibi,
Haud cedet impunita tanta temeritas
Simulatque nunc redierit Ægiſthus domum.
Elec. En quas in iras proruis: non ſuſtines
Audire quicquam quum loqui permiſeris.
Cl. Non me ſines libare diis fauſto omine,
Quàm quæ volueris te loqui permiſerim?
Elec. Permitto, mando, ſacra fac: neq; enim dehinc
Quòd plura dicamus, os increpabis iam meũ.
Cl. Incenſa igitur hæc tolle mea pediſſequa
Suauiſſimi referta fructus, quo Deum vt
Me liberet quibus agitor terroribus,
Ritè precer. ô protector, ô Phœbe ædium
Tutela, nunc preces ſecretas accipe.
Neq; enim ego amicos inter ago, vt altè audeã
Quod volo, profari, donec iſta coràm adeſt.
Ne forſitan odio incitata priſtino
Linguáque petulanti per vrbem ſeminet
Rumorem inutilem. tibi igitur quæ loquar

Precor benigno exaudi Apollo numine.
Quæ nocte geminis conspicata in somniis
Sum spectra, si sint ominis Apollo boni,
Fac vera: sin mali, retorque in hostium
Rursus caput: nec hisce me opibus, si dolo
Id machinabuntur aliqui, exturbarier
Vnquam sinas, da sic vt absque molestia
Viuã, domósque & sceptra Atridûm ista tenẽa
Iucunda amicis vnicè quorum iuuat
Me consuetudo, superstitibus etiam
His liberis quicunque placidè mecum agunt
Nec vllum, vti decet, negotium exibent.
Hæc quæso pronis Phœbe percipe auribus,
Votísque clemens hisce nostris annue,
Aliísque quæ nunc non palàm pronuntio
Etiam tacente me. reor enim te omnia
Habere cognita. AC DEVS quum sis, nihil
Mortalium latere te rerum potest.

Ped. O fœminæ hospites, precor mihi dicite,
Estne hæc tyranni regia Ægisthi domus?

Cho. Est, hospes, ipsa, haud auguratus es malé.

Paed. Deinde coniunx illáne est quã cõspicor?
Ex vultu enim indoles relucet regia.

Cho. Ea ipsa: rectè conicis, præsto hîc adest.

Paed. Regina salue: nuntium apporto tibi &
A Egistho amico ab homine iucundissimum.

Cly. Gratus mihi est sermo tuus. at antè expedi
Quisnam, hospes, hùc te miserit mortalium?

Paed. Ex Phocide Phanoteus graues res nuntians.

Cl. Quasnã hospes? ede: nãq; homine à charissimo,
Amica præter nil relaturum autumo.

Paed. Obiit Orestes, idque breuibus aſſero.

Elec. Hei, hei mihi miseræ, perii hodie funditus.

Cl. Quid ais? quid hospes ais? caue auré huic p̃beas.

Paed. Obiit Orestes, sicut antè, nunc aio.

Elec. Actum est, miserrima perii, nil sum amplius.

Cl. Quin res agis tuas? sed hoc mihi explica
Quo genere fati finiit vitæ diem?
Ped. Atq; hãc quidé fum missus ob causãm, vt tibi
Omné ré eo quo est gesta cõmemoré ordine.
Nam tota nuper celebria ad certamina
Quum Delphicis excita Græcia præmiis
Iam congregata foret, Orestes adfuit.
Qui primùm vbi præconis excepit sonos
Cursum proclamantis pedestrem, tum (ordine
Quod primum erat certamen) in arenã omnib.
Mirandus, omniúmque splendidissimus
Descendit & naturæ adæquans gratia
Cursus volucris terminos, victoria
Potitus ampla est consequutus præmia.
Rem'que vniuersam vt explicem breuissimè,
Præstantia æquè facta robur'ue vllius
Haud me videre vnquam memini hominis. id
Persuadeas. quæcunq; promulgata erant (tibi
Etiam diaulorum à brabeutis cursuum
Quinquertia, omnium ille niceteria
Solus ferens, beatus atque ab omnibus
Vno ore passim prædicatur inclytus.
Cognomine Argiuum quidem, sed proprio
Passim salutabant Orestem nomine:
Patre generoso, qui potentes Græciæ
Totius olim exercitus ad Ilium
Duxisset imperator, Atrida satum.
Sed hoc quid illi profuit? DEORVM enim
Nocere aliquis vbi statuit, mortalium
Quacunque tandem præditus potentia,
Iram cauere numinis nemo queat.
Nam luce subsequente, equestribus quæ erat
Sacrata ludis, Phœbi vt ortum erat iubar,
Stipatus aurigarum adest celebrium
Magna caterua: quorum Achæus vnus, ex
Lacedæmone alter: duo deinde maximè

Regere Libes currus periti, atque inter hos
Fuit ille quintus Thessalos ducens equos:
Flauis superbus sextus ex Ætolia
Pullis adest: at septimus Magnesius:
Octauus albis Ænienſium è solo
Ferox equis: nonus ab Athenis numinum
Factis manu: Bœotus ordine decimus
Clausit cateruam. Iámque serie vbi sua
Certaminis per arbitros, vt fortè sors
Ceciderat, vnusquisque nactus erat locum,
Mox æneæ signa simulac dederant tubæ,
Magno emicantes impetu illi carcere ac
Statione deserta sua impulsis equis,
Clamoribus feriunt acutis æthera,
Vibrant habenas dextera: alliſi grauem
Dedere currus strepitum, in astra pulueres
Glomerantur, & cõmixti in vnũ omnes simul
Assiduo equos stimulis fatigant acribus.
Alium alius præuortere satagit: vnum idest
Studiũ omnibus, idémque ardor: orbitas, rotas
Ac terga equorum cerneres spumantia,
Fessos que crebro artus anhelitu quati.
Columna at ille hærens sub extrema mouet
Agitátque currus, deinde habenas dexteri
Laxans equi cohibet siniſtrum. & hactenus
Obstaculo non impeditæ vllo loca
Per constituta actæ ferebantur rotæ:
Tandem illius, agris qui aderat Æniénsibus,
Ruptis equi rapiuntur indomiti lupis.
Iam septimum postquam reuersi emensi erant
Confecerántque cursum, ex aduersis ruunt
Libyca in vehicula frontibus, prima hinc mali
Origo cœpit: hinc & alium alius dedit
Præcipitem humi atque vulnerauit: cãpus hinc
Naufragio equestri atque strage Crissæus fuit
Passim repletus. Idque Athenienſis vt

Cognouit aurigationis artifex
Insignis, orbitam extra equos retrahit suos,
Cohibétque cursus, illa curriculi quæ erant
Medio in spatio, equestri quati illo turbine
Ac fluctibus sinens. Orestes interim
Extremo adhuc hærens loco, agitat vltimos
Loris equos, tandem potiri præmiis
Victoriæ certus. at Athenienſis vt
Solum relictum eum esse conspexit, statim
Noto increpans equos sono, celerrimo
Sequitur gradu: assequutus, æquatis diu
Ibat iugis vterque: rursus alterum
Alter citatis antecurrebat rotis.
Omnes at alios tutus atque prouidus
Pernicibus prouectus exigit miser
Cursus quadrigis: tandem equo se rapidius
Flectente, mox lævæ remittens cingulum
Habenæ, in extremum columnæ incogitans
Impegit, atque axis media qua voluitur,
Fracta minutim fistula, præceps citis
Lapsus quadrigis implicatur funibus.
Vtque cecidit dispersi equi magno impetu
Media ruunt per æquora. id populus videns
Pernicibus miserum ita curribus excuti,
Plorauit adolescentis indignam necem:
Altisque suspirans sonis, Ob quænam, ait,
Facinora nunc es tanta sortitus mala?
Prolapsus in humum sæpius, in altum tibias
Iactabat, illum donec aurigæ in habito
Vix tandem equorum cursu, humo sustollerēt
Cruore fœdum tabido, atque eum in modum
Affectum, amicorum omnium vt nemo vspiā
Miserabile videns corpus vnquam agnoscere
Potuisset. Impositum igitur ardenti rogo
Statim cremauimus, redactúmque tenuem
In puluerem, atque vasculo inclusum breui,

Ex-

Ex Phocide huc viri tulere, vt patrio
Partem sepulcri adipisceretur in solo.
Atque hæc quidem ea sunt quæ referre debui
Tristia relatu, sed videntibus omnium
Quæcunque ego vnquam viderim, tristissima.
Chor. VETERVM heu video regum perire fundit:
Penitúsque ab ima stirpe collabi genus.
Cly. O Iuppiter! quid hoc sibi vult? faustáne
Hæc esse dicam? an temperata bonis mala?
Ah quò misera redacta sum, quum proprijs
Seruare vitam cogar in malis meam?
Paed. Quid sic meo excruciare domina nuntio?
Cly. IMMENSA res est parere. nec quantúlibet
A cerba contumelia aut iniuria
In propriam excitare prolem odium queat.
Paed. Frustra igitur (vt videtur) huc nos venimus.
Cly. Frustra? quid ita? frustra appulisti quum mihi
Manifesta mortis eius indicia adferas:
Qui pars meorum viscerum ac animæ meæ
Procul à meis vberibus atque à sedula
Fugiens alumna contulit se in exteras
Peregrinus oras. neque mihi vnquam tempore
Conspectus ex illo fuit, quo se hinc miser
Subduxit. insuper paternę me ream
Iam postulat cædis, minatúrque grauia,
Vt nec die nec nocte somno perfrui
Possim suaui: ast imminentis horrido
Perculsa semper mortis & fati metu,
Vitam traho. Sed hoc die terroribus
Sum liberata maximis. nec est eum
Quòd ego sororémue amplius timeam illius,
Quæ mecum eodem iuncta tecto, & in meos
Sæpe nimis ingenioſa luctus inuenit
Aliquam doloris perpetuò causam noui,
Merumque nostris fugit è præcordijs
Scelesta sanguinem. Sed hæc audacia

Cognouit aurigationis artifex
Insignis, orbitam extra equos retrahit suos,
Cohibétque cursus, illa curriculi quæ erant
Medio in spatio, equestri quati illo turbine
Ac fluctibus sinens. Orestes interim
Extremo adhuc hærens loco, agitat vltimos
Loris equos, tandem potiri præmiis
Victoriæ certus. at Athenienſis vt
Solum relictum eum esse conspexit, statim
Noto increpans equos sono, celerrimo
Sequitur gradu: assequutus, æquatis diu
Ibat iugis vterque: rursus alterum
Alter citatis antecurrebat rotis.
Omnes at alios tutus atque prouidus
Pernicibus prouectus exigit miser
Cursus quadrigis: tandem equo se rapidius
Flectente, mox lævæ remittens cingulum
Habenæ, in extremum columnæ incogitans
Impegit, atque axis media qua voluitur,
Fracta minutim fistula, præceps citis
Lapsus quadrigis implicatur funibus
Vtque cecidit dispersi equi magno
Media ruunt per æquora. id pe
Pernicibus miserum ita curri
Plorauit adolescentis ind
Altisque suspirans fa
Facin

Ex Phocide hùc viri tulere, vt
Partem sepulcri adipiscerentur in Delo.
Atque hæc quidem ex fama quæ
Tristia relatu, sed
Quæcunque ego
Chor. VETERVM heu
Penitúsque ab ima
Cly. O Iuppiter! quid hoc sit
Hæc esse dicam? an
Ah quò misera redacta sum, quæ
Seruare vitam cogar in malis meam
Paed. Quid sic meo
Cly. IMMENSA res est
A cerba continebo an
In propriam excitare
Paed. Frustra igitur
Cly. Frustra? quid ita
Manifesta
Qui pars meo
Procul à mei
Fugiens alu
Peregrinus
Conspectu
Subduxi
Iam pos
Ne nec

Extitit aliquis cui curæ fuit
Atroces vlciſci iniurias:
Nemo at noſtris partibus aſſidet.
Nam qui fuerat nobis, abiit,
Euanidus, ereptus eſt.
Cho. Ærumnoſa, ærumnis
Conflictaris grauibus.
Elec. Harum ſum vt quæ maximè
Gnara, experiens omnium.
Nec enim finis adhuc adeſt,
Sed mihi duri temporis ætas
Luctus aggregat, ex aliis nouas
Cumulat ſemper ſolicitudines.
Cho. Liquidò conſtat quæcunque refers.
Elec. Non me fruſtra quæſo,
Poſthac conſolemini.
Chor. Quid ais? cur ſolatia reſpuis?
Elec. Nullum pectoribus ſpes occupat
In noſtris locum.
Obitu fratris proiſus adempta eſt.
Cho. PRAEFIXA eſt lato mors, omnibus.
Elec. Qui ſed equeſtri infelix
In certamine ſectis
Implicitus ſuccubuit loris.
Cho. Fortuitum ac improuiſum malum.
Elec. Quî non? hoſpes in extera
Regione, abſque mea manu,
Cho. Hei mihi.
Elec. Mandatus humo, exequiarum expers,
Noſtríque miſer genitus.
Chr. Præ gaudio immemor decori anheláque
Vt te inuenirem celeriter moui gradum:
Nã læta porto, atq; requiẽ immenſis, quibus
Es hactenus vexata, calamitatibus.
Elec. Vbinam meis adepta es auxilium malis,
Quorum medela nulla reſtat vſpiam?

Chr. Adest Orestes: id tibi persuadeas
Certò adeò, vt oculis conspicaris me tuis.
Elec. Satísne sana es misera? siccine nunc iuuat
Ridere te vtriusque nostrûm miserias?
Chr. Non per penates hoc deos dico ioco
Aut contumelia, soror: quin seriò
Nobis eum appulisse iam tibi nuntio.
Elec. Hei, hei mihi, ex quo tandem id edocta es ho-
Cuius adeo facilè adhibes verbis fidem? (minũ
Chr. Nil ex alio habeo: ipsa conspicata sum
Signa euidentia quæ mihi faciunt fidem.
Elec. Quid certi habes infausta quo immedicabilem
Sedes dolorem, & tota quibus intus flagro
Flammas & æstus?
Chr. Per deos vt audias
Te quæso, vt vbi perceperis quæ dixero,
Tum stulta demum aut seria esse iudices.
Elec. Igitur recensẽ si quidem id tibi volupe est.
Chr. Quæcunque percepi tibi referam ordine.
Abs te digressa antiquum vt accessi ad patris
Tumulum, repletos lacte riuos conspicor
Fuso recèns, variísque bustum floscúlis
Hinc inde cõsperſum vndique. obstupui videṡ
Circũque spectans num quis in propinquo ibi
Loco lateret abditus mortalium.
Vbique solitudo, vbique silentium.
Accedo tumulum propius, extremo loco
Pyræ resectas iam recèns video comas.
Et simul vt aspexi, illico obtulit animo
Se nostro Orestis omnium chariſſimi
Mortalium consueta imago: hæcque illius
Sum suspicata reditus indicia. itaque
Dextra prehendens nil malè ominata sum.
Sed læta crebris irrigans lacrymis sinus,
Et tunc perinde ac nunc reor certissimum,
A nemine inferias profectas has, nisi

Ab eo esse. nam cui munus hoc mortalium
Te præter, aut me obire quæso conuenit?
Et me quidem haud feciſſe, neque te etiã ſcio.
Nam qua id queas ratione, cui ne ipſos quidẽ
Deos precandi gratia vnquam limine
Ab hoc pedem mouere latum liberum eſt?
Quod attinet ad matrem, animus id illius
Quî ſuſtinere poſſet, vt faceret patri?
Nec fortè ſi feciſſet, id poſſet diu
Latêre: ſed ſunt hæc Oreſtis ſacra. ſoror,
Forti, moneo, ſis pectore. NEC enim vſque idẽ
Dæmon agitat eoſdem. hactenus nobis quidẽ
Moleſtus ac infeſtus fuit: ſed hic dies
Nunc proſper atque fauſtus illuxit, aliquem
Poſitura tantis terminum forſan malis.

Elec. Tædet tuæ miſerétque me dementiæ.
Chry. Quid? verba pariunt tibi mea moleſtiam?
Elec. Nec quorſum eas, nec ſcis animus vbi ſit tuus.
Chry. Qui non ſciam quod hiſce cõſpexerim oculis?
Elec. Obiit, miſera. fluxere lapſa iam omnia
Auxilia: in illum haud amplius ſpem colloca.
Chr. Heu ex quo id audiſti cedo mortalium?
Elec. Ab eo, ſoror, qui quum periret adfuit. (pet
Chr. Vbinã iſte quæſo eſt? mens mihi attonita ſtu-
Elec. Ingreſſus eſt lætus domum, & gratus matri.
Chr. Hei, cuius hominis illa quæ tumulo patris
Affuſa conſpexi modò libamina?
Elec. Alicuius eſſe ſuſpicor, qui mortui
Oreſtis hæc monimenta dederit manibus.
Chr. Heu me miſerrimam, vt ego vano concita
Præ gaudio celeriter accurri, tibi
Lętum iſtud allatura nuntium: interim
Ignara quæ in mala deuoluti eſſemus! at
Statim huc vbi me contuli, antiqua video
Florere damna, nouíſque adaucta iam malis.
Elec. Sic res ſe habet: ſed ſi mihi obſequi voles,

Tanto malorum fasce mox leuabimur.
Chry. Quid? vísne me resuscitare mortuos?
Elec. Nō hoc volo, nec enim adeo meris sum inops.
Chry. Quid itaque mandas mea facultas quod ferat?
Elec. Vt quod monebo haud pertimescas aggredi.
Chry. Si fuerit vtilitas aliqua, non rennuam.
Ele. NIL, absque sudore geritur feliciter.
Chry. Operam tibi nauabo quoad vires ferent.
Elec. Quid perficere decreuerim, sic accipe.
Nullam esse nobis reliquam amici copiam,
Ignara non es: orebus illos abstulit.
Solæ sumus relictæ. ac auris quandiu
Vitalibus fratrem fini certum fuit,
Spes me fouebat magna tandem vindicem
Venturum eum cædis paternæ. at mortuus
Euanuit: túque vna restas nunc soror,
Cuius opem & auxiliū expeto, nec autore me
Ac adiutrice pertimescas effero
Vitam latroni eripere, carnificem puto
Parentis Ægisthum. nec est quod amplius
Arcana te celem: quo enim vsque tandem eris
Lento adeo prædita pectore? ánne aliqua spei
Affulget aura firmioris? cui nihil
Excussæ opibus hereditatéque patria
Reliquum relictū est, quàm facultas lacrymas
Gemitúsque fundere & dolere perpetim.
Adhæc vt hymenæi atque socii expers thori
Longæua virgo consenescas, nec fore
Id tempore vllo existimes, vt quippiam
Horū assequaris. nec enim adeò inops cōsili est
Ægisthus homo, passurus vt tuum aut meum
Genus sit vnquam luculento cum suo
Florere damno, aut crescere. atque tu meis
Parere si non rennues hortatibus,
Primùm quidem dabis operam vt, apud inferos
Qui nunc agunt, patréque fratrémque pariter

Qua conuenit pietate venerêre & colas.
Deinde ſicut libera es parentibus
Prognata ſummis regibus, ita in poſterum
Vocabere, atque digna eo cenſeberis
Honore: coniugióque tanto ſtemmate
Iungêre digno. NAN QVE quis mortalium
Non dirigit ad honeſta & ingenua oculos?
Quid multa? gloriam & perenne tibi decus
Mihíque conciliabis, his monitis meis
Obtemperans. quis ciuium, quis hoſpitum
Nos intuens, non talibus præconiis
Excipiet? En duas ſorores, quæ domum
Seruare patriam atque priſtinum in ſtatum
Auſæ fuerunt aſſerere, quæ propriæ
Improuidæ atque prodigæ vitæ, omnibus
Olim beatos rebus hoſtes fortiter
Letho dederunt. has amati ab omnibus
Has vnicè decet coli has conuentibus
In publicis feſtíſque tota vrbe celebri
Inſigne propter fortitudinis decus
Honore par eſt affici? Hæc, aliáque in hanc
Loquetur vnuſquilibet ſententiam,
Nec mortuas viuáſque gloria deſeret.
Sed pareas mihi nunc ſoror chariſſima,
Opem parenti fer, operam naua fratri,
Præſentibus ire pariter & te eripe malis:
Memor interim ante oculos gerens, quàm tur-
Viuere probroſe ſtirpe natas nobili. (pe ſit

Cho. IN hiſce rebus magna opus prudentia eſt
Hæc conſulenti & audienti eſt vtilis.

Chr. Sed antè quàm faciam loquendi exordium
O fœminæ, ſi ſanæ huic vel minima pars
Mentis foret, quod non facit, curam ſuæ
Gereret ſalutis. quanam enim fiducia,
Qua freta tandem ſpe, ipſa tam temeraria
Te audacia armas, atque me in periculi

Consortium vocas? parum te fœminam
Expendis esse, non virum satam, hostibus
Longéque viribus & potentia imparem.
Fortuna adhæc diuûmque numina eis fauent,
Aduersa quæ nos experimur in dies.
Talem quis hominem sine suo grauissimo
Damnóque & extrema calamitate perimat?
Prospice etiam atque etiam soror, ne talia
Nobis facinora molientibus mala
Grauiora conciliemus his, si fortè quis
Tales sonos exaudiens eliminet.
QVID gloriam famámque consequi iuuet,
Finire vitam si probrosè cogimur?
Neque graue mortem censeo, sed, quum mori
Desideras, non posse te illud assequi.
Proinde te quæso priusquam perditum
Nos atque nostrum funditus eamus genus;
Iram refrena, animsque cohibe hos impetus.
Ego vicissim dicta nunc abs te omnia
Præstabo vt indicta maneant secretáque.
Tu modò animum tuum institue prudentius,
Tandémque, vires mensa proprias, nihil
Efficere quum imbecilla possis, cedere
Principibus & potentioribus incipe.

Cho. Obtempera. NIHIL homini prudentia
Contingere melius aut potest magis vtile.

Elec. Nihil inopinatum, aut inexpectatum. ego
Iam te sciebam ad hunc reiecturam modum
Quæcunque dicerem. mea at res hæc manu
Solius est peragenda: nec cessauero
Donec quod animus agitat effecero semel.

Chr. Hei quàm velim quo tempore necatus fuit
Pater, te eo fuisse robore præditam:
Nunc omnia valida peregisses manu.

Elec. Natura eadem erat: mens mihi imbecillior.

Chr. Exerce vt illa firma semper hæreat.

Haud facilè dicar à tua indole degener.
Cho. Vt spirat iras! quæ modò iustæ sient,
Quanam queant ratione leniri haud video.
Cly. Egóne illius possem affici cura, matrem
Indignè adeo quæ contumelia afficit?
Et maximè quum virgo sit, supremam id an
Non egredi videtur impudentiam?
Elec. Et nunc quidem me horum pudet, quãquã tibi
Secus videtur. Sentio multa facere
Me præter id quod aut mea ætas postulat
Aut conditio. verùm tua malevolentia,
Tua flagitia violenter huc me protrahunt.
NAM facta, verba etiam sequuntur, turpia.
Cly. O prostituti opus pudoris. an te ego,
Dictáque mea, ac mea facta sic cogunt loqui?
Elec. Tu dicis, haud ego. abs te opus proficiscitur,
Factísque nunc verba etiam adaptantur sua.
Cl. Sed diua sic me perdat Artemis, haud tibi,
Haud cedet impunita tanta temeritas
Simulatque nunc redierit Ægisthus domum.
Elec. En quas in iras proruis: non sustines
Audire quicquam quum loqui permiseris.
Cl. Non me sines libare diis fausto omine,
Quàm quæ volueris te loqui permiserim?
Elec. Permitto, mando, sacra fac: neq; enim dehinc
Quòd plura dicamus, os increpabis iam meũ.
Cl. Incensa igitur hæc tolle mea pedisequa
Suauissimi referta fructus, quò Deum vt
Me liberet quibus agitor terroribus,
Ritè precer. ô protector, ô Phœbe ædium
Tutela, nunc preces secretas accipe.
Neq; enim ego amicos inter ago, vt altè audeã
Quod volo, profari, donec ista coràm adest.
Ne forsitan odio incitata pristino
Linguáque petulanti per vrbem seminet
Rumorem inutilem. tibi igitur quæ loquar

Precor benigno exaudi Apollo numine.
Quæ nocte geminis conspicata in somniis
Sum spectra, si sint ominis Apollo boni,
Fac vera: sin mali, retorque in hostium
Rursus caput: nec hisce me opibus, si dolo
Id machinabuntur aliqui, exturbarier
Vnquam sinas, da sic vt absque molestia
Viuã, domósque & sceptra Atridûm ista tenẽ
Iucunda amicis vnicè quorum iuuat
Me consuetudo, superstitibus etiam
His liberis quicunque placidè mecum agunt
Nec vllum, vti decet, negotium exibent.
Hæc quæso pronis Phœbe percipe auribus,
Votísque clemens hisce nostris annue,
Aliísque quæ nunc non palàm pronuntio
Etiam tacente me. reor enim te omnia
Habere cognita. AC DEVS quum sis, nihil
Mortalium latere te rerum potest.

Ped. O fœminæ hospites, precor mihi dicite,
Estne hæc tyranni regia Ægisthi domus?

Cho. Est, hospes, ipsa, haud auguratus es malé.

Paed. Deinde conjunx illáne est quã cõspicor?
Ex vultu enim indoles relucet regia.

Cho. Ea ipsa: rectè conicis, præsto hîc adest.

Paed. Regina salue: nuntium apporto tibi &
A Egistho amico ab homine iucundissimum.

Cly. Gratus mihi est sermo tuus. at antè expedi
Quisnam, hospes, huc te miserit mortalium?

Paed. Ex Phocide Phanoteus graues res nuntians.

Cl. Quasnã hospes? ede: nãq; homine à charissimo,
A mica præter nil relaturum autumo.

Paed. Obiit Orestes, idque breuibus aſſero.

Elec. Hei, hei mihi miseræ, perii hodie funditus.

Cl. Quid ais? quid hospes ais? caue auré huic p̃beas.

Paed. Obiit Orestes, sicut antè, nunc aio.

Elec. Actum est, miserrima perii, nil sum amplius.

Cl. Quin res agis tuas? sed hoc mihi explica
Quo genere fati finiit vitæ diem?
Pæd. Atq; hãc quidé sum missus ob causam, vt tibi
Omné ré eo quo est gesta cõmemoré ordine.
Nam tota nuper celebria ad certamina
Quum Delphicis excita Græcia præmiis
Iam congregata foret, Orestes adfuit.
Qui primùm vbi præconis excepit sonos
Cursum proclamantis pedestrem, tum (ordine
Quod primum erat certamen) in arenã omnib.
Mirandus, omniúmque splendidissimus
Descendit & naturæ adæquans gratia
Cursus volucris terminos, victoria
Potitus ampla est consequutus præmia.
Rem'que vniuersam vt explicem breuissimè,
Præstantia æquè facta robur'ue vllius
Haud me videre vnquam memini hominis. id
Persuadeas. quæcunq; promulgata erant (tibi
Etiam diaulorum à brabeutis cursuum
Quinquertia, omnium ille niceteria
Solus ferens, beatus atque ab omnibus
Vno ore passim prædicatur inclytus.
Cognomine Argiuum quidem, sed proprio
Passim salutabant Orestem nomine:
Patre generoso, qui potentes Græciæ
Totius olim exercitus ad Ilium
Duxisset imperator, Atrida satum.
Sed hoc quid illi profuit? DEORVM enim
Nocere aliquis vbi statuit, mortalium
Quacunque tandem præditus potentia,
Iram cauere numinis nemo queat.
Nam luce subsequente, equestribus quæ erat
Sacrata ludis, Phœbi vt ortum erat iubar,
Stipatus aurigarum adest celebrium
Magna caterua: quorum Achæus vnus, ex
Lacedæmone alter: duo deinde maximè

Regere Libes currus periti, atque inter hos
Fuit ille quartus Thessalos ducens equos:
Flauis superbus sextus ex Ætolia
Pullis adest: at septimus Magnesius:
Octauus albis Ænienſium è solo
Ferox equis: nonus ab Athenis numinum
Factis manu: Bœotus ordine decimus
Clausit cateruam. Iámque serie vbi sua
Certaminis per arbitros, vt fortè sors
Ceciderat, vnusquisque nactus erat locum,
Mox æneæ signa simulac dederant tubæ,
Magno emicantes impetu illi carcere ac
Statione deserta sua impulsis equis,
Clamoribus feriunt acutis æthera,
Vibrant habenas dextera: alliſi grauem
Dedere currus strepitum, in astra pulueres
Glomerantur, & cõmixti in vnũ omnes simul
Assiduo equos stimulis fatigant actibus.
Alium alius præuortere satagit: vnum idest
Studiũ omnibus, idémque ardor: orbitas, rotas
Ac terga equorum cerneres spumantia,
Fessos que crebro artus anhelitu quati.
Columna at ille hærens sub extrema mouet
Agitátque currus, deinde habenas dexteri
Laxans equi cohibet siniſtrum. & hactenus
Obstaculo non impeditæ vllo loca
Per constituta actæ ferebantur rotæ:
Tandem illius, agris qui aderat Æniésibus,
Ruptis equi rapiuntur indomiti lupis.
Iam septimum postquam reuersi emensi erant
Confecerántque cursum, ex aduersis ruunt
Libyca in vehicula frontibus, prima hinc mali
Origo cœpit: hinc & alium alius dedit
Præcipitem humi atque vulnerauit: cãpus hinc
Nautragio equestri atque strage Crisſæus fuit
Passim repletus. Idque Athenienſis vt

Cognouit aurigationis artifex
Insignis, orbitam extra equos retrahit suos,
Cohibétque cursus, illa curriculi quæ erant
Medio in spatio, equestri quati illo turbine
Ac fluctibus sinens. Orestes interim
Extremo adhuc hærens loco, agitat vltimos
Loris equos, tandem potiri præmiis
Victoriæ certus. at Athenienſis vt
Solum relictum eum esse conspexit, statim
Noto increpans equos sono, celerrimo
Sequitur gradu: assequutus, æquatis diu
Ibat iugis vterque: rursus alterum
Alter citatis anteuertebat rotis.
Omnes at alios tutus atque prouidus
Pernicibus prouectus exigit miser
Cursus quadrigis: tandem equo se rapidius
Flectente, mox læuæ remittens cingulum
Habenæ, in extremum columnæ incogitans
Impegit, atque axis media qua voluitur,
Fracta minutim fistula, præceps citis
Lapsus quadrigis implicatur funibus.
Vtque cecidit dispersi equi magno impetu
Media ruunt per æquora. id populus videns
Pernicibus miserum ita curribus excuti,
Plorauit adolescentis indignam necem:
Altisque suspirans sonis, Ob quænam, ait,
Facinora nunc es tanta sortitus mala?
Prolapsus in humum sæpius, in altum tibias
Iactabat, illum donec aurigæ in habito
Vix tandem equorum cursu, humo sustolleret
Cruore fœdum tabido, atque eum in modum
Affectum, amicorum omnium vt nemo vspiã
Miserabile videns corpus vnquam agnoscere
Potuisset. Impositum igitur ardenti rogo
Statim cremauimus, redactúmque tenuem
In puluerem, atque vasculo inclusum breui,

Ex-

Ex Phocide huc viri tulere, vt patrio
Partem sepulcri adipiscerétur in solo.
Atque hæc quidem ea sunt quæ referre debui
Tristia relatu, sed videntibus omnium
Quæcunque ego vnquam viderim, tristissima.
Chor. VETERVM heu video regum perire fundit: a
Penitúsque ab ima stirpe collabi genus.
Cly. O Iuppiter! quid hoc sibi vult? faustáne
Hæc esse dicam? an temperata bonis mala?
Ah quò misera redacta sum, quum propriis
Seruare vitam cogar in malis meam?
Paed. Quid sic meo excruciare domina nuntio?
Cly. IMMENSA res est parere. nec quantúlibet
A cerba contumelia aut iniuria
In propriam excitare prolem odium queat.
Paed. Frustra igitur (vt videtur) huc nos venimus.
Cly. Frustra? quid ita? frustra appulisti quum mihi
Manifesta mortis eius indicia adferas:
Qui pars meorum viscerum ac animæ meæ
Procul à meis vberibus atque à sedula
Fugiens alumna contulit se in exteras
Peregrinus oras. neque mihi vnquam tempore
Conspectus ex illo fuit, quo se hinc miser
Subduxit. insuper paternę me ream
Iam postulat cædis, minatúrque grauia,
Vt nec die nec nocte somno perfrui
Possim suaui: ast imminentis horrido
Perculsa semper mortis & fati metu,
Vitam traho. Sed hoc die terroribus
Sum liberata maximis. nec est eum
Quòd ego sororémue amplius timeam illius,
Quæ mecum eodem iuncta tecto, & in meos
Sæpe nimis ingenioſa luctus inuenit
Aliquam doloris perpetuò causam noui,
Merumque nostris fugit è præcordiis
Scelesta sanguinem. Sed hæc audacia

Iam fracta conquiesceret, ac diræ minæ.
Elec. Miserrimam me, nunc Orestæ tempus est
Vt calamitosam deflcam sortem tuam,
Quòd morte sublatus adeo miserabili
Sæuis adhuc à matre contumeliis
Lacereris. hoccine est pię factum matris?
Cly. Tibi haud videtur: vt cũ eo actũ, actũ est bene.
Elec. O Nemesi gemitus mortui audi flebilis.
Cly. Audiuit illa, & precibus annuit meis.
Elec. Nunc insolesce rebus aucta prosperis.
Cly. Túque ac Orestes ista iam sedabitis.
Elec. Quicuimus nos, te sed vt sedabimus?
Cly. Magno quidem, hospes, dignus hinc es munere
Quod linguam adeo compescuisti garrulam.
Ped. Discedo itaque quum res bono sint in statu.
Clyt. Minimè: neque enim honori meo consulueris,
Nec eius à quo missus huc es hospitis.
Sed ingredere, & extrà sinas hanc flebili
Lugere voce sua & amicorum mala.
Elec. Quid mater ista calamitosa, tristia
Lamenta nunquid edere, atque funera
Ob lacrymosa filii luctu affici
Vobis videtur? læta ridénsque miserum
Casum abiit. ô fratrum omnium charissime,
Vt morte nunc sum perdita tua funditus!
Simúlq; spem quæ reliqua mihi adhuc supererat
Ex cordis cuulsam intimo tecum sinu
Procul abstulisti: nempe viuum te patris
Aliquando vindicem affuturum, atque miseræ
Huius tuæ sororis. at quò gentium
Me conferam? sum sola, te nunc ac meo
Orbata patre. seruiendum erit mihi,
Obtemperandum nutibus erit hostium,
Turbæ sceleratæ ac execrabili, patris
Cæsoribus: quò misera recidi? in posterum
Haud amplius conuiuere illis iam mihi

Firmum ac ſtatutum eſt. huícque proxima
Portæ loco hoc hærebo, ſic ſterile exigam
Viduata amicis tempus ætatis meæ.
Mucrone ſed tranſadigat aliquis cor mihi.
Id ſicui ſit ægrè eorumqui è domo
Lamenta fundentem audiunt, dii cœlites
Magni vt locoæ ſtimauero beneficii
Si morte me multauerint! refertæ enim
Dolore vitæ nulla tangit cupiditas.
Cho. Vbinam altifremi ſæua tonantis
Fulmina: lucidus vbinam
Latitat Phœbus: ſi hæc aſpiciunt
Oculis æquis, aſperáque inhibent
Tela beneuoli?
Elec. Hei, hei, hei.
Cho. Quid lacrymaris filia?
Elec. Eheu.
Cho. Ne nimis altas edito voces.
Elec. Enecas.
Cho. Quî ſic?
Elec. Dum me ſumere ſpem iubes,
In grauiores coniicis animam
Anxietates: concidit, omnis
Diffluxit ſpes, ditis vt inferi
Nigras illi ſubiere ſpecus.
Cho. Non hæc mordeat animum cura.
Amphiareus quoque fraude mulierum
Occultatus ſeptis aureis
Sub humo Stygiis,
Elec. Hei, hei.
Cho. Imperat vmbris.
Elec. Eheu.
Cho. Meritò heu. pernicioſa erat.
Elec. Domita illa fuit?
Cho. Punita fuit
Elec. Memini, memini,

Extitit aliquis cui curæ fuit
Atroces vlciſci iniurias:
Nemo at noſtris partibus aſſidet.
Nam qui fuerat nobis, abiit,
Euanidus, ereptus eſt.
Cho. Ærumnoſa, ærumnis
Conflictaris grauibus.
Elec. Harum ſum vt quæ maximè
Gnara, experiens omnium.
Nec enim finis adhuc adeſt,
Sed mihi duri temporis ætas
Luctus aggregat, ex aliis nouas
Cumulat ſemper ſolicitudines.
Cho. Liquidò conſtat quæcunque refers.
Elec. Non me fruſtra quæſo,
Poſthac conſolemini.
Chor. Quid ais? cur ſolatia reſpuis?
Elec. Nullum pectoribus ſpes occupat
In noſtris locum.
Obitu fratris proſus adempta eſt.
Cho. PRAEFIXA eſt fato mors, omnibus.
Elec. Qui ſed equeſtri infelix
In certamine ſectis
Implicitus ſuccubuit loris.
Cho. Fortuitum ac improuiſum malum.
Elec. Quî non? hoſpes in extera
Regione, abſque mea manu,
Cho. Hei mihi.
Elec. Mandatus humo, exequiarum expers,
Noſtríque miſer gemitus.
Chr. Præ gaudio immemor decori anheláque
Vt te inuenirem celeriter moui gradum:
Nã læta porto, atq; requiẽ immenſis, quibus
Es hactenus vexata, calamitatibus.
Elec. Vbinam meis adepta es auxilium malis,
Quorum medela nulla reſtat vſpiam?

Chr. Adest Orestes: id tibi persuadeas
Certò adeò, vt oculis conspicaris me tuis.
Elec. Satísne sana es misera? siccine nunc iuuat
Ridere te vtriusque nostrûm miserias?
Chr. Non per penates hoc deos dico ioco
Aut contumelia, soror: quin seriò
Nobis eum appulisse iam tibi nuntio.
Elec. Hei, hei mihi, ex quo tandem id edocta es ho-
Cuius adeo facilè adhibes verbis fidem? (minũ
Chr. Nil ex alio habeo: ipsa conspicata sum
Signa euidentia quæ mihi faciunt fidem.
Elec. Quid certi habes infausta quo immedicabilem
Sedes dolorem, & tota quibus intus flagro
Flammas & æstus?
Chr. Per deos vt audias
Te quæso, vt vbi perceperis quæ dixero,
Tum stulta demum aut seria esse iudices.
Elec. Igitur recensẽ si quidem id tibi volupe est.
Chr. Quæcunque percepi tibi referam ordine.
Abs te digressa antiquum vt accessi ad patris
Tumulum, repletos lacte riuos conspicor
Fuso recèns, variísque bustum floscúlis
Hinc inde cõspersum vndique. obstupui videṡ
Circũque spectans num quis in propinquo ibi
Loco lateret abditus mortalium.
Vbique solitudo, vbique silentium.
Accedo tumulum propius, extremo loco
Pyræ resectas iam recèns video comas.
Et simul vt aspexi, illico obtulit animo
Se nostro Orestis omnium charissimi
Mortalium consueta imago: hæcque illius
Sum suspicata reditus indicia. itaque
Dextra prehendens nil malè ominata sum.
Sed læta crebris irrigans lacrymis sinus,
Et tunc perinde ac nunc reor certissimum,
A nemine inferias profectas has, nisi

Ab eo esse. nam cui munus hoc mortalium
Te præter, aut me obire quæso conuenit?
Et me quidem haud feciſſe, neque te etiã ſcio.
Nam qua id queas ratione, cui ne ipſos quidẽ
Deos precandi gratia vnquam limine
Ab hoc pedem mouere latum liberum eſt?
Quod attinet ad matrem, animus id illius
Quî ſuſtinere poſſet, vt faceret patri?
Nec fortè ſi feciſſet, id poſſet diu
Latêre: ſed ſunt hæc Oreſtis ſacra. ſoror,
Forti, moneo, ſis pectore. NEC enim vſque idẽ
Dæmon agitat eoſdem. hactenus nobis quidẽ
Moleſtus ac infeſtus fuit: ſed hic dies
Nunc proſper atque fauſtus illuxit, aliquem
Poſitura tantis terminum forſan malis.

Elec. Tædet tuæ miſerétque me dementiæ.

Chry. Quid? verba pariunt tibi mea moleſtiam?

Elec. Nec quorſum eas, nec ſcis animus vbi ſit tuus.

Chry. Qui non ſciam quod hiſce cõſpexerim oculis?

Elec. Obiit, miſera. fluxere lapſa iam omnia
Auxilia in illum haud amplius ſpem colloca.

Chr. Heu ex quo id audiſti cedo mortalium?

Elec. Ab eo, ſoror, qui quum periret adfuit. (pet

Chr. Vbinã iſte quæſo eſt? mens mihi attonita ſtu-

Elec. Ingreſſus eſt lætus domum, & gratus matri.

Chr. Hei, cuius hominis illa quæ tumulo patris
Affuſa conſpexi modò libamina?

Elec. Alicuius eſſe ſuſpicor, qui mortui
Oreſtis hæc monimenta dederit manibus.

Chr. Heu me miſerrimam, vt ego vano concita
Præ gaudio celeriter accurri, tibi
Lętum iſtud allatura nuntium: interim
Ignara quæ in mala deuoluti eſſemus! at
Statim huc vbi me contuli, antiqua video
Florere damna, nouiſque adaucta iam malis.

Elec. Sic res ſe habet: ſed ſi mihi obſequi voles,

Tanto malorum fasce mox leuabimur.
Chry. Quid? vísne me resuscitare mortuos?
Elec. Nõ hoc volo, nec enim adeo meris sum inops.
Chry. Quid itaque mandas mea facultas quod ferat?
Elec. Vt quod monebo haud pertimescas aggredi.
Chry. Si fuerit vtilitas aliqua, non rennuam.
Ele. NIL absque sudore geritur feliciter.
Chry. Operam tibi nauabo quoad vires ferent.
Elec. Quid perficere decreuerim, sic accipe.
Nullam esse nobis reliquam amici copiam,
Ignara non es: erebus illos abstulit.
Solæ sumus relictæ: ac dum vitalibus fratrem frui certum fuit,
Spes me fouebat magna tandem vindicem
Venturum eum cædis paternæ. at mortuus
Euanuit: túque vna restas nunc soror,
Cuius opem & auxiliũ expeto, nec autore me
Ac adiutrice pertimescas effero
Vitam latroni eripere, carnificem puto
Parentis Ægisthum. nec est quod amplius
Arcana te celem: quo enim vsque tandem eris
Lento adeo prædita pectore? ánne aliqua spei
Affulget aura firmioris? cui nihil
Excussæ opibus hereditatéque patria
Reliquum relictũ est, quàm facultas lacrymas
Gemitúsque fundere & dolere perpetim.
Adhæc vt hymenæi atque socii expers thori
Longæua virgo consenescas, nec fore
Id tempore vllo existimes, vt quippiam
Horũ assequaris. nec enim adeò inops cõsili est
Ægisthus homo, passurus vt tuum aut meum
Genus sit vnquam luculento cum suo
Florere damno, aut crescere. atque tu meis
Parere si non rennues hortatibus,
Primùm quidem dabis operam vt, apud inferos
Qui nunc agunt, patréque fratrémque pariter

Qua conuenit pietate venerêre & colas.
Deinde sicut libera es parentibus
Prognata summis regibus, ita in posterum
Vocabere, atque digna eo censeberis
Honore: coniugióque tanto stemmate
Iungêre digno. NAN QVE quis mortalium
Non dirigit ad honesta & ingenua oculos?
Quid multa? gloriam & perenne tibi decus
Mihíque conciliabis, his monitis meis
Obtemperans. quis ciuium, quis hospitum
Nos intuens, non talibus præconiis
Excipiet? En duas sorores, quæ domum
Seruare patriam atque pristinum in statum
Ausæ fuerunt asserere, quæ propriæ
Improuidæ atque prodigæ vitæ, omnibus
Olim beatos rebus hostes fortiter
Letho dederunt. has amari ab omnibus
Has vnicè decet coli has conuentibus
In publicis festíque tota vrbe celebri
Insigne propter fortitudinis decus
Honore par est affici? Hæc, aliáque in hanc
Loquetur vnusquilibet sententiam,
Nec mortuas viuásque gloria deseret.
Sed pareas mihi nunc soror charissima,
Opem parenti fer, operam naua fratri,
Præsentibus me pariter & te eripe malis:
Memor interim ante oculos gerens, quàm tur-
Viuere probrose stirpe natas nobili. (pe sit
Cho. IN hisce rebus magna opus prudentia est
Hæc consulenti & audienti est vtilis.
Chr. Sed antè quàm faciam loquendi exordium
O fœminæ, si sanæ huic vel minima pars
Mentis foret, quod non facit, curam suæ
Gereret salutis. quanam enim fiducia,
Qua freta tandem spe, ipsa tam temeraria
Te audacia armas, atque me in periculi

Consortium vocas? patrum te fœminam
Expendis esse, non virum satam, hostibus
Longéque viribus & potentia imparem.
Fortuna adhæc diuûmque numina eis fauent,
Aduersa quæ nos experimur in dies.
Talem quis hominem sine suo grauissimo
Damnóque & extrema calamitate perimat?
Prospice etiam atque etiam soror, ne talia
Nobis facinora molientibus mala
Grauiora conciliemus his, si fortè quis
Tales sonos exaudiens eliminet.
QVID gloriam famámque consequi iuuet,
Finire vitam si probrosè cogimur?
Neque graue mortem censeo, sed, quum mori
Desideras, non posse te illud assequi.
Proinde te quæso priusquam perditum
Nos atque nostrum funditus eamus genus,
Iram refrena, animíque cohibe hos impetus.
Ego vicissim dicta nunc abs te omnia
Præstabo vt indicta maneant secretáque.
Tu modò animum tuum institue prudentius,
Tandémque, vires mensa proprias, nihil
Efficere quum imbecilla possis, cedere
Principibus & potentioribus incipe.

Cho. Obtempera. NIHIL homini prudentia
Contingere melius aut potest magis vtile.

Elec. Nihil inopinatum, aut inexpectatum. ego
Iam te sciebam ad hunc reiecturam modum
Quæcunque dicerem. mea at res hæc manu
Solius est peragenda: nec cessauero
Donec quod animus agitat effecero semel.

Chr. Hei quàm velim quo tempore necatus fuit
Pater, te eo fuisse robore præditam:
Nunc omnia valida peregisses manu.

Elec. Natura eadem erat: mens mihi imbecillior.

Chr. Exerce vt illa firma semper hæreat.

Elec. Rectè. sed ipsa monita re non exprimis.
Chry. FERE fit, vt facinus patrans pœnas luat.
Elec. Prudentiam probo tuam, ast odi metum.
Chry. Rectè loquentem te libenter audiam.
Elec. Nunquam tuis seruire me auribus audies.
Chry. Hoc facere spatium te docebit temporis.
Elec. Discede, neque enim in te vlla spes est auxili.
Chry. Est magna: sed animus tuus eam non capit.
Elec. Abi, matríque quæ tibi dixi refer.
Chr. Non sic tibi malè cupio vt hoc facere velim.
Elec. Sat video quantum in dedecus me pertrahas.
Chr. In dedecus? tuæ saluti consulo.
Ele. Igitúrne, quæ tu iusta iudicas, sequar?
Chr. Vbi mente fueris saniore prædita,
Nostrûm tuis vtranque consiliis rege.
Elec. PECCARE opinari bene loquenté, graue est.
Chr. Morbum probè quo detineris exprimis.
Elec. Iusténe videor ista nunc tibi loqui.
Chr. Sed est vbi iustitia noxiam ferat.
Elec. Vt vt sit, hoc ego viuere haud velim modo.
Chr. Si feceris, ut e vera comperies loqui
Elec. Faciam equidem nihil extimescens has minas.
Chr. Non veritatem consili expendens mei?
Elec. RES nulla consilio nocentior malo.
Chr. Horum nihil quæ dico prorsum intelligis.
Elec. Non nunc mihi, sed nuper hæc statuta sunt.
Chr. Abeo igitur: quum nec mea tibi oratio
Possit probari, nec mihi mores tui.
Elec. Sed intrò abi, non fiet vnquam vt te sequar,
Ne si quidem sedatior quàm nunc, fores.
VANA aucupari, insignis est amentiæ.
Chr. Tu si tibi videare sapere rectius,
Sic sapito: sed malis vbi obruta senties
Periculum, tum monita laudabis mea.
Chor. Quid esse dicam aut suspicer
Quod vsitatum cernimus

Generi volucrium pio:
Quanta parentes debiles
Quibus æditæ sunt, à quibus
Teneræ educatæ, nutriant
Foueántque cura? cur eadem
Nos facere non contendimus?
AST horrisoni missa coruſco
Fulmina cœlo sæua Tonantis,
Cœlíque colens lucida sidera
Vindex scelerum Iustitia, haud diu
Flagitiosa, enormia crimina
Impunita relinquent.
O casuum humanorum
Fama nuntia, subitis
Vbique subterranea
Plutonis imple regna
Rumoribus, Atridísque
Miserabilem tristémque
Casum refer. nam eorum
Afflicta sæuis feruet
Morbis domus: nec scissa
Potest sorores inter
Concordia coalescere.
Electra prodita duris
Quatitur procellis, sola
Semper peremptum querulæ
In modum luscinia
Luget, gemítque peremptum
Misera parentem nullo
Mortis metu perculsa.
Ac vbi geminam sumere poterit
Vindictam, tum tandem læta erit
Mœstæ orbari lumine vitæ.
Quisnam ita vero est stémate nobilis?
NEC bonis satus etiam,
Vitam agens miserrimam,

Committet vnquam vt labe
Aspergat vlla honestum
Nominis decus sui.
Seculum vt nunc tu quoque
Incidisti in flebile,
Bella dum contra geris
Turpitudinem & dedecus!
Sed per æruminas graues
Luctata laudem vbique
Et gloriã vna voce
Consequuta es duplicem,
Sapientis optimæque:
Exornata es titulis. ah
Vtinam hostiu'n tuorum opes
Victrix potentiámque
Quorum premeris imperiis
Nunc manúque tyrannica,
Conteras: quando quidem
Fatis video te exerceri
Prorsus iniquis: SED tamen his non
De virtutis gradibus deiici,
Sed constanti fasque piúmque
Pectore colere.

Ore. Recténe docti, ô fœmĩnæ, terimus viam
Quam destinauimus ingredi? precor edite.

Cho. Quid quæris? aut quid est quid huc diuerteris?

Ore. Iam quæro dudum Ægisthi vbi sit regia.

Cho. Rectè hospes huc ades, nec in pœnam incidit
Huius tibi quicunque fuit index viæ.

Ore. Quæ vestrûm erit desideratos nuntios
Adesse nos ei indicare quæ volet?

Cho. Hæc, nuntiam si fortè vis domesticam.

Ore. I mulier, ingressa indices è Phocide
Veniisse quosdam qui loqui Ægistho volunt.

Elec. Miseræ hei mihi, vósne estis argumenta qui
Sparsæqi certa fertis indicia necis?

Ore. Haud scio equidem quid te angat: ast ego senis
Strophii rogatu adsum vt de Oreste nuntiem.
Elec. Quid id est? vt ingens me pauor nunc occupat!
Ore. En, quam vides, Orestis exiguæ latent
Reliquiæ in arcta condita ista pyxide.
Ele. Heu me miserrimam. heu vt oculis conspicor
Meis apertè onus sepulcrúmque illius!
Ore. Si calamitatem Orestis & luges necem,
En corpus eius vasculo hoc est abditum.
Ele. Ah per deos obtestor hospes, si quidem
Hac tegitur vrna conditus, manibus meis
Contrectem, vt & me paritei ac meum genus
Hos misera propter vsque plorem puluercs.
Or. Eia facite ei copiam quæcunque sit:
Nec enim maleuoloprædita animo id expetit,
Sed aut amore mota magno mortui,
Aut vinculo id coniuncta poscit sanguinis.
Ele. O hominis omnium mihi chariſſimi
Triste monumẽtum, quod reliquium adhuc est
Seruans Orestis. quàm bona spe decidi! (super,
Hei quàm parum sum suspicata hoc te modo
Patrias reuersurum domos! Nunc te manu
Euanidum, in nihilum redactum fero mea
Quem splẽdidum ablegaui ego olim clanculũ!
Mors sed vtinam tibi scidisset stamina
Vitæ prius quàm dextera abreptum hac mea
Procul peregrinas te in oras mitterem,
Feráque surriperem nece: vt sic mortuus
Hóc tempore hîc saltem iaceres, patrio
Sortitus in tumulo locum. sed nunc domo
Extorris, alienis profugus in vrbibus,
Procul à sorore separatus vltimum
Miserè diem obiisti, nec infaustæ tuum
Licuit amica corpus abluere manu
Ac tribuere extremos honores, aut rogo
Miserabile hoc eripere pondus: sed tibi

Hoc præstitit aliena seruitium manus
Paruúmque pyxide abdidit parua.hei mihi
Quò vllo absque fructu solicita iam euanuit.
Ac,qua suaui te labore paruulum
Foui,educatio?neque tu enim tempore
Vllo fuisti charior matri ac mihi.
Me præter haud tuæ salutis anxia
Tota in domo fuit vlla: nutrix sola ego.
Semper vocata sola sum soror tua.
Sed omnia hæc periere lapsa funditus
Qua mortem obisti luce turbans,dissipans
Instar procellæ turbidæ ex oculis procul.
Euanuisti.quid opus est multis? pater
Periit,ego ob amorem tui vitæ meæ
Expers ago,te mors etiam atra sustulit.
Edunt cachinnos hostium passim cohors
Matérque(sed eo non vocanda nomine)
Insanit immodico repleta gaudio.
Cuius aliquando te affuturum vindicem
Mihi sæpe de te fama venit nuntia:
Verùm hæc tuus genius meúsque in lacrymas
Et damna sæuus vestra pessum omnia dedit.
Qui nunc loco vultus mihi charissimi
Cineres leues vmbrámque misit inutilem.
Hei mihi,
O corpus miserabile:
Hei ter me infelicem atque amplius.
Eheu,eheu.
O dulce fratris,ô mihi caput amabile.
Inauspicatum ingressus iter vt funditus!
Me perdidisti,perdidisti.
Quæso sub hoc me recipe tectum,quæ nihil
Nūc sum āplius, tecū sim ego,q es quoq; nihil:
Stygios simul posthac habitem apud inferos.
Quā diu enī apud superos tibi incolumis sterit
Vita,tolerauī bona maláque tecum simul.

Et nunc mori expeto, nec hoc abscedere
Tuo sepulcro. VIDEO enim tristissimis
Doloribus vacare cassios lumine.
Cho. Mortali es Electra edita patre, id memineris:
Mortalis & Orestes fuit: caue nimio
Te maceres luctu. OMNIBVS mors imminet.
Oreſt. Eheu quid eloquar? vnde nunc potissimùm
Petam loquendi exordium? haud equidé queo
Linguæ diutius continere vincula.
Ele. Quis te dolor habet? hósve cur profers sonos?
Oreſt. Vultu decoro nunquid Electra est ea?
Chor. Ea ipsa, sed agit obruta miseris malis.
Oreſt. Eheu nefandam téque quatérque miseriam.
Elec. Quid, hospes, est quòd sic vicem gemas meam?
Oreſt. O corpus impiè atque iniquè perditum.
Elec. Nullius, hospes, quàm mea mouent te mala.
Oreſt. Heu cælibem sortísque vitam lugubris.
Elec. Quid est quòd oculis adeo fixis me intuens
Præcordiis suspiria trahas intimis?
Oreſt. Quòd nil calamitatum mearum videram.
Elec. Dic, quo mihi ea percipere cœperis modo?
Oreſt. Tantis videns te calamitatibus obrutam.
Elec. Sed minima prorsus è malis vides meis.
Oreſt. Grauioribúsne quispiam posset premi?
Elec. Vitam agere cogor cum impiis latronibus.
Oreſt. Quibus? quod est quod obiter effatis, malum?
Elec. Patris mei. quibus etiam necessitas
Me cogit, & vis non ferenda, vt seruiã.
Oreſt. Sed quis rogo est qui te adigit huc mortalium?
Elec. Mater vocatur, sed matrem factis negat.
Oreſt. Manúsmne vi, vel squallido vitæ modo?
Elec. Manibúsque & immunditiæ & omni denique
Genere malorum.
Oreſt. Nemo præsto est qui tibi
Opem ferat, sæuásque cohibeat manus?
Elec. Nemo: illũ enĩ, in quo spes mihi õnis fixa erat,

Redactum in atros obtuliſti puluere.
Or. O ſortis infelicis vt miſeret tuæ!
Ele. Tu ſolus adeò iam, hoſpes, es mortaliu n
Horum malorum quem ſubit miſeratio.
Or. Et ſolus adſum tua ſimul deflens mala.
Ele. Cognatus aliqua parte nobis aduenis.
Or. Dicam tibi, modò velit ſilentium
Hæc mulierum præſtare turba beneuolé.
Ele. Nil metue: fidis iſta dices auribus.
Or. Vaſculum itaque hoc depone, diſces omnia.
Ele. Ne per deos te obteſtor hoſpes, id iube.
Or. Obtempera iuſſis, tibi id fraudi haud erit.
Ele. Ne aufer quod animo maximè charũ eſt meo.
Or. Nulla ſinam ratione.
Ele. Me miſerrimam:
Ah ſic ſepulcro Oreſta priuabor tuo?
Or. Bene ominare, non enim iuſtè gemis.
Ele. Quid? mortuúmne iniuria fratrem gemo?
Or. Non iure nunc erumpis in tales ſonos.
Ele. Frater probroſè ſic mihi eripitur meus?
Or. Nil, fit probroſè. flere ſic non eſt tuum.
Ele. Qui ſic, manu corpus quũ Oreſtis fero mea
Or. Non eſt Oreſtis, ficta tantùm oratio eſt.
Ele. Vbinam igitur miſeri ſepulcrum fratris eſt?
Or. Nuſquam, qui enim? viui ſepulcrũ nullibi eſt.
Ele. Quid ais precor?
Or. Non falſa ſunt quæ nuntio
Ele. Vitáne fruitur ille?
Or. Opinor: ſiquidem
Nunc me frui vita vides.
Ele. Túne es igitur?
Or. En annulum hunc parentis inſpicito mei:
An vera narrem colligere facilè hinc queas.
Ele. O fauſta lux & amabilis.
Or. Fauſta fateor.
Ele. Adéſne frater omnium chariſſime?

Satis

Or. Satis est probatum: latius ne inquirito.
Ele. Manibus teneo nunc te meis.
Or. In posterum
Semper tenebis.
Ele. Fœminæ ô charissimæ
Vrbisque ciues huius, ecce subdola
Iam machinatione Orestem mortuum,
Videtis incolumi redisse corpore.
Chor. Videmus illum ô filia, atque percitæ
Veteris memoria calamitatis, humidis
Genas tumentes irrigamus lacrymis.
Ele. Præsentia hominis omnium ô charissimi:
Optatus ades, ô frater, ades, inquam, mihi.
Nunc inuenis, nunc longo ab hinc quæ tempore
Desiderasti cernere, vides omnia.
Or. Adsum quidem, sed adhuc silentio est opus.
Ele. Cur quæso?
Or. Satius tacere est, nequis intus audiat.
Ele. Sed per nunquam temeratæ sacra
Casta Artemidis, nullo posthac
Tempore in animum potero inducere
Vt eas quæ intus iam sunt fœminas,
(Onus hoc semper dico superfluum)
Vt soleo ante hac, nunc formidem.
Or. Sed Mars caue ne fœminarum inter gregem
Latcat alicubi. docta es experientia.
Ele. Eheu, ah ah,
Non obscurum, quódque obliuio
Nullo extinguet tempore
Nunc refricas malum.
Or. Memini, scióque: sed vbi primùm occasio
Se obtulerit, hac de re loquemur satius.
Ele. Hei nullum mihi, nullum tempus
Hæc declamare omnibus in locis
Esse potest inidoneum.
Libertas mihi linguæ

Semper adempta, at nunc vix reddita est.
Or. Fateor quidem: seruare porrò admitere.
Elec. Quidnam aggressura?
Or. NON longa terr colloquia breuitas tèporis.
Elec. Quod iam hoc loquèdi tempus opportunius?
Quisue reditu lætus tuo compescere
Linguam queat? nã præter omniũ spẽ atq; id
Quod exprimi verbis queat, te conspicor.
Or. Me conspicata es quum deorum numina
Repetere patrias adegerunt domos.
Elec. Multis superat partibus
Lætitia ista priorem.
Si superorum impulsu numinum
Nostra ad limina tuleris gressus,
Magnæ id prosperitatis ego loco
Vt ducam, mens præsaga monet.
Or. Est nimiũ vbi cohibere gaudii impetus
Verear tui. rursúsque non metuo minus
Ne victa gaudio tibi accersas malum.
Elec. Immensi hei post spatium temporis
Tandem dignatus viam es
Carpere plurimis
Optatam mihi votis,
Inque meum prodire aspectum,
Ne me tanto posthac concuti
Gemitu videas.
Or. Quid non faciam?
Elec. Fac semper sim tecum pariter,
Ac te te coràm intuear.
Ne hanc mihi, quæso, voluptatem adimas.
Or. Quin mihi volupe est conspici ab aliis.
Elec. Hac igitur in re mihi fidem astringis tuam?
Or. Astringo.
Elec. Vox inexpectata, amicæ,
Nunc meis insonuit auribus.
Ita quædam expers soni atque muta

Me tenebat, auriúmque erat
Impeditus vsus. at nunc
Te habeo, suaui perfruor tuo
Frater aspectu. quam amœnitatem
Ne quidem atrocissimæ
Mihi calamitates memoria
Tempore vllo excutere poterunt.

Or. Superfluas verborum omitte nænias,
Neque id refer, qua prædita maleuolentia
Sit mater, Ægisthus vt opes exhauriat,
Domúmque nostram vt impudenter dissipet,
Profundat, omnia laceret. nam fabulis
Elaberetur temporis opportunitas. (est,
Verùm id quod imprimis facere nostra inter-
Quódque hora præsens postulat, nunc explica
Qua sit via, clámne an gerenda res palàm,
Capitalium vt tandem cachinnos hostium
Coerceamus. at ita tu te compares
Vultúmque cõponas, domũ ne vbi iã erimus
Ingressi vterque, lætiorem atque solita est
Te mater esse deprehendat. sed gemens
Simulabis è verbis capere luctum meis.
Ad summum enim fortuna vbi nos prospera
Rerum cacumen duxerit, tunc libere
Gaudere, tunc ridere licitum erit affatim.

Elec. Mi frater, id quod gratum erit tibi, mihi
Gratum etiam erit. nã gaudiũ quo nũc fruor,
Non à me initium sumpsit, abs te vno integrũ
Proficiscitur, nec si lucrum ingens alicubi
Mihi sit paratum, facere vel leuissimum
Velim quod ægrè esse tibi possit: quid aliud
Quàm tam fauenti nunc reluctarer deo?
Sed scis vt intus res se habeat: audisti enim
Ægisthum abesse ab ædibus, verùm in domo
Mitiem esse, quam ne fronte me cernat hilari
Lætáque, non vereare: nam vetus odium

Pectori etiamnum fixius inhæret meo,
Adeóque vultum quando conspicio tuum,
Augetur, vt stillantibus semper genæ,
Præ gaudio humidæ lacrymis fluant.
Nam quo modo vnquã temperare à lacrymis
Mihi queam, quæ temporis puncto breui
Et mortuum viuúmque te conspexerim?
O casum inexpectatum! ego si nunc patrem
Viuum viderem huc ferre gressus, id loco
Non ducerem miraculi, nec imaginem
Existimarem falsam, at ipsum cernere
Me firmiter statuerem: ita affecisti animum
Hodie meum. proinde quum hanc emensus es
Viam, atque nobis redditus, vt animus feret,
Negotium auspicare. sola ego dum fui,
Semper animo alterutrum experirier meo
Certum ratúmque sedit, aut seruare me,
Si possẽ, honestè, aut certè honestè occũbere.

Or. Sis tacita, nam crepare regiæ fores
Ab exeunte aliquo audio.

Ele. I te intrò hospites,
Noua quũ adferatis, quæ vt domo haud arcé-
Sincera nulli sic quoque ferũt gaudia. (da sint,

Pæd. Fatui ô ter & quater, atque mentis impotes,
Tam parua vitæ curáne vos vestræ habet?
Quid cogitem? an mens ista vobis insita est
Primis ab annis? non propinqua pericula,
Sed maximis circundatos vos vndique
Nunc esse non perpenditis malis? ego his
Custos nisi egissem diu excubias locis,
Iam dicta factáque vestra, quàm ipsi vos, prius
Penetralia subissent domus. Sed hoc ego
Ne fieret, operam sedulò interea dedi.
Longa hac igitur ambage, si modò sapitis,
Verborum omissa, vocibúsque gaudium
Nil præter insuetum sonantibus, domus

Subite tecta:rem aggredi opportunitas
Hortatur: ATQVE casibus in huiusmodi
Periculosa semper est cunctatio.
Or. Quando mihi intrò nũc eundũ est, quo in statu
Res posita nostra est?
Paed. Optimo, nemo omnium
Futurus est qui te poterit agnoscere.
Or. Iam mortem obisse me tulisti nuntium?
Paed. Apud hos es vnus inferis ex manibus.
Or. Fama hácne gaudét? aut quæ eorũ oratio est?
Paed. Perfectum vbi fuerit negotium, omnia
Tibi explicabo. at nunc eorum (vti video)
Partim bene quidé res se habet, partim malé.
Elec. Quis iste sit, frater, precor mihi dicito.
Or. Nostíne eum?
Elec. Non quod sciam, neque in animum
Reuocare quisnam sit queo.
Or. Itáne es immemor
In cuius olim tradidisti me manum?
Elec. In cuius oro? quidnam ais?
Or. Per quem fui
Clàm prouidentia, soror, septus tua
In fertiles transmissus agros Phocidis.
Elec. Hic illéne est tum temporis quẽ ex omnibus
Solum, patre necato, fidelem repperi?
Or. Ille ipse. quæso longioribus diem
Ne conteras sermonibus.
Elec. Lux omnium
O fulgidiss ma.tutor ô solus domus,
Columénque stirpis vnicum Agamemnoniæ,
Quî huc appulisti? túne es ille plurimis
Qui vindicasti hunc atque me ex laboribus?
Charissimæ ô manus, in obsequium pedes
Promptissi ni nostrum. cedo quæ causa te
Permouit vt tuum in me amorem tandiu
Celaueris, résque mihi iucundissimas

Famæ inuolucro nubilans triſtiſſimæ,
Propè me enecaris? ô pater ſalue. patrem
Coràm intueri iam mihi videor meum.
Salue atque ſcito peſſimè me odiſſe te
Horæ vnius momento, amaſſéque plurimùm.
Ped. Sat eſt: quæ ego geſſi interim abſens dum fui,
Et noctium & multi dierum circuli
Voluentur, iſta qui tibi, Electra, omnia
Certò indicabunt. Itaque nunc appello vos
Qui aſſiſtitis, moneóque tempus rem aggredi
Expoſcere. Clytæmneſtra ſola, in ædibus
Vir nullus eſt: ſi rem trahatis longius,
Id cogitate pariter hîc futurum opus
Cúmque his & aliis præditis prudentia
Maiore, cúmque dimicare pluribus.
Ore. Res longiores noſtra rennuit moras
Pylades amice, proinde quamcelerrimè
Eamus intró. ſupplicemus patriis,
De lubra quicunque hæc colunt, penatibus.
Ele. O rex Apollo audi hos propenſis auribus,
Paritérque quas purè tibi fundo preces.
Quæ multa ſæpe, vti mea facultas tulit,
Larga ſacrauí munera tibi dextera.
Nunc ô Lycæe Apollo poſtulo, peto,
Tibi ſupplico, cœpti huius vt ſis benevolus
Adiutor: oſtendas quibus dii præmiis
Flagitia conſueuere honorare impia.
Cho. En quò non prorumpit gentium
Dirum Mauors proflans ſanguinem!
En metuendi ſæuíque canes
Iuſti flagitiorum vindices
Paſſim intima nunc atria obambulant
Nullo fugiendi pede.
Haud noſtra procul hinc nunc abſunt
Tacitæ ſomnia noctis:
Impendent ceruicibus.

Stygiorum vindex & tutor manium
Famosa dolo tecta ingreditur:
Antiquísque scatentes opibus,
Dextera acuta gerens iacula recèns
Diro sparsa cruore,
Ad patris conscendit sedes.
Prognatus Maia Mercurius
Insidiosum meritam illorum
In mortem adducit dolum:
Neque longas nectet moras.

Ele. Iam operi viri incumbunt amicæ ô fœminæ.
Ch. Quî sic? quid aggrediuntur?
Ele. Illa quidem suo
Ornat lebetem iam sepulcro, at imminent
Isti illius capiti.
Ch. Sed hoc quidnam sibi
Vult quòd tu adeo proruperis subitò foras?
Ele. Fidas vt excubias agam, ne forte clàm
A Egisthus introeat reuersus.
Cl. Hei, hei, hei, hei,
Ah tecta funestæ domus,
Orbata amicis plena sunt cæsoribus.
Elec. Clamatur intus, nunquid auditis sonos?
Cho. Omnino inaudita audio. horreo metu.
Cly. Miseræ hei mihi Ægisthe, vbi, vbinã tu es gen
Elec. En rursus audio strepitum. (tium?
Cly. O fili, ô matris,
Fili precor miserere quę te protulit.
Elec. Sed illius nec tu miserta es, nec patris
Qui genu it illum.
Chor. O vrbem infaustam: progeniem ô
Miseram vt fato corruis
Infelix iam momentaneo!
Cl. Ah, icta vulnus sentio.
Elec. Quin duplicem
Inflige plagam si potes.

Vt ventis velut subuectus
Ritè secundis ad lustitiæ
Descendat certamen.

Æg. Quæ vestitûm vbi sint hospites qui è Phocide
Venêre, nouit? nuntiasse eos ferunt
Equestri Orestem interemptum prælio.
Te interrogo: te pessima, inquam, interrogo.
Nam, quæ tua hactenus fuit superbia
Audaciáque, quando ille maximè tibi
Curæ fuit semp r etiam inter cæteros:
Non dubito quin certissima queas dicere.

Elec. Scio. quî enim sim ignara casus, qui ex meis
Hominem mihi iam sustulit charissimum?

Æg. Non indicabis mihi vbinam sint hospites?

Elec. Sunt intus, atque rem hospitali tessera
Fecere dignam.

Æg. Quid? certò igitur eum esse mortuum asserũt?

Elec. Re ipsa id palàm fecêre, non verbis modó.

Æg. Igitúrne adest, videre vt manifestè eum
Possimus omnes?

Elec. Sanè adest: spectaculum
Cernes cruentum & triste.

Æg. Præter vt tuum
Lætissima mihi nuntias mortem!

Elec. Caue
Ne fortè noxio insolescas gaudio.

Æg. Tace. tace inquam. Regiæ nunc omnibus
Palatii portæ aperiantur, quotquot &
Argos vetus, quot & Mycenas incolunt,
Vt inter illos fortè siquis antea
Vanæ tumore fuerit elatus spei,
Huius cadauer nunc intuens mortui
Os præbeat frænis lubentius meis,
Neque vindicem me nactus atque principem
Altos superbo proflet corde spiritus.

Elec. At hæc, quod ad me pertinet, peracta sunt:

Longáque tandem ætate iam prudentior
Concedere didici potentioribus.
Æg. O Iuppiter, quod conſpicor ſpectaculum!
Non caſus hic vacat odio. ánne iſta Nemeſis
Patrauit? haud dum dicere illud audeo.
Velamen ocyus omne ab oculis tollite,
Meis vt irrigetur etiam lacrymis.
Or. Ipſe remoue: non eſt meum, at potius tuum,
Videre & appellare verbis comiter.
Æg. Rectè mones, obtemperabo: ſed tu abi,
In ædibus alicubi Clytæmneſtram voca.
Or. En in propinquo adeſt, alibi eam ne quærito.
Æg. Eheu quid eſt quod video?
Or. Quem verere? quis
Eſt cuius haud nouiſſe vultum te innuis?
Æg. Quorumnam in hominum media captus incidi
In retia miſer?
Or. Multa iam loquutus es
Viuus etiamnum, verba: nec ſentis tua
Commune neſcio quid habere mortuis?
Æg. Intelligo vocem. hei mihi nemo eſt homo,
Si non Oreſtes verba nunc mecum facit.
Or. Nunc tandem es augur optimus, ſed hactenus
Falſus fuiſti ſemper.
Æg. Ah perii miſer,
Id ſentio. Sed pauca fas ſit, te precor,
Quæ ſuggerit animus mihi eloqui.
Elec. Nihil
Per te deos frater rogo permiſeris
Vlterius hunc loqui, ſuáſque extendere &
Protrahere fabulas. QVID enī homini, cedo,
Preſſo malis iámque morituro temporis
Prodeſſe parui acceſſio aut lucrum queat?
Celerrimè illum occidito, occiſſumque mox
Mandes ſepulcro eiuſmodi quo dignus eſt.
Procul oculis remoue meis: nāque vnicū hoc

Veteribus adferet remedium miseriis.
Or. Ocyus abi intrò, nulla nunc de friuolis
Est instituta quæstio sermonibus.
De capite agetur mox tuo.
Æg. Quid in domum
Me pertrahis? si pulchrum honestúmq; facinus
Aggredere, latebrísne: ut tenebris tibi opꝰ est?
Or. Iubere desine: confer in eum te locum
Quo perfide patrem trucidasti meum,
Vt tu quoque in eodem necé meritâ oppetas.
Æg. Sic comparatum fati video legibus,
Hæc tecta semper vti futura cernãt Pelopidûm
Præsentiáque mala.
Or. De tuis vates tibi
Certissimus ego sum.
Æg. Non est patris tibi quod artes vendices.
Or. Obloquere multa, & interim ducis moras.
Mque gradum.
Æg. I præ.
Or. Quin tibi præeundum erit.
Æg. Num molliturum me fugam vereris?
Or. At
Faxo quidem ne suauiter necem oppetas:
Ictum hunc tibi seruato. VERVM vltricibus
Omnes statim pœnis coerceri æquum erat,
Et iura sacris constituta legibus
Qui transgredi aut conuellere audent impiè,
Vt morte digna plecterentur protinus:
Non tanta scelerum vbique colluuies foret.
Chor. O progenies Atrei:
Vt per sæua pericula
Multáſque per ærumnas
Vix audaci hoc vix tandem impetu
In libertatem te
A seruisti pristinam!

BIBLIOTECA NAZ
ROMA
VITTORIO EMANUELE